[illegible] — 168

Epistolas de S. Euquerio, obispo de Leon de Francia

D. EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI DOCTISS. LVCVBRAtiones aliquot non minus piæ quàm eruditæ, cura ac beneficio Ioannis Alexandri Brassicani iureconsulti recens editæ, quarum hæc est summa,

- In Genesim Commentariorum Libri III
- In libros Regum Commentariorum Libri IIII
- Formularum Spiritalium Liber I accurate recognitus, adiectis ijs omnibus quæ in superiore æditione, quàmplurima desyderabantur.
- Quæstiones in Vetus & Nouum Testamentum.
- Nominum Hebraicorum ac aliorum etiam quæ in sacris literis habentur, Interpretatio.
- Epistola Parænetica ad Valerianum cognatum suum De contemptu mūdi, Cum Scholijs D. Erasmi Roterodami.





BASILEAE, IN OFFICINA FROBENIANA, ANNO M. D. XXXI. MENSE SEPTEMBRI

Cum priuilegio Cæsareo ad sexennium.

IANI A' SVOLLA

EQVITIS AC IVRECONSVLTI

in ampliss. Brassicani sui Bibliothecam, Epigramma.

Quæ noua non solito se Bibliotheca decore
Iactat, inauditis nobilitata bonis,
Ipsa uetus Pharij assurgit iam fama palatij
Rhomanisq; olim templa sacrata libris.
Electra, & cedunt pretia inuidiosa smaragdi,
Diuitijs minor est Persica gaza tuis.
Nomina magnorum hæc quæ nam rediuiua uirorum,
Saluete optati turba beata patres.
Felix o tali ter, dulcis amice, paratu,
Et felix domino Bibliotheca suo.

AMPLISS. PATRI AC
OPTIMO PRINCIPI DOMINO CHRISTOPHORO à Stadion Episcopo Augustensi probe merito, Dño ac patrono suo unico, Ioannes Alexander Brassicanus artium liberalium & legum ciuilium doctor

S. D. P.



AEQVISSIMVM MIHI VISVM EST amplis. pater, ac idem obseruandiss. patrone, ut cuius præsidio dicatus Episcoporũ ille magister Saluianus in lucem exijsset, sub eiusdẽ etiam nominis auspicio prodiret in publicum Eucherius ille Lugdunensis Episcopus eruditissimus, Qui cum Saluiano (fuerunt enim synchroni) & summa familiaritas, & ex similium studiorum sacris, arctissima amicitia intercessit. Quin & hæc tibi dicandi nobilissimi huius operis altera ratio fuit: quod cum ipse sis inter huius ætatis episcopos præcipuus, quem & ob ueræ pietatis, ac omnis melioris eruditionis incredibile ornamentum, cum antiquis conferre possimus, optimo etiam, immo tuo iure meruisti, ut tibi hoc est non minus erudito, quàm recti exempli episcopo nuncuparetur item episcopus, de quo dubites, an maiore sanctimonia, uel insigniore eruditione sit præstabilis: sic enim Homero placuisse uideo, cum inquit,

Saluianus & Eucherius synchroni

Christophorus episcopus Augustensis

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Similem deus ducit ad similem

Qua ratione rectissime tibi consecranda sunt omnia scripta, palatinus quæcunque recepit Apollo. Scripsit autem Eucherius in Genesim Commentariorum libros III, quos pro meo in te studio tibi nominatim inscribere uolui. Sed & in libros Regum, Commentariorum libros IIII, quos alteri meo mœcenati, Domino Iano à Suolla uiro non minus imaginibus, quàm uirtute, ac omnium bonarum literarum cognitione præstanti, tuaque amicitia dignissimo dicauimus. Adiecimus eiusdem autoris formulas spiritales, in quibus emendandis instaurandisque quomodo me gesserim, suo loco commodius & prolixius explicabo: hoc certe in confesso est, sic in sacris literis interpretandis uersatum esse Eucherium, ut qui de illo dixerit quod antiquitas amice magis quàm uere de Homero & Apolline ferebat,

D. Ianus à Suolla.

Formulæ spiritales Eucherij locupletissime restitutæ

σὺ χεῖρος ἐχάραξε θεὸς τὰ δὲ πρῶτος ἀοιδός,

Ἤειδον μὲν ἐγὼν ἐχάρασσε δὲ θεῖος Ὅμηρος

Is nequaquam aberrasse, sed recte iudicasse uideri possit. Quemadmodum autem Lacedæmonij domi suæ imagines egregie formosas collocabant, ac

in eas uxores iam uterum gestantes, quàm minime conniuentib. oculis aspicere iubebant, ut hoc ceu remedio quàm pulcherrimam de se sobolem propagarent. Id quod Oppianus poeta pulcherrimis ijs uersiculis exequitur.

Oppianus libro α Cynegeticôn

Ναὶ μὴν ὧδε λάκωνες ἐπίφρονα μητίσαντο
Αἷσι φίλαις ἀλόχοις ὅτε γαστέρα κυμαίνουσι
Γραπτ' ἀντίους πινάκεσσι πέλας θέσαν ἀγλαὰ μορφὴν
Τοὺς πάρος ἀστράψαντας ἐν ἡμερίοισιν ἐφήβους
Νιρέα, καὶ Νάρκισσον, ἐϋμμελίην θ' ὑάκινθον
Κάστορά τ' εὐκόρυθον, καὶ ἀμυκοφόνον πολυδεύκην
Ἠϊθέους τε νέους, τούς τ' ἐν μακάρεσσιν ἀρίστους
Φοῖβον δαφνοκόμην, καὶ κισσοφόρον Διόνυσον.
Αἱ δ' ὑπερτερπνοῦ τε πολυήρατον εἶδος ἰδοῦσαι
Τίκτουσίν τε καλοὺς τῷ κάλλει πεπληγυῖαι.

Ita & Eucherius ad effigiandum, effingẽdumq; hunc animi partum siue ingenij fœtum, præcipuas sibi duas & incredibili uenustate præcellentes imagines proposuit, nimirum, diuos Hieronymum & Augustinum, ex quorum assiduo aspectu, frequentiq; contemplatione sic commẽtarios suos informauit, sic expoliuit, ut nihil ijs uel doctius uel absolutius inueniri possit. Atq; ut eius rei pulcherrimum specimen exhibeam, iam audi, quid acerrimi iudicij uir Erasmus ille Roterodamus tuus, immo noster etiã, in uniuersum de Eucherio sentiat: nam uerba eius, quoniam elegantissima sunt, non grauate apposui. Sic autem ille scribit de epistola Eucherij, quam is Valeriano propinquo suo inscripsit: Nihil uideo profectum à nostræ religionis hominib. qui eloquentiæ quoq; gloria floruerint, quod cum huius phrasi sit conferẽdum: ut nusquam non præstat egregium artificem, siue spectes ordinem, siue transitus subinde nouos, siue non uulgarem ingressum, ueluti limen argumentationis: nullam suasorij generis partem non tractat: nusquam desidet in locis communibus: magis urget & instat argumentis, mire pungit epiphonematis, delectat iuxta ac mouet sententijs: quodq; magis etiam mirandum est, Sic Isocratis schematibus modulata, structa, picturataq; est oratio, ut nusquam frigeat, aut ineptiat: sic arguta, ut interim neruosa: sic elaborata, ut tamen dilucida: sic noua, sed ut tædio careat affectationis: sic festiua, ut nihilo secius grauis, ac seria: sic rhetorica, ut γνησίως tamen Christiana: deniq; sic acris & uehemens, ut sui tamen ubiq; similis pari intentione ad extremum usq; calcem properans, sani uidelicet uegetiq; ingenij argumentum. Hactenus ille de Eucherio. Gennadius nominatim hos libros non recensuit, sed addidit tantũ hunc præterea etiam multa scripsisse, ecclesiasticis studijs cum primis necessaria. Isidorus autem minime malus autor in Catalogo uirorum illustrium, ordine quædam denarrat, quæ noster ille scripserit. Id quod in operis exordio studiosi cognoscent. Accipe itaq; pater amplliss. ac idem

Hieronymum & Augustinũ imitatus Eucherius.

Erasmi Roterodami iudicium de Eucherio

Gennadius

Isidorus in catalogo uirorum illustriũ

optime

optime Princeps Eucherium tuum, tibi tuoq; felicis. nomini per me dicatum: sed & meam in te colendo fidem & obseruantiam, æqui boniq; facito. Nam cũ melioris huius notæ scriptores subinde tibi nuncupo, multa tamen adhuc mihi superesse uideo, quæ pleniore manu studiosis elargiri possim. Certe cum me ipsum tibi trado, do, atq; dedico: id quod iam olim feci, reliquum mihi facio nihil. Dominus Iesus seruet amplitudinem tuam iuuandis studijs, instaurandæ rei Christianæ, reparandæ paci, restituendæq;, per omnes ordines concordiæ, semper saluam & incolumem. Datum Viennæ Austriæ, Ex Regio collegio, Anno à restituta salute M D XXX mensis decembris die XX

EVCHERII VITA È CATALOGO uirorum illustrium Gennadij.

EVCHERIVS Lugdunensis ecclesiæ Episcopus, scripsit ad Valerianum propinquum suum De contemptu mundi, & secularis philosophiæ epistolam unam, scholastico & rationabili sermone. Disseruit etiam ad personam filiorum Salonij,& Veranij, postea episcoporũ, obscura quæque sanctarum capitula scripturarum. Sed & Cassiani quædam opuscula lato tensa eloquio, angusto reuoluens uerbi tramite, in uno coegit uolumine. Aliaq; tam ecclesiasticis studijs necessaria,quàm monasticis. Moritur Valentiniano & Martiano regnantibus.

ISIDORVS EPISCOPVS HISPALENSIS in Catalogo uirorum illustrium.

EVCHERIVS Episcopus Lugdunensis in Gallia, elegans in sententijs,nec minus ornatus in uerbis,ædidit ad Hilarium Arelatensem episcopum solitudinis deserta petentem, opusculum unum De laude eremi,luculentissimum,& dulci sermone compositum:in quo opere laudamus oratorem: etsi pauca, tamen pulchra dicentem. Scripsit aliàs in multos sacros libros Commentaria non minus necessaria quàm utilia, præcipue uero In Genesim, ac libros Regum Ad Salonium & Veranium fratres Episcopos, opus prolixum & doctissimum.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI

De cogni-

FINIS

D. EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVM IN Genesim ad Veranium & Salonium fratres episcopos Liber Primus.



VERENTES MVLTIPLICIA CONGERERE, ne stomachus legẽtium saturatus non solum oblata renuat, sed & ingesta reijciat: priusquàm de mundi principio sit loquendũ, dicendum est contra eos qui ore sacrilego de deo disputare nituntur, dicentes, Quare fecit deus cœlum & terram? Quid faciebat deus antequàm cœlum & terram faceret? Quur noua uoluntas in deo ut conderet mundum exorta est? Sed respondendum est illis: Noua uoluntas in deo exorta non est: quia & si in re mundus non erat, in æterna tamen uoluntate semper erat. Ergo frustra dicitur, quur per tanta retro tempora deo uacante, noua mundũ faciendi orta fuisset cogitatio, quando in suo æterno semper manet consilio mundi cõstructio. nec tempus ante principium, sed æternitas fuit. Tempus enim à substitutione creaturæ, non creatura cœpit à tempore. IN principio fecit deus.) Hic sensus duobus modis sine offensione accipitur: id est, aut primũ omnium fecit: aut in principio, quod est sapientia, id est, in uerbo suo fecit. Ipse est enim filius per quem facta sunt omnia, ipse principium in quo facta sunt omnia. CAP. I De creatione cœli & terræ

Cœlum & terram.) Si primo omnium factum est cœlum & terra, angeli postmodũ facti sunt: si angeli ante facti sunt, non primo omnium fecit deus cœlum & terram. Cœli nomine quidam cœlestem, id est, angelicam creaturam creatam estimant. Ad cuius comparationẽ, cœlum hoc corporeum terra nũcupatur. Terræ autem nomine materiam illam informem insinuat, ex qua hoc uisibile cœlum & terra & uniuersa moles huius mũdi formata est, de qua scribitur, Qui fecisti mũdum de informi materia. Sed materia facta est ex nihilo, mundi autem species de informi materia, quæ cœli & terræ nomine appellata est: non quia iam hoc erat, sed quia iam hoc inde esse poterat. Primo igitur uoluit cœlum & terram uelut quandam spiritalem corporalemq́ materiam dicere, & sic quemadmodum sigillatim facta sunt ordinem texere. Creatura cœli & terræ quomodo historialiter ab exordio principij condita sit legimus, sed qualiter in ecclesia spiritaliter à doctoribus accipiatur, intelligamus. In principio fecit deus cœlũ & terram. Principiũ Christus est, sicut ipse ait in euangelio, Ego principiũ qui & loquor uobis. In hoc igitur principio fecit deus cœlum, id est, spiritales, qui cœlestia meditãtur & quærunt. In ipso fecit & carnales, qui terrenum hominem necdum deposuerunt.

runt. Terra autem erat inanis & uacua.) Id est, adhuc informis erat ipsa materia, quia necdum ex ea cœlum & terra, necdum omnia formata erant, quæ formari restabant. Hæc enim materia ex nihilo facta, præcessit tamen res ex se factas: non quidem æternitate, uel tempore, sicut præcedit lignum arca: sed sola origine, sicut præcedit uox uerbum uel sonus cãtum. Nam qui uiuit in æternum, creauit omnia simul. Terra carnis nostræ inanis erat & uacua, prius quàm doctrinæ acciperet formam. Et tenebræ erant super faciem abyssi.) Hæc tenebrosa abyssus, ipsam adhuc informis materiæ obscuritatem designat, quia nondum ulla species uideri aut tractari poterat. Abyssus namq; immensa aquarũ profunditas appellatur, quia delictorũ cæcitas & ignorantia, profunda obscuritas corda nostra tegebat. Et spiritus dei ferebatur super aquas.) Etiam aquarũ nomine ipsam illam informẽ materiam demonstrat, quæ subiacebat ad uoluntatẽ creatoris ad conformanda in suis generibus omnia. Nam siue terram inanẽ dicas, siue abyssum tenebrosam, siue aquam, diuersa quidem nomina, sed una eademq; materia. Idcirco terra inanis & uacua, quia nondum erat uniuersitate creaturarũ completa. Pro eo abyssus tenebrosa, quia speciem luminis nondum habebat. Pro eo aqua uocata, quia siue caro siue omnia quæ gignuntur humida sunt, & ex humore concreta sunt. Nam & hoc cœlum corporeum, quod firmamentum uocatur, secunda die post conditionem lucis factum est: & hæc terra tunc accepit formam, quando abyssus distincta est. Ipsæ quoq; aquæ tunc speciem sumpserunt, quando in unum sub firmamẽto collectæ sunt: ac per hoc non illud cœlum hoc corporeum cœlum, sed spiritalis intelligenda est creatio angelorum: nec illa terra uel abyssus, hæc uisibilia elementa: sed illud intelligẽdum est, informis & obscura mundi materia. Et tenebræ erant super faciẽ abyssi. Quidam dicere solent, Vnde erant tenebræ antequàm fieret lux? Quis eas fecerat? Aut si nemo fecerat, æternæ sunt. Quibus respõdetur, Non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia hoc nomẽ accepit: sicut enim silentium nihil est, sed ubi uox non est, silẽtium dicitur: sic tenebræ nihil sunt, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Et spiritus dei ferebatur super aquas.) Spiritus sanctus, deus est, qui non loco continetur, aut distenditur, nec temporum mutationibus subiacet, sed est ubiq; præsens ac totus. Superferri autem domini spiritus aquis dicitur: non peruagatione, sed potestate: non localiter, sed potẽtialiter: non per spatia locorum sicut terræ sol superfertur, sed per potentiã sublimitatis suæ. Deus enim non ex indigentia fecit opera sua, sed ex beneficentia atq; omnipotẽtia: qui nihil indigens omnia creat, & misericors cuncta uiuificat, & in plenitudine sancta permanet: non nostris ampliandus laudibus, sed suis innotescendus collaudatur operibus, neq; enim horum indiget quæ facit. Indiguus quippe atq; egenus amor, subijcitur rebus quas diligit. Quamobrem non indiguus amor superfertur rebus quas diligit. Ideo dictum est, superferri creaturæ spiritum sanctum: quia non ex

indigentia

indigentia operatus est ipsam creaturam. Pro eo autem quod in nostris co/dicibus scriptum est, ferebatur: in Hebræo habetur, מְרַחֶפֶת, quod nos ap/pellare possumus, incubabat, siue confouebat, in similitudinem uolucris oua calore animantis. Ex quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, ut nonnul li arbitrantur, sed de spiritu sancto, qui & ipse uiuificator omnium à princi/pio dicitur. Sic autem uiuificator, quasi conditor & deus. Emittis enim (ait scriptura) spiritum tuum, & creabuntur. Notandum quod in ipso exordio cœli & terræ, tota trinitas insinuatur creatoris. Nam pater, in dei intelligitur nomine: filius, in principij: spiritus uero sanctus, qui superferebatur aquis. Spiritus autem dei super cor nostrum tenebrosum & fluidum, quasi super aquas iam superferebatur, in quo subsistentes requiesceremus, cuiusq; uiui/ficaremur flatu, & cuius unda ablueremur. Dixit deus, Fiat lux. Et facta est lux.) Si in die dixit, temporaliter dixit: si temporaliter dixit, per aliquam creaturam dixit. Ergo non est prima creatura lux: quia iam erat, per quam diceret, Fiat lux. Vere enim nec in die dixit, nec temporaliter dixit: quia an/te omnem creaturam uerbum suum genuit. Dictio itaq; dei, uerbum dei est: sed diuina scriptura paruulis congruens, & quodam modo eos lactans, ut proficiant, & cibum spiritalem capiant, uoluit semper per omnem creatu ræ formationem dictionem dei nũcupare. Vt (uerbi causa) si requiras, quo/modo facta est lux? audias, In uerbo dei erat, ut fieret. Quomodo factũ est cœlum? In uerbo dei erat, ut fieret. Et cætera per ordinẽ, si requiras quomo/do facta sunt? In uerbo dei erãt, ut fierẽt. Hoc enim est: Dixit deus, Fiat lux, Dixit, pro fecit, posuit scriptor: ut celeritatem, uel facilitatẽ operis dei osten/deret. Neq; enim corporalibus modis loquitur diuina natura: nec quoties dixit, toties uerba formauit. Vnum enim uerbum genuit coæternum, & con substantiuum sibi, in quo omnia ineffabiliter & intemporaliter dixit. Talis enim dei loquutio non tẽporaliter præteriens sonus, sed sola dictio est ratio nis. Dixit deus, Fiat lux. In hac luce historialiter recapitulatur creatio ange/lorum, qui pro participatione æternæ lucis, lux & dies nuncupati sunt. Quo rum unitas ut ostenderetur, non est dictum, Dies primus: sed, Dies unus. Exoritur autem quæstio de angelis, quomodo in creatione sex dierum præ/termittantur, tanquam non sint in operibus dei? Opus autem dei esse ange los, hymnus trium puerorum testatur. Nam quum prædictum esset, Be/nedicite omnia opera domini domino: in exequutione eorundem operum etiam angelos nominauit. Et in psalmis, quum diceret inter cætera, Lauda/te dominum omnes angeli eius: subiecit, Quoniam ipse dixit, & facta sunt. His ergo exemplis, à deo angeli facti demõstrantur: sed quo die creati sint, nusquam infert. Sed quia in scriptura sancta legitur dixisse deum, Quando facta sunt sydera, laudauerunt me omnes angeli mei: iam erant angeli quar to die, quando sydera condita sunt. Ergo nec die tertia facti sunt. In prom/

De cõditione lucis 11

ptu eſt enim, quod die illa terra ab aquis diſcerpta, pabuli herbam produ-xit. Ergo nec ſecundo die facti ſunt. Tunc enim facto firmamento, diuiſio fuit ſuperiorum atq; inferiorum aquarum. Nil mirum enim ſi in operibus ſex dierum angeli lucis ſignificatione creati intelligūtur: ante omnem enim creaturam facti ſunt, quia prior omnium creata eſt ſapientia: qui propterea dicuntur ſapientia, inhærendo ſcilicet æternæ ſapientiæ. Verumtamen nunquid & ante tempora facti ſunt, quia prior omniū facta eſt ſapientia, prior ſcilicet omnium, etiam & tempore? Oportebat enim ut creatura inconcuſſe adhærens, & ſi non ſuo creatori æqualis, omni ſaltem creatura prior eſſet & melior: qui quidem dum ſint mutabiles natura, facit tamen eos immutabiles atq; incorruptos gratia ſempiterna. Nam ſi natura incommutabiles eſſent, diabolus non utiq; cecidiſſet. Commutabilitati namq; naturæ in eis ſuffragatur cōtemplatio creatoris. Inde priuatus eſt apoſtata angelus, dum fortitudinem ſuam non à deo, ſed à ſe uoluit conſtare. Tantæ enim gratiæ ſunt angeli, ut nec ipſorum acceſſio deceſſio ue fuerit tēporum. Duas enim eſſe res in creaturis conſtat, quarum uiciſſitudo temporum comprehendi non ualet: primum enim angeli, propter quod incommutabiliter inhærent creatori: ſecundum materia illa informis, quia nec eius comprehenditur tempus, prius quàm ex ea omnia iſta formarentur, quæ temporaliter uoluuntur. Dixit quoq; deus, Fiat lux. Id eſt, illuminatio credulitatis appareat. Prima enim die lucem fidei dedit, quia prima eſt in conuerſione fides. Vnde & iſtud primum in dei præceptis mandatū eſt, Dominus deus tuus, deus unus eſt. Propter quam fidem, ipſe dominus etiam uiſibiliter in mundo apparere uoluit. Et uidit deus lucem, quia bona eſt.) Non quod ſubito uiderit deus lucem quod eſſet bona, & uiſio ei contulerit ſcientiam, quum in nobis omne opus præcedat uoluntas noſtra, dum cogitamus, quid operari debeamus. Non enim ignorans aliquis facit aliquid, dum cogitat qualiter fiant, quæ facienda cogitādo diſpoſuit: & quum hoc in hominem cadere non poſſit, ut aliquid ignorans faciat, quanto magis in deum, qui omnia æterno & ſtabili conſilio ſuo facit? Ergo nec diſcit, ſed docet factum in arte faciendum: & nec aliter facta, nec aliter facienda uidit. Eo itaq; modo uidit facta, quo uiderat facienda. Inde eſt quod dicit, Vidit deus quod eſſet bonum: id eſt, in ea bonitate placuit, ut maneret: in qua placuit, ut fieret, quod fecit. Et diuiſit lucem à tenebris.) Diuiſio lucis à tenebris, boni angeli ſeparati à malis. Et quia ex his quoſdam præſciebat per ſuperbiam caſuros, per incommutabilitatem præſcientiæ ſuæ diuiſit inter bonos & malos. Malos igitur appellans tenebras, bonos appellans lucem, in his dicens, Vidit deus, quia boni ſunt. In illis nullatenus dicens, ſicut in omnibus operibus dei, Vidit deus quia bonum eſt: ne malum præuaricatorum uideretur approbare angelorum. Et diuiſit lucem à tenebris. Tunc iam deus iuxta præ-

ſcientiæ

ſcientiæ ſuæ gratiam diuiſit inter lucem & tenebras, id eſt, filios dei & lucis à peccatoribus, tanquam à tenebris, Iuſtos uocans diem, & illos noctem. Nam quia in eccleſia lucis nomine iuſti appellentur, audi apoſtolum, Fuiſtis, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Sequitur, Factum eſt ueſpere & mane.) Veſpere, conditæ creaturæ terminus: mane, initium condendæ creaturæ alterius. Quærunt aliqui, quum primum ueſperum, poſtea mane, ſcriptura cõmemorauerit: ne fortè noctem prius quàm diem ſignificare uideatur. Nec aduertunt primum, quod præmiſerit diem, dicendo, Et uocauit deus diem, lucem: & tenebras, noctem. Inde eſt quod ueſpera finis diei ſit, & mane finis noctis. Ergo ut beneficium ante oblatum prærogatiuæ & primatus natiuitatis diei daret, prius finem diei ſignificauit, poſt quem ſequutura nox eſſet. Deinde poſtea finem noctis adiunxit, dicendo, Factumq́ eſt ueſpere & mane dies unus.) Dies iſte unus prior factus, propter concordiam reſiduorum angelorum ſic appellatus eſt. Quorum propter unitatem inſinuandam non dies primus, ſed dies dictus eſt unus, & idcirco ipſe repetitur ſemper in exequutione creaturarum: quia ipſe dies, hoc eſt, natura angelorum, quando creaturam ipſam, quam deus faciebat, contemplabatur, quodammodo ueſperaſcebat. Verumtamen, quia non permanebat in eius creaturæ intuitu, ſed laudem eius ad deum referens, ipſam melius in diuina ratione conſpiciebat, tunc continuo quaſi mane fiebat. Nam ſi permaneret neglecto creatore in aſpectu creaturæ, iam non ueſpera, ſed nox utiq́ fieret. Sequitur, Dixit quoque deus, Fiat firmamentum.) Firmamenti nomine, cœlum ſignificauit: pro eo quod fortiter & firme compoſitum eſt. Maximeq́ propterea uocatum eſt firmamentum, propter firmitatem, ſiue ſuſtentationem & intranſgreſſibilem terminum ſuperiorum aquarum. Et fecit deus firmamentum, diuiſitq́ aquas ab aquis quæ erant ſub firmamento.) Iam quia addidit, Et diuiſit aquas ab aquis: quærendum eſt, utrum hunc aerem nebuloſum nominet firmamentum, qui diuidit aquas ſuperiores nubium ab inferioribus quæ in terris fluunt. Nam & ipſe aer cœlum uocatur, ſicut legimus, Volucres cœli: dum nõ de illo ſuperiore dicatur, ſed de iſto in quo aues uolitant. Vnde quæri poteſt, quomodo elementum aquæ poſſit eſſe ſupra cœlos. Aqua enim cedit terræ, & aer cedit aquæ, & ignis cedit aeri. Vnde impoſſibile uidetur, ut ſecundum elementum, quod eſt aqua, ſit ſupra quartum, quod eſt ignis. Quomodo & quales ſint aquæ illæ, quas ſcriptura dicit ſupra cœlos, eſſe eas ibidem minime dubitamus: quæ non locorum ſedibus, ſed dignitate naturæ, uidētur ſupra cœlos. Sicut enim nubes iſtæ, quæ ubique ſunt, feruntur ſuper aerem, quod eſt tertium elementum: ita fieri poſſe arbitror, ut aquæ tenues atq; ſubtiles ferantur ſuper cœlum. Nam ex hoc pondere elementorum, multi philoſophorum reſurrectionem carnis illudentes

De firmamento III

 dentes

dentes,non posse fieri inquiunt,ut homo qui utiq; ex terra factus est,sit in cœlo. Sed hos ueritas conuincit, qui facit multa animalia terrena uolitare in aere,& aquam esse supra aerem, & ignem quod est utique quartum elementum,esse in terra. Ergo dei potentia, quæ hæc facere approbatur, facit ut & homo & aqua sit supra cœlum. Aquas uero istas uisibiles quidam impie negant factas esse à deo: pro eo quod in Genesi non commemorantur ubi sint factæ: pro eo quod scriptum non est, Dixit deus fiant aquæ. Quibus ita respondendum est: Quia dum dictum est, In principio fecit deus cœlum & terram: illic & aquæ intelligendæ sunt. Vno enim nomine utrumque comprehensum est,tropo metonymico: quasi per ea quæ continent,id quod continetur. Nam ipsius est mare,& ipse fecit illud. Sequitur, Vocauitq; deus firmamentum, cœlum.) Quid est quod cœlum factum dicit: & hoc,firmamentum postmodum uocatur? nisi quia natura angelica,quæ prius mirabiliter est condita,ne cadere unquam possit,postmodum est mirabilius confirmata. Firmamentum, id est, solidamentum sanctarum scripturarum. Firmamentum, in ecclesia scripturæ diuinæ intelliguntur: sicut scriptũ est, Cœlum plicabitur sicut liber. Discreuitq; super hoc firmamentum aquas: id est,cœlestes populos angelorum, qui non opus habent hoc suscipere firmamentum,ut legentes audiant uerbum dei: uident enim eum semper, & diligunt. Sed superposuit ipsum firmamentum legis suæ super infirmitatem inferiorum populorum, ut ibi suspicientes, cognoscant qualiter discernant inter carnalia & spiritalia,quasi super aquas superiores & inferiores. Sequitur, Dixit quoq; deus, Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt,in locum unum.) Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in unum? Sed iam superius dictũ est,quod super aquam ferebatur spiritus dei,unde erat deus omnia formaturus. Nunc uero quum dicitur, Congregentur in locum unum: hoc dicitur,ut illa materia incorporalis formaretur in ea specie, quam habent istæ aquæ uisibiles. Ipsæ enim congregatæ in unum, ipsa est aquarum formatio harum,quas uidemus & tangimus. Appareat arida.) Quid hic aliud intelligendum est, nisi ut illa materia accipiat uisibilem formam, quam nunc terram istam uidemus habere? Superius enim quando cognominabatur terra, Inanis & uacua, ipsa rerum materia nominabatur, nondum generibus creaturarum completa corporalium: & quod nominabatur aqua,supra quam ferebatur spiritus dei,eadem rursus materia nominabatur. Nunc uero aqua ista, & terra,formatur ex illa materia,quæ ipsis nominibus appellabatur, antequàm formam aquæ istæ, quas nunc uidemus, acciperent. Et uocauit aridam, terram.) Terra ideo uocatur arida,quia sicut ignis calorem,& aqua humorem: ita terra naturaliter habet siccitatem. Congregationes quoq; aquarum appel-

De congregatione aquarũ in locũ unum IIII

rum, appellauit maria.) Notandum quod omnis aquarũm congregatio, in Hebræa loquutione, maria nuncupentur. Et uidit deus, quia bona est.) Docet bonum esse quod fecit, non discit. Germinet terra herbam uirentem & facientem semen, lignum pomiferum faciens fructum.) Bene dixit, Herbam uirentem, & lignum pomiferum. Terra arida & fructuosa, per peccatum hominis maledicta, produxit tribulos & spinas. Vnde quæstio nascitur, Quum deus septima die requieuerit ab omni opere suo, quomodo hæc postmodum condidit noua? Quamuis enim propter peccatum hominis hæc condita dicantur, nihil tamen postmodum creatum est nouum: quia non post peccatum hominis, quasi ad pœnam eius creatum sit aliquid nouum: maxime dum in eundem locum non dicatur, Spinas & tribulos pariat terra: sed, Pariet tibi terra: quasi diceret, Incipiet tibi nasci ad laboris exitium, quod olim creatum est ad pabulum iumentorum. Herbæ autem uenenosæ, quanquam ad pœnam, uel exitium mortalium sint creatæ, habent tamen ipsæ quædam remedia salubritatũ: & quæ non præstant escam, medicinam ministrant: & quæ noxia sunt usibus hominum, innoxium præbent feris & auibus pabulum. Iuxta genus suum.) Vt esset nascentibus singulis uirtus seminaria, & secundum genus eorum similia nascerentur, distincta similitudine, sicut origine. Post hæc, die tertio collegit in unum aquas inferiores salsas: hoc est, homines infideles, qui cupiditatum tempestate, & tentationum carnalium fluctibus quatiuntur, & in scipsis quasi amaritudo includuntur. Segregauitq; ab eis aridam. Populum scilicet fontem fidei sitientem. Fixitq; dehinc superborum limites, & coërcuit eos: ne turbulentis iniquitatum suarum fluctibus, aridam, id est, animam sitientem deum conturbent: liceatq; ei germinare bonorum operum fructus, secundum genus suum. Diligens proximum in subsidijs necessitatum carnalium, habens in se semen secundum similitudinem, ut ex sua infirmitate compatiatur ad subueniendum indigentibus. Producens & lignum forte robore, & fructiferum, id est, beneficum, ad eripiendum eum qui iniuriam patitur, de manu potentis, & præbendo protectionis speciem umbraculo ualido, robore iusti iudicij. Sequitur, Dixit autem deus, Fiant luminaria in firmamento cœli.) Si quarto die facta sunt luminaria, quomodo tres dies iam ante fuerũt? Nisi ut intelligamus in ipsa hora temporis, ipsas operum distinctiones ita appellatas: uesperum, propter transactionem consummati operis: mane, propter inchoationem futuri diei: in similitudinem humanorum operum, quod pleriq; mane incipiunt, & in uesperum desinunt. Et diuidant diem ac noctem.) Quasi diceret, Sic diuidant inter diem & noctem, ut soli dies detur, nox uero lunæ & ætheribus cæteris. Et sint in signa & tempora, in dies & annos.)

De creatione solis & lunæ & stellarum. V.

In ſigna, ſcilicet quẽmadmodum ex ſole & luna aliqua ſigna colliguntur: iuxta quod & dominus ait, Erunt ſigna in ſole & luna & in ſtellis. per quod ſignificaretur tempus futuræ conſummationis. Signa, pro eo quod aliquid ſignificant futurum. Vel quod articuli temporum per ſyderum curſus notantur. Non autem ea ſigna, quibus nonnulli tentauerunt natiuitates exprimere hominum & qualitates. Et addidit, Vt ſint in ſigna & tempora. ſcilicet ut tempora diſtinguantur in uicibus mutationum, hyemis, uerni, æſtatis, autumni. In iſtis igitur temporibus, aut uelocior eſt tranſitus ſolis, aut tardior, aut æqualis. Alia enim præſtringit radijs ſuis, alia inflammat caloribus, alia temperie fouet. In ſigna, & in dies. Vt ſol in eo habeat diei principatum. In annos. Quia luna per tricenos dies duodecies currens, annum conficit. Sol autem expleto per omnia ſigna circuitu, ad idem principium curſus ſui recurrit. Signa autem & tempora, pertinent ad omnia ſydera. Dies uero, ad ſolem tantummodo. Annus autem, ad curſum ſolis & lunæ. Luminare maius, ut præeſſet diei.) Vtiq;, quia per diem ſol principatum tenet. Luminare minus, ut præeſſet nocti & ſtellis.) Quia luna per noctem principatum tenet, quamuis cætera ſydera cum ea pariter fulgeant. Quarto die emicuerunt luminaria, firmamento legis infixa: id eſt, euangeliſtæ, doctores ſcripturæ ſanctæ cohærentes diſputando, & omnibus inferioribus lumen ſapientiæ demonſtrantes. Protulit etiam ſimul & cæteram micantium ſyderum turbam: id eſt, diuerſarum uirtutum in eccleſia numeroſitatem, quæ in huius uitæ obſcuritate, tanquam in nocte refulgentes, diuidant in hoc firmamento ſcripturæ, ſenſibilia, & intelligibilia: quaſi inter lucem perfectorũ, & tenebras prauorum. Et ſunt in ſignis, uirtutum & miraculorum: quia prædicatores proprijs temporibus uiuunt: uerbum autem domini manet in æternum. Quare autem primo terra germinauit, deinde facta ſunt luminaria? niſi quia poſt opera bona, uenit illuminatio lucis ad contemplandam ſpeciem ſupernæ uirtutis. Sequitur,

De eo quod ſcriptum eſt, Producant aquæ reptile animæ uiuentis VI

Dixit etiam deus, Producant aquæ reptile animæ uiuentis, & uolatile ſuper terram.) Quod uolatilia ab aquis producta ſcribuntur, aer in quo aues uolitant, à ſapientibus cum aquis deputatur: pro eo quod aquarum humida exſolutione pingueſcit, ut uolatus auium ſuſtinere poſſit. Ob hoc non immerito piſces & uolucres de aquis nata eſſe commemorantur: quia una eſt aeris aquarum ue natura. Sed quicquid aquarum undoſum & fluidum eſt, reptilibus deputatum eſt: quicquid uero uaporaliter ſuſpenſum eſt, auibus diſtributum eſt. In ſpecies ſuas ſecũdum genus ſuum.) Quia ita creata ſunt, ut ex eis alia generentur, quæ & formam ſeruarent poſteritatis, & ſpecie diſtinguerentur à cæteris. Inter hæc die quinta, facta ſunt in aquis reptilia animarũ uiuarum: homines ſcilicet renouati in uitam per baptiſmi ſacramentum. Facta ſunt & uolatilia, id eſt, ſanctæ animæ ad ſuperna uolantes.

na uolantes. Sequitur, Dixit quoq; deus, Producat terra animam ui-uentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ.) Hæc tria gene-raliter distinguit. In iumentis enim, animalia quæ in usus hominum sunt. In reptilibus, serpentes. In bestijs, leones, pardos, tygrides, uel quicquid ore uel unguibus sæuit. Quum omnia legantur bona à deo creata, quare quædam noxia inueniuntur? An fortè in primordio innocua facta sunt, & post peccatum nocere cœperunt? Bona enim condita sunt, sed male agenti bus data sunt in flagellum. Hinc per prophetam dicitur, Ego dominus fa-ciens pacem, & creans malum. Creare se dominus mala insinuat, dum bo-na condita, peccatoribus in flagellum format: ut ea ipsa & per dolorem quo feriunt, delinquentibus mala sint: & per naturam qua existunt, bona. Quæ-ritur adhuc, & si nobis pro peccato nocent, quare sibi inuicem nocent? nisi quia aliæ in cibum sunt aliarum datæ. Omnia in suo genere pulchra sunt, quamuis nobis pro peccatis uideantur aduersa. De minutissimis animali-bus credendum est, quæcunque ex aquis uel terris nunc nascuntur in pri-ma rerum conditione fuisse creata. Cætera uero quæ de uitijs corporum uel lignorum uel cadauerum nascuntur putredine, non tunc creata sunt in spe-cie, sed inerat in eorum corporibus præsens seminis origo, ut consequenter de eorum corruptionibus pro suo quocp genere exorirentur. Post hæc se-xta die producit terra animã uiuam, quando caro nostra abstinens ab ope-ribus mortuis uiua uirtutũ germina parturit, secundum genus scilicet suum, id est, uitam imitando sanctorum, sicut apostolus ait, Imitatores mei esto-te, Secundum nostrum quippe genus uiuimus, quando in opere bono san-ctos uiros quasi proximos imitamur. Deinde produxit terra bestias, homi nes in potentia rerum siue ferocitate superbiæ: similiter & pecora, fideles in simplicitate uitæ uiuentes: serpentes quoq; innoxios, sanctos uidelicet uiros astutiæ uiuacitate bonum à malo discernentes, & inquãtum fas est reptan-do scrutantes terrena, per quæ intelligant sempiterna, non illos uenenosos, qui se in huius mundi cupiditatibus terrenis collocant. Sequitur, Facia-mus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.) Quare de solo homine dictum est, Faciamus hominem: de alijs autem creaturis legitur, Dixit deus ut fierent, & facta sunt? Videlicet quia rationabilis creatura con debatur, ut cum consilio facta uideretur, & ut nobilitas eius ostenderetur. Nunquid angelis dictum est, Faciamus hominem? Sed quia sequitur, Ad imaginem nostram: nefas est credere ad imaginem angelorum hominem fuisse creatum, sed ad imaginem dei. Recte ergo intelligitur pluralitas trini-tatis: quæ tamen trinitas quia unus est deus, etiã quum dixisset, Faciamus: addidit, Et fecit deus, inquit, hominem ad imaginem suam: ad imaginẽ dei creauit illum. non dixit, fecerunt. Ergo quia fiebat ad imaginẽ dei, id est, tri-nitatis: propterea dictum est, Ad imaginẽ & similitudinẽ nostram. Sed in

Item de pro-ductione ani-mæ uiuẽtis in genere suo VII

De eo quod scriptum est, Faciamus ho-minẽ ad ima-ginẽ & simili-tudinẽ nostrã VIII

interiore

interiore homine est conditoris sui imago: imago in immortalitate, similitudo in moribus. Rursus autem, ne in trinitate credentes, arbitrarentur tres deos, quum sit eadem trinitas unus deus, Et fecit, inquit, deus hominem ad imaginem suam. Ac si diceret, ad imaginem dei. Inter similitudinem & imaginem hoc interest: Imago dei omnium, similitudo paucorum. Hæc namq; imago dei ab excellentia diuinæ similitudinis distat, quod imago dei, anima peccatrix esse desinit. Ad dei autem similitudinē, nisi anima sancta fuerit, non peruenit: quia illa anima creata est per naturam, hæc dabitur consummari per gratiam. Quoniam si nihil est aliud imago dei, quàm mens naturaliter animæ humanæ collata, quid aliud erit similitudo, nisi feliciter beatitudo conferenda? Et ideo quidem est magnum, quod hominis mens facta ad imaginem dei data sit in natura, cuius priuilegio carent animalia cætera: sed illud est multo præstantius, quod ei similitudo danda sit sui creatoris in gloria, ut ibi sit suo creatori similis, ubi erit angelis sanctis æqualis. Quæri etiam potest, quur homo sexto die creatus est, dum constat, quod propter intelligentiam nobilior est cæteris creaturis, quæ in sex diebus factæ sunt? nisi ut primo creator, mundum quasi domum præpararet: & sic post introduceret habitatorem, id est, dominum domus. Fecit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Non enim secundum formam corporis, homo factus est ad imaginem dei, sed secundum rationabilem mentem: iuxta quod ait apostolus, Renouamini spiritus mentis uestræ. Et, Induite nouum hominem, qui secundum deum creatus est. Et alibi, Exuentes uos, inquit, ueterem hominem, induite nouum, qui renouatur in agnitionem dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum. Hinc apparet quod non secundum corpus, sed secundum intellectum mentis, ad imaginem dei factus est homo: quamuis & ipsum corpus nostrum ita sit fabricatum, ut ostendat nos meliores esse, quàm bestias, & propterea dissimiles. Illa enim omnia inclinata sunt ad terram: hominis autem corpus erectum est: quod significat animam nostram in supernis, id est, ad spiritalia debere semper esse erectam. Ad imaginem dei creauit illum.) Hic homo secundum animam, causali ratione creatur. Nam adhuc sequitur, ut de limo formetur.

Masculum & fœminam fecit eos.) Necdum enim Eua facta describitur, quomodo hic masculus & fœmina perhibetur? Sed quia de eodem latere erat fœmina processura, in illo iam computatur per substantiam, à quo erat producenda per formam. Ergo secundum originem Adam & Eua simul facti sunt, secundum speciem uero formæ, postea fœmina de latere uiri formata est. Benedixitq; illis deus, & ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram.) Quidam nostri non secundum carnalem fœcunditatem uolunt intelligi, sed animæ: ut est illud, Multiplicabis in anima mea uirtutem, ut hic quod sequitur, Et implete terram. Terram intelligunt carnem,

quàm implet anima, & dominatur, quum in uirtute multiplicatur. Carnalem autem fœtum, non tunc naſci potuiſſe in paradiſo, ſed foris gignere, ſicut factum eſt. Nos autem non dubitamus ſecundum benedictionem dei corporaliter potuiſſe illos in paradiſo multiplicari, & ſi non peccaſſent coituros ſine ulla libidinis perturbatione, ut mēbra ſola uoluntas, non libido moueret. Illud tamen credendum eſt, quod tanta multitudo naſci potuit hominum, quo ad uſq; prædeſtinatorū ſanctorum numerus compleretur, quanti & nunc per dei gratiā colliguntur. Et dominamini piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuerſis animalibus.) Saluo intellectu quo omnibus animātibus homo dominatur: ſpiritaliter uero omnes affectiones & motus animæ, quos habemus iſtis animalibus ſimiles, ſubditos haberent, & dominarentur eorum per temperantiam. Quomodo accepit poteſtatem beſtiarum, dum uideamus ab eis multos occidi? Poſt peccatum enim primus homo damnatus amiſit perfectionē illam qua ad imaginem dei fuerat factus ut omnibus dominaretur. Merito enim peccatorum actum eſt, ut naturaliter proſpera efficerentur homini aduerſa. Vidit deus omnia quæ fecit, & erant ualde bona.) Attende uniuerſalem creaturā ualde bonam uocari, ſingulariter uero tantum bonam. Quare ita, niſi quia omnis pulchritudo quæ in partibus cōſtat, minus eſt laudabilis in parte quàm in toto: ſicut & membra corporis quum ſint ſingula bona, maius tamē faciunt bonū, dum unum ualde bonum corpus efficiunt & pulchritudinem ſuam uniuerſaliter conferunt. Ante erant ſingula bona, propter hominem omnia ualde bona, quia omnia in decorem hominis creata ſunt. Homo uero in gloriam & laudem conditoris ſui factus eſt. Sequitur,

CAP. II De perfectione cœli & terræ IX

IGITVR perfecti ſunt cœli & terra.) Bene pluraliter cœlos poſuit, ſiue illud cœlum ſpiritale, quod non uidemus, per quod angeli ſignificati ſunt: ſiue hoc corporeum, quod uidemus, quod firmamentum eſt uocatum. Et omnis ornatus eorum.) Ornatus ſpiritalis cœli, angeli ſunt, & principatus: huius corporei cœli ornatus, ſydera, ſol, & luna. Ornatus autem terræ, maria, erecta montium, ſubducta uallium, denſa camporum, lapſus amnium, fontium iugitates, pratorum gemmæ, frugum uarietates, umbræ arborum, genera ſeminum, diuerſitas animalium ſpecie atque genere inuicem differentium. Quod autem creatura hominis ſexta die perfecta eſt, ſenario numero conuenit: & ſenarius numerus mundi eſt perfectio, quia in ipſo die totius generis atque operis ſumma completa eſt. Vnde & ſpecialem quandam tenet huius numeri perfectio dignitatem. Vnum enim & duo & tria, ſex faciunt. Habet enim tres partes tales, ſextam, tertiam, & dimidiam. Sexta eius unus eſt, tertia duo, dimidia tres. Hæ trium partes in ſumma ducta; id eſt, unum, duo, & tria, ſimul eundem conſummant, perficiúntque ſenarium numerum, quæ eſt ratio in reliquarum partium numero. Igitur diuiſio duorum, in unum eſt: diuiſio trium, in unum eſt. Quid aliud hic

numerus

numerus ostẽdit, nisi trinitatem quæ deus est? Quæ quamuis tres sint personæ, in una tamen creduntur unitate naturæ. Vnum ergo & duo & tria, sex faciũt. Ideoq; propter eius numeri perfectionẽ, sex diebus operatus est omnem creaturam. Tres istæ partes senarij numeri, demonstrant nobis trinitatem domini. In trinitate numeri, mensuræ, & ponderis fecisse omnem creaturam: omnia in numero & mẽsura & pondere disposuit, idem quia omnia in se disposuit: quia omnia quæ fecit, numeros & mensuram & pondus habent. Post hæc fecit deus hominem ad imaginem suam, perfectum scilicet uirum, qui non quemlibet sanctorũ uirorum imitando sed ipsam ueritatem contẽplabiliter intuendo, operatur iustitiam, ut ipsam intelligat & sequatur, ad cuius imaginẽ factus est, ueritatem. Iste etiam accipit potestatẽ piscium maris & uolatiliũ cœli, pecorum quoq; atq; serpẽtium: quia spiritalis quisq; effectus, & deo similis factus, secũdum apostolũ Iudicat omnia, ipse autem iudicatur à nemine. Quod uero sequitur, Masculum & fœminã fecit eos: in ecclesia spiritales & obediẽtes ostendit: quia sicut uiro subdita est mulier, sic & spiritali & perfecto uiro obediens est is qui minus perfectus est, sicut apostolus ait, Rogamus uos fratres, ut cognoscatis eos qui in uobis laborant, & præsunt uobis in domino. Dicitur enim eis, Crescite & multiplicamini: siue in linguis, siue in spiritalibus intelligentiæ gradibus. ut dominentur per rationis intellectum, omnium carnalium perturbationum, quasi insensibilium animantium. Omnis autem herba seminalis, & omne lignum fructuosum, quod datum est hominibus in escam, fideles sunt, de oblationibus sanctorum communicantes. Vnde & apostolus ait, Nam si in spiritalibus participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis. Hæc sunt ligna fructifera. In istis ergo gradibus tanquam in quibusdam diebus uespera est, ipsa perfectio singulorũ operum: & mane, inchoatio sequentium. Sequitur, Compleuitq; deus die septimo opus suũ quod fecerat.) Arguuntur Iudæi qui de otio sabbati gloriãtur, cum & tunc in principio sabbatum dissolutũ est, dum deus operatur in sabbato cõplens in eo opera sua. Requieuitq; deus ab uniuerso opere.) Siue translato genere loquutionis, ipse requiescere creditur, quando nos in se facit requiescere: siue quod ipse, per quem omnia facta sunt, ipsa die in sepulchro quieuit: siue quia omniũ creaturarum ita in ipsis sex diebus expleuit originem, ut nouam deinceps non conderet creaturam. Sed quomodo conueniat illud quod dominus in euangelio ait, Pater meus usq; modo operatur, & ego operor: cum hoc quod ait, Requieuit deus ab operibus suis. Requieuit scilicet, quia deinceps nullã nouam condidit creaturam, Operatur autem usq; nunc, quia omnia ex eis facit, quæ in illis sex diebus mysticis fecit. Ergo requieuit à condendis generibus creaturæ, non autem cessauit ab opere regendi uel administrandi omnia quæ creauit. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit eum.) Quur dominus sanctificauit diem quietis suæ, nisi quia se creaturæ quã fecit diligen-

De cõpletione operum in die septimo

umd

dum præposuit, non sanctificãs diem qua ea facienda inchoauit, nec illum in quo ea perfecit, ne illis aut faciendis uel factis augmento eius gaudere uideretur, sed tunc sanctificauit, quando ab ipsis in se ipso requieuit. Post istorum itaq; quasi sex dierum opera bona ualde sperat homo quietẽ mentis, constitutus in paradiso spiritali, quo significatur uita beata: ubi fons est sapiẽtiæ diuisus in quatuor partes uirtutum, ubi edat ligni uitæ gratiam, ubi utiles disciplinas morum, quasi fructus lignorum carpat. Est namq; paradisus uita beatorum, quatuor flumina quatuor uirtutes, ligna eius omnes utiles disciplinæ, lignorum fructus mores piorum: lignum uitæ ipsa bonorum omnium mater sapientia est, de qua scriptum est Salomone dicente, Lignum uitæ est his qui apprehendunt eam, & qui tenuerit eam beatus. Lignum scientiæ boni & mali, transgressio est mãdati. Expleta hactenus sex dierum opera, qualiter in ecclesia spiritaliter intelligantur exposita sunt. Deinde quid in figura seculi significent, subijciendum est. Sex diebus consummauit deus omnia opera sua, & septimo requieuit. Sex ætatibus humanum genus in hoc seculo per successiones temporum dei opera insinuant: quarum prima est ab Adam usq; ad Noe, secunda à Noe usq; ad Abraham, tertia ab Abraham usq; ad Dauid, quarta à Dauid usq; ad trãsmigrationem Babyloniæ, quinta deinde usq; ad humilem aduentum domini nostri Iesu Christi, sexta quæ nunc agitur usq; quo mundus finiatur, donec excelsus ueniat ad iudicium: septima uero intelligitur in requie sanctorum, quæ scilicet uesperã non habet, quia eam iam nullus terminus claudit. Pergamus ergo breuiter per has mundi omnes ætates, replicantes ordinem temporum earum, & mystice eius differentias distinguamus. Primo enim seculo, factus est tanquã lux homo in paradiso. In qua ætate filios dei in lucis nomine diuisit deus à filijs hominũ quasi à tenebris, fitq; huius diei uespera diluuium. Secũdum seculum est factum, quasi firmamentum inter aquam & aquam. Arca utiq; illa quæ natauit inter pluuiam & maria, & anterioribus populis propter immanitatẽ scelerum finem imposuit, & posterioribus post Noe ac filijs eius principiũ dedit. Huius uespera, fuit confusio linguarum. Tertium seculum factũ est, quando separauit populũ suum à gentibus per Abraham uelut à salsis & amarissimis aquis, quasi aridam ab aquis, ut proferret germẽ herbarum atq; lignorum, id est, sanctos, & fructus sanctarum scripturarum. Huius uespera, fuit peccatũ atq; malicia pessimi regis Saul. Inde quartum cœpit seculum à Dauid, quando cõstituit deus luminaria in firmamento cœli: id est, splendorem regni tanquã solis excellentiam, & in specie lunæ obtemperantẽ tanquam lunam synagogam, & stellas principes eius. Cuius ætatis fit uespera in peccatis regum, quibus gens illa meruit captiuari. Porrò quinto seculo, id est, in transmigratione Babyloniæ, facta sunt quasi animalia in aquis & uolatilia cœli: quia tunc Iudæi inter gẽtes tanquam in mari uiuere cœperunt, nec habebant stabilem locum tanquã uolantes aues. Huius diei quasi uespera est multiplicatio peccatorum in populo Iu

dæorum, quando ſic excæcati ſunt, ut etiam dominum Ieſum non poſſent agnoſcere. Iam ſeculū ſextum fit, in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti. Nam ſicut in illa ſexta die primus homo Adam de limo terræ ad imaginē dei formatus eſt: ſic in iſta ſexta ſeculi ætate ſecundus Adam, id eſt, Chriſtus, in carne de Maria uirgine natus eſt. Ille in animam uiuentem, hic in ſpiritum uiuificantem. Et ſicut in illa die fit anima uiua, ſic & in iſto ſeculo uitam deſiderantes æternam. Et ſicut in illa ſexta die ſerpentium & ferarum genera terra produxit, ita & in hac ſexta ætate ſeculi gentes uitam appetentes æternam eccleſia generauit: quem etiam ſenſum uas Petro oſtēſum manifeſtauit. Et quemadmodum die ſexta creatur maſculus & fœmina, ſic in iſta ſexta ſeculi ætate manifeſtatur Chriſtus & eccleſia. Et ſicuti præponitur homo in die illa pecoribus, ſerpentibus, & cœli uolatilibus: ita & Chriſtus in hac ætate ſeculi gentibus, populis, & nationibus ut ab eo regantur: uel carnali concupiſcentiæ dediti ſicuti pecora: uel terrena curioſitate obſcurati, quaſi ſerpentes: uel elati ſuperbia, quaſi aues. Et ſicut in illa die paſcitur homo, & animalia quæ cum illo ſūt herbis ſeminalibus & lignis fructiferis & herbis uiridibus: ſic & iſta ſexta ſeculi ætate, ſpiritalis homo, qui bonus miniſter eſt Ieſu Chriſti, cum ipſo populo ſpiritaliter paſcitur ſanctarum ſcripturarum alimentis, & lege diuina ad concupiſcendam fœcunditatē rationum atq; ſermonum, tanquam herbis ſeminalibus: partim ad utilitatem morum cōuerſationis humanæ, tanquam lignis fructiferis: partim ad uigorem fidei, ſpei, & charitatis in uitam æternam, tanquam herbis uiridibus, quæ nullo æſtu tribulationum areſcunt: ſic in iſtis ſpiritalibus cibis alimentiſq; paſcitur, ut multa intelligat. Carnales autem, id eſt, paruuli in Chriſto, tanquam pecus dei, ut multa credat quæ necdum intelligere ualet, uel poteſt: tamen eoſdem cibos omnes habent. Huius ætatis autem quaſi ueſpera, utinam nos non inueniat. Illa eſt enim de qua dominus dicit, Putas ne ueniens filius hominis inueniet fidem ſuper terram? Poſt illā ueſperam fiet mane, quādo ipſe dominus in claritate uenturus eſt. Tunc requieſcent cum Chriſto ab omnibus operibus ſuis, ij quibus dictū eſt, Eſtote perfecti, ſicut & pater ueſter qui in cœlis eſt. Tales enim faciunt opera bona ualde. Poſt talia enim opera, ſperanda eſt requies in die ſeptimo, qui ueſperam non habet. Sequitur, Iſtæ generationes cœli & terræ, quando creatæ ſunt, in die qua fecit deus cœlū & terram.) Qui enim ſuperius per dies ſingulos diſtincte omnia condita retulit, qualiter nunc ſimul omnia uno die creata ſint, ſubiunxit: ut aliquando oſtenderet, quod creatura omnis ſimul per ſubſtantiam extitit, ſed non ſimul per ſpeciem proceſſit. Rerum quippe origo ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecie formata non eſt: & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ. Quum enim ſimul factum cœlum & terra ſcribitur, ſimul & ſpiritalia & corporalia, ſimul quicquid de cœlo oritur, ſimul factum quicquid de terra producitur, indicatur. Sydera quippe, quarta die in cœlo facta perhibentur. Sed quod quarto die proceſſit

De generatione cœli & terræ quando creata ſunt

XI

in ſpecie,

in specie, primo die in cœlis extitit per substantiæ conditionem. Sic & cætera. Scriptum est enim, Qui uiuit in æternum, creauit omnia simul. In die quo fecit omne uirgultum agri, antequàm oriretur in terra, omnemq́ꝫ herbam regionis, prius quàm germinaret.) Quomodo herba & uiridia agri antequàm exorirentur condita sunt? Et si non erant exorta, quomodo erant facta? Nisi quia causaliter in illo die quando dictum est, Producat terra herbam uirentem: tunc eam producendi accepit uirtutem: & in ea tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quæ per tempora futura erant. Non enim pluerat dominus deus super terram, & homo non erat qui operaretur eam.) Quur quod iam sexta die factũ fuerat, hoc recapitulando commemorat? Nisi quia quando fecit deus uiridia agri nondum pluerat, nondum homo factus fuerat. Sed fons ascendebat de terra, irrigans uniuersam superficiem terræ.) Fontem, singularem numerum pro plurali posuit: quasi diceret, Nondum pluuia erat, sed fontes per uniuersam terram suis quibusq́ꝫ locis erumpẽtes, regiones proprias irrigabant. Noluit hic fontes appellare, sed fontem, propter naturæ unitatem. Vel certe, ut intelligeremus quantum prima terræ generatio à posteriore distet, quæ morulis ad pluuiarum irrigationem uix tandem & tarde perficitur. Illa uero ad iubentis imperium mox exorta apparuit. Istæ generationes cœli & terræ, quando creatæ sunt, in die quo fecit deus cœlum & terram, & omne uirgultum agri, omnemq́ꝫ herbam regionis, antequàm esset super terram. Superius septem dies numerati sunt: nunc unus dies dicitur, Quo fecit cœlum & terram, & omne uirgultum agri, omnemq́ꝫ herbam regionis. Huius diei nomine secundũ prophetam, omne tempus huius uitæ significatur, in quo cœlum & terra factum, id est, in quo creaturæ uisibiles disponuntur. Sed quid sibi uult, quod nunc nominato cœlo & terra, adiecit, Virgultum agri, & herbam regionis: & tacuit cætera quæ sunt in cœlo & terra, uel etiam in mari? Nisi quia per uirgultum agri, inuisibilem creaturam demonstrat intelligi, sicut est anima: dicta autem uirgultum, propter uigorem uitæ: herba, propter eandem uitam nunquam marcescentem. Deinde quod addidit, Antequàm esset super terram: intelligitur antequàm anima peccaret: terrenis enim cupiditatibus sordidata, tanquam super terram nata, uel super terram esse, recte dicitur. Vnde & adiecit, Nondum enim pluerat dominus deus super terram. Quasi aperte diceret, Antequàm peccaret anima, nondum nubibus scripturarũ pluuiam doctrinæ dominus ad animam irrigandam concesserat. Nondum propter hominem, qui est terra, dominus noster nubem carnis assumpserat: per quam imbrem sancti euangelij largissimum infudit. Quod uero subiunxit, Et homo nõ erat, qui operaretur terram: quia nullus homo operatus est in uirgine, unde natus est Christus. Ipse enim est lapis de monte sine manibus abscisus: id est, absq́ꝫ coitu, & humano semine, de uirginali utero, quasi de monte humanæ naturæ & substantia carnis abscisus. Sed fons ascendebat de terra, irrigans uniuersam superfi-

ciem terræ. Terra, mater uirgo domini Maria rectissime accipitur, de qua scriptum est, Aperiatur terra & germinet saluatorem. Quam terram irrigauit spiritus sanctus, qui fontis & aquæ nomine in euangelio significatur. Sequitur,

De formatione hominis è limo terræ XII

Formauit igitur dominus hominem de limo terræ.) Secundum causalem rationem in sex dierum operibus factus est, secundum originem uero temporum nunc formatus est. Nam quãdo dictũ est, quod factus est homo, ipsam causam fecerat deus, de qua erat suo tempore homo futurus: causa autem de qua in futurum formaretur, id est, terra, hæc præcesserat. Item nonnulli intelligunt ita, ut postquàm dictum est, Formauit deus hominem de limo terræ: non est additum, Ad imaginem suam: quoniam de corporis formatione dicitur. Tunc autem interior homo significabatur, quando dictum est, Ad imaginem & similitudinem suam. Quæritur autem utrum uirili ætate formatus est homo? an per spatia temporum creuisset? & utrum fecisset eum deus suæ uoluntatis seruatorem? Verumtamen si hoc hominum futurorum causa, unde erant insiti atque præconditi in die quo factum est cœlum & terra, quando creauit deus omnia simul: non aliter Adam de limo factum intelligimus, nisi perfectæ ætatis. Non enim eum tam paruum, quàm infantes nostri sunt, factum fuisse credibile est: qui erat in illis causis iam conditus, ubi deus hominem in operibus sex dierum fecit. Et fecit deus hominem de limo terræ. Non uero tale erat corpus mortale iam factum, quale primo homini creatum uidetur ante peccatum: si hoc in quo nunc sumus tale est, quale aut fuit, aut erit: quia primi hominis corpus & si habuit in natura posse non mori, hoc etiam habuit, ut si peccasset, posset morte dissolui. Istud autẽ cuius corruptio de peccato facta, & ad mortem mortalitas ducit, postquàm cecidit in hanc moriendi necessitatẽ, ita est ab illius primi hominis creatione corporis immutatum, ut ad immortalitatem transire non possit, nisi per mortem. Illud uero corpus quod in resurrectione credimus futurũ, immortale semel effectum, mori ultra non poterit. Quod quum fuerit immortalis animæ corpus effectum, sicut ab illa, ita ab eo qualitas moriendi nunquam reparari poterit. Si primi hominis corpus uitale fuit, quod potuit etiam non mori: hoc mortale est, cui necessitas facta est moriendi: quod absolute in futurum immortale erit, iam mori omnino non poterit: ac per hoc illud corpus facultatem non moriẽdi habuit ex natura: hoc uero mortale, conditionem moriendi habet ex pœna: immortale illud, felicitatem nunquam moriendi habet in gloria. Sequitur, Et inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem.) Spiraculum uitæ hoc in loco animam coniunctam corpori intelligimus. Si uero homo ille quãdo factus est ex limo, corpus & anima erat, nunc ipsius anima ex suis est additum ad istam inspirationem, quando factus est homo in animam uiuentem, dum dicitur, Inspirauit in eum spiritum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem: non est credendum, uelut partem naturæ dei in animam hominis fuisse conuersam, ut cogamur dicere, naturam

dei

dei esse mutabilem, sicut anima, quæ modo proficit, modo deficit, modo sapit, modo desipit. Ergo non est anima, quæ mutabilis est, credēda natura, uel pars dei, propheta attestante, qui ait, Qui finxit spiritum hominis, & ipse scit omnia, & ipse spiritus est anima hominis, euāgelista testāte de anima, quam Christus in carne accepit, quum dixisset dominus, Potestatem habeo ponendi animam meam, quam tunc posuit, quādo inclinato capite emisit spiritum. Vnde nullatenus dubitandum est, spiritum esse animam: quam etiam deus nec de se, nec de qualibet subiacente elemētorum materia, sed de nihilo fecit. Nam si de semetipso eam fecisset, nunquam uitiosa aut mutabilis uel misera esse potuisset. Si uero ex elementis uisibilibus facta fuisset, haberet aut ex terra soliditatem, aut ex aqua humorē, aut flatum ex aere, aut calorem ex igne. Sed quia his omnibus caret, apparet eam inde non esse, quæ cum illis probatur nihil habere commune: & ideo anima, spiraculum dicta est, quia ex nihilo facta: corpori quod animaret, insufflata est. Ideo dicta est spiraculū uitæ, quia & iste aer plerunq; dicitur spiritus. Sed tamen spiritus uitæ non dicitur, quia caret uita. Quæritur autem utrum deus animam insufflando fecit? An eam quam fecerat, corpori dando potius insufflauit? Vtrunq; enim puto esse nec habere aliquid quęstionis, quomodo siue insufflando fecerit animam, siue creādo donauerit: nec de aliquo flatu suo, nec de seipso, sed ex nihilo aut sufflando creauit, aut creādo corpori insufflauit: non quia illud spiraculū conuersum est in animam uiuentem, sed operatus est animam uiuentem. Nondum tamen spiritalē hominē debemus intelligere, quia factus est in animam uiuētem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritalis effectus est, quum in paradiso cōstitutus est, & præceptum perfectionis accepit. Itaq; postquàm peccauit, & emissus est de paradiso, in eo remāsit ut animalis esset: & ideo animalem hominem prius gestamus omnes, qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequamur spiritalem Adam, id est, Christum. Sic enim apostolus dicit, Non primum quod spiritale est, sed quod animale. Formauit igitur deus hominem de limo terræ: id est, factus est Christus, iuxta quod ait apostolus, Ex semine Dauid secundum carnem: tanquam de limo terræ. Et inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ. Vtiq; infusionē spiritus sancti, qui operatus est hominem Christum. Et factus est homo in animam uiuētem. Scilicet ut qui perfectus erat deus, perfectus crederetur & homo. Sequitur, Plantauerat autem dominus deus paradisum uoluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat.) Paradisus, hortus, siue uoluptas, uel deliciæ interpretatur. Tres sunt opiniones de paradiso: una eorum, qui corporaliter tantummodo paradisum accipiunt: alia eorum, qui spiritaliter tantum: tertia eorum, qui utroq; modo intelligunt. A' principio significatur, ex quo manifestatur, quod quasi prius quàm deus cœlum & terram faceret, paradisum ante condiderat. Produxitq; deus de humo omne lignum, pulchrum uisu, & ad uescendum suaue.) Non ut aliquod noui generis lignum condiderit, sed ex his

De eo quod scriptum est, Plantauerat autem dominus deus paradisum, &c. XIII

generibus quæ iam terra tertia die produxerat, exorta sunt postmodum, & ex illa uirtute, quam iam generandi terra acceperat. Lignum etiam uitæ in medio paradisi, quidam tantum allegorice intelligi uolunt, ad significandam sapientiam, quæ est lignum uitæ. Sed quia sicut petra percussa aquas præbuit, quanquã significauerit Christum, tamen erat historialiter petra: ita & lignum uitæ, quamuis significaret Christum, tamen erat & corporaliter & euidentissime lignum: quod propterea lignum uitæ nuncupatum est, ut dum illi homines inde gustarent, nec morbo, nec senectute deficerent. In cæteris enim erat alimentum, in isto sacramentum. Lignumq́ scientiæ boni & mali, Non quod ipsum lignum in sua natura rationale esset, uel scientiam boni & mali habuisset: sed propterea appellatum est boni & mali scientiæ, quia homo per experimentum ab ipso didicit, quid esset obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Sequitur, Et fluuius egrediebatur de loco uoluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen uni Phison.) Ipse est Ganges, qui nunc dicitur Nilus, qui Æthiopiæ partes irrigat. Tygris uero & Euphrates, etiam nunc nomina eadem tenent. Sed Euphrates fluuius est Mesopotamiæ. Tygris uero contra Assyrios uadit, & post multum circuitum influit in mare rubrum. Vocatur autem hoc nomine propter uelocitatem, ad instar bestiæ nimia uelocitate currentis. Plantauerat autem dominus deus paradisum à principio. Paradisus, ecclesia est: sic enim de illa legitur in Canticis canticorum, Hortus conclusus soror mea. A` principio autẽ paradisus plantatur, quia ecclesia catholica à Christo principio omnium condita esse cognoscitur. Fluuius de paradiso exiens, imaginem portat Christi de paterno fonte fluentis, qui irrigat ecclesiam suam uerbo prædicationis ex dono baptismi. Quatuor autem paradisi flumina, quatuor sunt euangelia ad prædicationem cunctis gentibus missa. Ligna fructifera, omnes sancti sunt. Fructus eorum, opera eorum. Lignum autem uitæ, sanctus sanctorum, Christus scilicet, ad quem quisq́ si porrexerit manum, uiuet in æternum. Lignum autem sciẽtiæ boni & mali, proprium est uoluntatis arbitrium, quod in medio est positum, ad dignoscendum bonum & malum: de quo qui relicta gratia dei gustauerit, morte morietur. Sequitur, Tulit ergo dominus deus hominem, & posuit eum in paradiso uoluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.) Hic recapitulando narrat, quomodo in paradiso posuerit deus hominem, ut operaretur & custodiret illum. Quid operaretur, quando non erat laboris defectio? Quid custodiret, ubi nullus erat aggressor uel prædo? Sed ut sic custodiret eundem paradisum sibijpsi, ne aliquid admitteret, ut inde mereretur expelli. Vel certe, ut operaretur, ut iustus esset: custodiret, ut tutus esset. Tulit igitur deus hominem, & posuit eum in paradiso. Assumpsit deus carnem, & factus est caput ecclesiæ. Vt operaretur, & custodiret illum. Id est, uoluntatem patris ex omnibus gentibus ecclesiam impleret. Sequitur, Præcepitq́

De fluuijs paradisi XIIII

De collocatione hominis in paradiso XV

cepitq; ei, dicens.) Quæri potest, quomodo loquebatur deus ad Adam, Vtrum sicut nunc angelis loquitur per cœlestem substantiam: An quomodo patriarchis, per corporalem speciem assumptam ex aere cœlesti: Vel quomodo prophetis, in mente, sicut scriptum est, Et dixit mihi angelus, qui loquebatur in me. Sequitur, Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.) Non quod ipsum lignum in sua natura rationale esset, uel scientiam boni & mali habuisset: sed quod in eo experiri & scire potuit, quid esset inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum: & ob hoc prohibetur, ut obseruaret præceptum, & obedientem se sub dei dominatione sciret. Ex hac ergo causa, ipsum lignum tale nomē accepit. Ligno uitæ utebatur, quasi ad medicinam, ut incorruptibilis esset: ligno scientiæ boni & mali, quasi ueneno, ut moreretur: & ne tanto extolleretur dominio, sed in obseruatione mandati sciret se subiectum creatori suo. Sequitur, In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.) Sic ergo intelligamus dominum denuntiasse mortem, in eo quod ait, Quacunq; die ederitis ex eo, morte moriemini: tanquam diceret, Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram uos per iustitiam. Quomodo poterat mortem timere, quam nullatenus sciebat experiendo? Sicut enim nos scimus resurrectionem, quam nunquam experti sumus, nec uidimus: ita & ille sciebat mortem, non adhuc per experientiam, sed per scientiam. Sciebat quippe quid esset. Et per priuationem uitæ sciebat, quod exiens anima à corpore facit mortem, & dum reuersa fuerit in corpore facit resurrectionem: ita & ille sciebat mortem per priuationem uitæ. Mortem dicit animæ, non corporis: quia non eo tempore mortui sunt quādo comederunt. Ergo hanc quam nunc deus homini minatus est mortem, non eam tantum debemus accipere, qua caro separatur ab anima, sed hanc qua hæc alienatur à deo, qui est uita sua. Sicut enim corpus uiuit ex anima, ita anima, ut beate uiuat, uiuit ex deo. Ergo deserta à deo anima, iure dicitur mortua: ex qua tres postea sequutæ sunt mortes, prima in anima, secunda in carne, tertia in damnatione. Sed ut istæ sequerentur, prima præcessit desertio dei. Sequitur, Dixit quoque deus, Non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sui.) In prima rerum conditione dictum fuerat, Masculum & fœminam fecit eos: & benedixit eis, dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Illa benedictio nuptiarum primorum hominum, ut crescerent & multiplicarentur, & implerent terram, quamuis & in delinquentibus manserit, tamen antequàm delinquerent data est, ut cognosceretur procreatio filiorum ad gloriam connubij, non ad pœnam pertinere peccati. Et quamuis emissi de paradiso genuisse commemorentur, credimus tamen eos sine ullo ardore libidinis, uel dolore pariendi gignere potuisse filios in paradiso. Et ex ligno uitæ, uigorem immortalitatis sumentes, perducerentur ad numerum sanctorum, quem expectat quantitas prædestinatorum.

De ligno scientiæ boni & mali XVI

De eo quod scriptum est, Quacūq; die comederis XVII

De eo quod scriptum est, Non est bonum &c. XVIII

natorum. Nec mirandum est, ut si non peccassent, semper uiuere potuissent: dum Enoch & Helias in Adam quidem mortui, hactenus tamē esse creduntur uiui in corpore. Dixit quoq; deus. Non est bonum esse hominem solum. Arguuntur hæretici, qui Christum solum hominem putant, & non etiam deum. Faciamus ei adiutorium simile sui. Quia in ipso homine suscepto, ecclesia deo copulata est. Sequitur. Formatis igitur dominus deus de humo cunctis animātibus terræ, & uniuersis uolatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut uideret, quid uocaret ea. Omne enim quod uocauit Adam animæ uiuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & uniuersa uolatilia cœli, & omnes bestias terræ.) Vt ostēderet quanto priuilegio homo pecoribus antecellit, qui ratione sua cuncta distinguere, & nominatim secernere posset, adducta animalia ad Adam, non circuitu locali, sed occulto nutu diuina potentia uoluit ut uenirent, & homo intelligeret se ipsum quanto melior esset bestijs, dum cunctis nomina etymologiarum imponit: & eo magis conditorem suum diligeret, quo se meliorem cunctis uiuentibus, quibus nomina imposuit, esse sciret. Appellauit autem Adam nominibus suis cuncta animantia & uolatilia cœli, & bestias terræ, significans gentes quæ saluæ fierent in ecclesia, & per eundem dominum nomen Christianitatis erant accepturæ, quod prius non habuerant, sicut scriptum est, Et uocabo seruos meos nomine alio. Sequitur. Adæ uero non inueniebatur adiutorium simile eius.) Quia inter omnia animantia terræ nullum rationale inueniebatur, nisi ille solus. Immisit ergo dominus deus soporem in Adam. Quumq; obdormisset, tulit unam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.) Iste sopor ad hoc intelligit᷑ emissus, ut ipsius mens per ecstasin particeps fieret angelorum: & intrans in sanctuarium dei, intelligeret in nouissima: & euigilans, tanquam prophetia plenus, sacramentum quod commendat apostolus eructaret. Tulit unam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Ista omnia futura in Christo & ecclesia facta sunt, & sunt plena mysterijs & sacramentis, quæ suo loco dicenda sunt. Adæ uero non inueniebatur adiutor similis eius. Vtiq; quoniam quamuis fidelis aut iustus quisq; sit, Christo tamen æquari non potest, quia nullus similis ei inter filios dei. Nemo enim poterat à morte genus hominum liberare, & ipsam mortem superare, nisi Christus. Sequitur. Et ædificauit dominus deus costam quam tulerat de Adam in mulierem.) Quomodo hic fœminam creauit deus, qui superius ab omni opere requieuit? Non eam creauit in materia, sed expressit in forma. Prius enim originaliter in uiri latere facta est, cuius postea detracta costa exinde mulier facta est. Quæritur utrum fœmina de latere uiri formata, ex eius anima acceperit animam? Et utrum sicut caro nascentium ex carne, sic animæ ex animabus procreentur? An nouæ semper creentur à deo ex nihilo? Quæ quæstio in definiendo difficilis est: quia nihil à sanctis uiris, uel scripturarum autoritate manifestius pronuntiatum est. Dormiuit Adam, & fit illi mulier de

De impositione nominum animalium XIX

De Adā quod non inueniebatur adiutor XX

De costa extracta XXI

latere: patitur Christus, fit eo moriente ecclesia de sacramento sanguinis,qui de latere mortui profluxit.Sequitur, Et adduxit eam ad Adam,ut uideret quid uocaret eam. Dixitq; Adam , Hoc nunc os ex ossibus meis , & caro de carne mea. Hæc uocabitur uirago,quoniam de uiro sumpta est.) Vt uocaret mulierem, uitam: sic enim interpretatur Eua, uita, siue calamitas. Alijs enim uita,alijs uero calamitas.Hęc uocabitur uirago,quoniam de uiro sumpta est. Nam uirago habet similitudinem cum uiro, mulier non habet. Et posuit carnem pro ea.) Ita & Christus posuit carnem suam moriendo in patibulo crucis, pro ecclesia. Dixitq; Adam , Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quia siue sancti spiritales & fortissimi in tentationibus, siue minus perfecti,utriq; unum corpus Christi sunt,& una ecclesia. Hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est . Sic & Christus ecclesiæ nomen dedit Christianum,quæ de latere eius sumpta est. Hæc igitur omnia facta sunt in figura, quæ erant in ecclesia proditura. Sequitur, Quamobrem relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit uxori suæ,& erunt duo in carne una.) Beatus apostolus Paulus hoc capitulum ita exponit, dicens, Sacramentum hoc magnũ est.ego autem dico in Christo & in ecclesia.Sed quomodo Christus reliquerit patrem, quum una substantia sit cum patre: aut ubi esse poterit pater sine filio,quum de ipso filio,qui est sapientia patris,dicatur: quod attingit à fine usq; ad finem fortiter,& disponit omnia suauiter? Totus ubi est filius,ibi est & pater:& nõ potest esse pater sine filio,nec filius sine patre:quia scilicet sicut inseparabiles sunt in natura, ita & inseparabiles in persona . Sic enim ipse filius de patre dicit in euangelio,Qui me misit,mecum est.Quomodo igitur dereliquit patrem,ut adhęreret uxori suæ,id est,ecclesiæ suæ? Nisi illo modo quo apostolus ait, Qui quum in forma dei esset,non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit,formam serui accipiens.Ipsa igitur formæ seruilis acceptio,exinanitio est:& ipsa exinanitio,quanquam non sit diuinitatis abolitio,aut naturæ amissio,tamen propter formam serui in qua dignoscitur apparuisse, iure dicitur patrem dereliquisse . Dereliquit & matrem:synagogam scilicet,ueteri testamento carnaliter inhærentem. Et adhæsit uxori suæ:id est,sanctæ ecclesiæ,ut pace noui testamẽti essent duo in carne una. Sequitur, Erat autẽ uterq; nudus, Adam scilicet,& uxor eius, & non erubescebant.) Non quod eis nuditas esset incognita, sed turpitudinis nuditas nondum fuerat agnita, quia nondum libido membra illa extra arbitrium commouebat:quia nullam legem in membris suis senserant,repugnantem legi mentis suæ. Nihil enim uelandum putabant, quia nihil senserant refrenandum . Nam ex pœna peccati euenit homini, ut sua ipsius ei rebellis esset caro, quia ipse rebellis extitit creatori suo in actibus suis: & idcirco erubuit postmodum de corpore suo.Sequitur,

De eo quod scriptum est, Hoc nunc os XXII

De nuditate protoplastorum XXIII

CAP. III

De calliditate serpentis XXIIII

SED & serpens erat callidior præ cunctis animantibus terræ, quæ fecerat dominus deus.) Non ex sua natura, sed ex diabolici spiritus inflatione,

quæ

quæ in illo erat, & per illum dolum agebat. Vtebatur enim serpente diabolus, quasi organo, ad perpetrandam calliditatis suæ maliciam. Quod uero ait, Præ cunctis animantibus terræ: ostendit, quod quamuis præuaricatores angeli per superbiam fuissent eiecti, natura tamen excellentiores sunt, & astutiores omnibus animantibus terræ. Nam ille angelus de spiritali tantum paradiso cecidit: homo uero & de spiritali & de corporali. Erat enim ille corporalis paradisus, quo per exteriorem sensum corporis fruebatur: erat & spiritalis, in quo per mentis cōtemplationem interius lætabatur. Dicitur ergo illi, Ex omni ligno paradisi comedes: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.) Præcipitur enim nobis, ut fruamur omni ligno paradisi, quo significantur spiritales deliciæ, de quibus ait apostolus, Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, mãsuetudo, continentia, castitas. Et non tangamus lignum in medio paradisi plantatum, scientiæ boni & mali: id est, non uelimus superbire natura arbitrij nostri, quæ media est: ut decepti per scientiam, experiamur & malum. Serpens autem ille sapientior omnium bestiarum, indicat diabolum, qui inde serpens dicitur, quod uolubili uersetur astutia. Sequitur, Qui dixit ad mulierem, Quur præcepit uobis deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi.) Quæri potest, si serpens sonos uerborum, quos per eum diabolus loquebatur intelligere potuit: neq; enim credibile est, eum intelligere potuisse, quæ per eum diabolus agebat. Non itaq; serpens uerborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebãt ad mulierem. Non enim conuersa credenda est anima eius in naturam rationalem: quandoquidẽ nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, quum dæmon in eis loquitur, ea passione, quum ab exorcista requirũtur, sciunt quid loquantur, sed mente captus nescit quæ loquit͛. Ita & serpens uerba edebat quæ non intelligebat: & idcirco suasit, ut uolũtas diuina despiceretur, & propria teneretur. Sequitur, De lignorũ fructu, quæ sunt in paradiso, uescimur: de fructu aũt ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autẽ serpens ad mulierem, Nequaquã morte moriemini. Scit enim deus, quod in quacũq; die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri: & eritis sicut dij, sciẽtes bonum & malum.) Quur mulier interrogata à serpente, respondit: nisi ut præuaricatio eius esset inexcusabilis: quum nullo modo dicere potuit, se oblitã fuisse diuini mãdati: quatenus ex uoluntario libero arbitrio, seruando diuinum præceptũ, laudabilis appareret, & in contẽnendo damnabilis esset. In eo enim quod dixit, Aperientur oculi uestri: hoc persuadet, ut sub deo esse nollent: sed similes ei essent: non indigentes illius interno lumine, sed uiuentes propria prouidentia ad dignoscendũ bonum & malum, quod ille prohibuisset. Sequitur, Vidit igitur mulier, quod bonũ esset lignum ad uescẽdum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile.) Quomodo potuit mulier credere serpenti, diuinitatem sibi promittenti: nisi fortè iam inerat in mente illius antea amor quidã propriæ potestatis,

ſtatis,& quædam de ſe ſuperba præſumptio,quæ per illam tentationem fue/rat uincenda & humilianda. Vidit igitur mulier,quod bonum eſſet lignum. Quomodo uidebant, ſi clauſos oculos habebant? Sed conſiderauit lignum poſt ſerpentis perſuaſionem, ut exploraret, ſi quid in eo mortiferum eſſet: & dum nihil tale in eo proſpexit, confidentius ex eo guſtauit, comedit, deditq́ꝫ uiro ſuo.Merito ſcilicet animal lubricũ,& tortuoſis anfractibus mobile,operi ſuo congruum per quem loqueretur, elegit: eoq́ꝫ per angelicam præſentiam præſtantioremq́ꝫ naturam ſpiritali nequitia ſibi ſubiecta,& tanquam inſtrumento abutens, fallacia ſermocinatus eſt fœminæ, à parte ſcilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, ut gradatim perueniret ad totum,non exiſtimans uirum facile credulum,nec errãdo poſſe decipi,ſed dum alieno cedit errori:ſicut & Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit obſtrictus: nec Salomonem credibile eſt errorem putaſſe: ita credendum eſt illum uirum ſuæ fœminæ uni unum, hominẽ homini coniugi,ad dei legem transgrediendam non tanquam uerũ loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe. Non enim fruſtra dixit apoſtolus,Adam non eſt ſeductus,mulier autem ſeducta eſt: niſi quod illa quod ei ſerpens loquutus eſt, tanquam uerum eſſet, accepit, Ille autem ab unico noluit cõſortio dirimi,nec in communione peccati, nec ideo minus reus ſi ſciens prudensq́ꝫ peccauit. Sequitur, Et aperti ſunt oculi amborum.) Neq́ꝫ enim cæci nati erant,ut imperitum uulgus opinatur, quando & ille uidit animalia, quibus nomina impoſuit: & de illa legitur, Vidit mulier, quia bonum eſt lignũ.Patebant enim oculi eorum: ſed ad hoc non erant aperti,hoc eſt,non attenti,ut cognoſcerent,quid eis indumentũ gratiæ præſtaret,quando membra eorum uoluntati repugnare neſciebant: qua gratia remota,ut pœna reciproca,inobedientia plecteretur,extitit in motu corporis quædam impudens nouitas,unde eſſet indecens nuditas,& fecit attentos,reddiditq́ꝫ confuſos.Sequitur, Quumq́ꝫ cognouiſſent ſe eſſe nudos.) À gratia ſcilicet,à qua illis fiebat, ut nuditas corporis,in illa lege peccati eorum mentes repugnando confunderet.Sed quid eſt,quod ipſe per mulierẽ decipit, & non per uirum? quia non poteſt ratio noſtra ſeduci ad peccandũ, niſi præcedente delectatione in carnalis infirmitatis affectu,qui magis debet obtemperare rationi,tanquam uiro dominanti.Hoc enim in uno quoq́ꝫ homine geritur in occulto quodam ſecretoq́ꝫ coniugio. Suggeſtionẽ quippe ſerpentem accipimus,mulierem uero animalem corporis ſenſum,rationem autem uirum.Ergo quando occurrit mala ſuggeſtio,quaſi ſerpens loquit᷑. Sed ſi ſola cogitatio oblectatur illa ſuggeſtione,& refrenante ratione conſenſus explendi operis non ſuccedit,ſola uidetur mulier comediſſe illicitum. Quod ſi ipſum peccatũ etiam & mens perpetrandũ decernat,iam uir deceptus eſt,iam mulier cibũ dediſſe uiro uidetur. Illicito enim cõſentire,de ligno prohibito manducare eſt.Tunc quippe iure à uita beata tanq́ꝫ à paradiſo expellitur homo,peccatumq́ꝫ ei imputatur,etiam ſi non

De apertione oculorum XXV

De eorum nuditate XXVI



ſi non ſequatur effectus: quia & ſi non eſt in factis culpa, in conſenſu tamen rea tenetur conſcientia. Hæc ſecundum anagogen: cæterũ iuxta metaphoram poterit callidus ſerpens iſte hæreticorum uerſutiam deſignare. Nõnulli enim loquacius atq; ſubtilius promittunt illicita curioſitate ſecretorum adapertionem atq; ſcientiam boni & mali, & in ipſo homine tanquam in arbore quæ plantata eſt in medio paradiſi ſuam dinoſcentiã nituntur demonſtrare. Contra hunc ſerpentẽ clamat apoſtolus, quũ dicit, Metuo ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic ſenſus ueſtri corrumpantur. Seducitur uerbis huius ſerpentis carnalis noſtra cõcupiſcẽtia, & per illam decipitur Chriſtianus Adam non Chriſtus. Dicit ergo iſte ad mulierẽ, Quur præcepit uobis deus, ut non comederetis ex omni ligno paradiſi? Sic hæreticorũ curioſa cupiditas, ſic prædicatores praui ad diligendam erroris fallaciam auditorum carnalium corda ſuccendunt, dicẽtes, Quare fugitis ſciẽtiam habere latentem? Noua ſemper exquirite, boni maliq; ſciẽtiam penetrate. Vnde eſt illud in Salomone, quod mulier illa hæreticorum ſpeciem tenens dicit, Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior. Subiecit deinde idem ſerpens, Quacumq; die comederitis ſtatim aperientur oculi ueſtri, & eritis ut dij ſcientes bonum & malum. Sic & omnes hæretici diuinitatis meritum profitentur, atq; ſcientiæ pollicitatione decipiunt & reprehendunt eos quos ſimpliciter credentes inuenerint: & quia omnino carnalia perſuadent, quaſi ad carnalium oculorum adapertionem conãtur adducere, ut interiores oculos obſcurent. Vidit igitur mulier quod bonũ eſſet lignum, tulitq; de fructu illius & comedit. Mulier comedit antea non uir, ideo quia carnales facilius perſuadentur ad peccatum, nec tam uelociter ſpiritales decipiuntur. & dedit uiro ſuo, & comedit: utique quia poſt delectationem carnalis cõcupiſcentiæ noſtræ, etiam ratio noſtra ſubijcitur ad peccãdum. Sequitur,

De folijs ficus XXVII

Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.) Quod nos campeſtria poſſumus nũcupare. Poſtquàm cognouerunt miſerabiliter ſe nudatos à gratia, qua fiebat, ut nuditas corporis nulla lege peccati mentem eorum repugnando confunderet: hoc poſtmodum cognouerunt, quod felicius ignorarent, ſi deo obedientes & credentes non cõmitterent quod cogeret experiri. Proinde confuſi inobedientia carnis ſuæ, tanquam teſte, pœna inobedientiæ ſuæ conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata, ſiue campeſtria, quod nos alio nomine ſuccinctoria poſſumus appellare. Campeſtria autem ex eo dicta, quod iuuenes qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant. Vnde qui ita ſuccincti ſunt, cãpeſtratos uulgus appellat. Quumq; cognouiſſent ſe eſſe nudos, cõſuerunt folia ficus, unde ſe contegerent. Qui ſeculum aſperum amplectuntur, qui pro religione uoluptatis carnalis arctantur, quiq; decepti hæretica prauitate, & gratia dei nudati, tegimenta mendaciorum tanquam folia fici colligunt, faciunt ſibi ſuccinctoria uanitatis, quũ de domino uel eccleſia mentiũtur. Sequitur,

De uoce dei XXVIII

Et quum audiſſent uocem dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.) Quid

est quod post peccatum hominis in paradiso, dominus iam non stat, sed ambulat? nisi quod irruente culpa à corde illorum remotũ se demõstrabat, quos iam in suo præcepto stabiles non uidebat. Quid est quod ad auram post meridiem dicit? nisi quod lux feruẽtior ueritatis ab eis abscesserat, & peccatrices animas constringebat frigus infidelitatis. Abscondit se Adam & uxor eius à facie domini dei, in medio ligni paradisi.) Hæc ei insipientia de peccati pœna accessit, ei se latere posse uelle, quem latere nihil potest. Increpauit ergo dominus Adam deambulans, ut cæcis mentibus nequitiã suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret: quatenus peccator homo per uerba quod fecerat, audiret: & per deambulationem amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiã cerneret: & per auram feruore charitatis à se expulso, torporem suum animaduerteret: & per declinationẽ solis cognosceret, quod ad tenebras propinquaret. Sequitur, Vocauitq; dominus deus Adam, & dixit ei, Adam ubi es?) Increpantis uox est, non ignorãtis. Non utiq; ignorando quæsiuit, sed increpando admonuit, ut attẽderet ubi esset, & unde cecidisset, tanquam si diceret, Qualis fueras quando obediendo simpliciter incedebas, & qualis nunc appares quando præuaricator effectus es? Qui & si prius fortassis cum illis loquebatur sicut cum angelis, nunc autem per subiectã creaturam illis apparuisse credẽdus est, & dicit, Adam ubi es? Vidit eum sub culpa lapsum, & iam suo peccato ueluti ab oculis ueritatis absconditum, quia tenebras erroris eius non approbat. Per hoc quod uocat dicẽs, Vbi es? signum dat, quia ad pœnitẽtiam reuocat. Per hoc quod requirit, aperte insinuat, quia peccatores iure damnantur. Sequitur, Qui ait, Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.) Iam miserrimo errore tergiuersando respondit, quasi ideo possit displicere, quod nudus esset, quum utiq; melius deo placeret, si sic maneret, sicuti eum ipse fecerat. Et timui. Hoc est quod scriptum est, Auertisti faciem tuam à me, & factus sum cõturbatus. Eo quod nudus essem. Ante peccatum enim ideo se nudum nõ agnoscebat, quia eius intentio in supernis erat. Et abscondi me. Quare? Quia in illa nuditate iam non audebat apparere, de qua ipse cœperat erubescere. Sequitur, Quis indicauit tibi, quod nudus esses? nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti.) Tunc ille non ad se culpam retulit, sed ad mulierem, quam dominus dederat, & reatum suum oblique in authorem redegit, qui ei mulierem dederat, quæ ei talia persuaderet: ad cumulum peccati sui superbe respondit, non humiliter: quasi querimoniam in deum dirigeret, quur ei talem dedisset sociam, unde ei occasio peccati esset. Similiter & mulier suæ culpæ causam in creatorem refert, quare serpẽtem per quem deciperetur in paradiso creauerit, uel intrare permiserit. Serpens autem iam non requiritur, quia nec eius pœnitentia quærebatur. Requisiti uero ad pœnitentiam, uocem defensionis contra iustam correptionem protulerunt. Vnde nunc usque in usum peccãtium trahitur, ut culpa quum agitur, defendatur, & unde finiri

reatus debuit, inde cumuletur. Nam serpens non interrogatur, quia nec confi teri peccatum potest, nec habet unde se excuset. Prior tamẽ excepit pœnam, & non eam quæ ultimo iudicio reseruatur ipsi & angelis eius. Sed pœna eius hoc in loco dicitur, ut in potestate habeat eos, qui dei præcepta contemnunt, & inde maior pœna est illi, quia de tali infelicitate lætatur. Sequitur, Et ait dominus deus ad serpentem, Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia ani mantia & bestias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terrã comedes cun/ ctis diebus uitæ tuæ.) Nunc quod ad serpentem dicitur, & ad eum qui opera tus est per serpẽtem, pertinere noscitur: non ad animal irrationabile, qui hoc non in sua natura uel uoluntate habuit, ut faceret: sed diabolus hoc de illo & per illum est operatus. Super pectus tuum gradieris, & terrã comedes. Siqui dem in pectore calliditas nequitiarum eius indicatur, qui & terram deuorat dum luxuria & libidine peccantiũ pascitur & delectatur. Quumq́ audissent uocem domini dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiẽ. Deam bulat deus in illis, & nõ stat, qui stabiles in eius præcepto non perseuerant. & bene, ad auram post meridiem: quia iam ab eis aufertur lux illa feruentior ue ritatis appropinquãtibus errorũ tenebris. Absconderunt se à facie dei, in me/ dio ligni paradisi. In medio namq́ ligni se abscondit, qui auersus à præcepto creatoris, in erroris atq́ arbitrij sui uolũtatibus uiuit. Vocauitq́ deus Adam dicens, Adã ubi es? Hic ostẽdit quia si qui à fide uel bonis operibus ad men/ dacia sua desideriaq́ labuntur, non despicit illos deus, sed adhuc ut redeãt ad pœnitentiam uocat, quia non uult mortem peccatoris, sed ut cõuertatur & ui uat. Ergo non est desperandũ quibuslibet peccatoribus, dum & ipsi impij ad spem indulgentiæ prouocãtur. Dicitur autem post hæc serpenti, Maledictus eris inter omnia animãtia, super pectus tuum & uentrem gradieris. Nomine pectoris significatur superbia mentis, nomine autem uentris significãtur desi deria carnis. His enim duabus rebus serpit diabolus aduersus eos quos uult decipere, id est, aut terrena cupiditate & luxuria, aut superbię insana ruina. Et terram manducabis: id est, ad te pertinebunt quos terrena cupiditate decepe ris. Omnibus diebus uitæ tuæ: id est, omni tẽpore quo agis hanc potestatem, ante illam ultimam pœnam iudicij. Sequitur, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuũ & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidia/ beris calcaneo eius.) Semen mulieris est totum genus humanũ, semen serpen tis carnalia desideria. Quæ duo semina, continuũ inter se gerere odiũ debent, ut non faciamus ea quę diabolus uult. Quid est quod ait, Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius? Caput serpẽtis est cogitatio illicitæ sug gestionis, quod nos omni intentione conterere atq́ allidere ad petrã quæ est Christus, debemus. Calcaneũ mulieris, est extremũ uitæ nostræ tempus, quo diabolus nos acrius impugnare satagit: cui si uiriliter resistimus, uictoriã per/ seuerãtiæ cum salute nostra percipiemus. Inimicitias ponam inter te & mulie rem, semen tuũ & semen illius. Semen diaboli, peruersa suggestio est. Semen

De inimicitijs inter mulie/ rem & serp. XXIX

mulieris,fructus est boni operis quo peruersæ suggestioni resistit. Ipsa caput illius cōterit,si eum mens in ipso initio malæ suggestionis excludit. Ille insidiatur calcaneo eius:quia mentē quam in prima suggestione non decipit,decipere in fine contēdit. Quidam autem hoc quod dictum est, Inimicitias ponam inter te & mulierem,de uirgine unde natus est dominus intellexerūt,eo quod illo tempore ex ea dominus nasciturus ad inimicū deuincendū,& mortem cuius ille author erat destruendā promittebatur. Nam illud quod subiūctū est Ipsa cōteret caput tuum,& tu insidiaberis calcaneo eius,hoc de fructu uentris Mariæ,qui est Christus,intelligunt:id est,tu eum supplantabis ut moriatur, ille autem uictor resurget,& caput tuum conteret,quod est mors: sicut & Dauid dixerat ex persona patris ad filium,Super aspidem & basiliscum ambulabis,& conculcabis leonem & draconem. Aspidem dixit mortem,basiliscū peccatum,leonem antichristū,draconem diabolum. Sequitur, Sub uiri potestate eris,& ipse dominabitur tibi.) Quæritur quū dicit,Sub uiri potestate eris,si nō peccasset mulier,si esset sub potestate uiri? Esset itaq;,sed ea seruitute quæ per dilectionē operatur,& foras mittit timorem: post peccatū uero conditionalis seruitutis timore qui per disciplinā operatur, ueniens de maledictionis pœna,& nō potius de æqualitate naturæ. Appetitū ergo eius uir habet subiugatum,ut iuxta hanc legem mulieri modum imponat. De pœna aūt mulieris quid significat quod ei dicitur,In dolore paries filios: nisi quia carnalis uoluntas quum aliquā malam consuetudinē uult uincere, patitur in exordio dolores,atq; ita per meliorē cōsuetudinem parit bonū opus quasi filios? Quod uero adiecit,Et conuersio tua ad uirū tuum,& ipse tui dominabitur:hoc significat,quod illa uoluptas carnalis quæ cum dolore reluctauerat, ut faceret consuetudinē bonam,iam ipsis erudita doloribus cautior fit,& ne corruat obtemperat rationi,& libēter seruit,quasi uiro iubenti. Sequitur, Adæ uero dixit, Quia audisti uocē uxoris tuæ.) Culpat itaq; uirum,quia præueniēs dei mandatum,uxoris præposuit uoluntatē,cui debuit dominari. Et comedisti ex ligno de quo præceperā tibi ne comederes.) Denuo arguitur de gulæ concupiscentia,quæ in lapsu præuaricationis pœna secunda post superbiā est. Maledicta terra in opere tuo.) Opera hic non ut ruris colēdi sit,sed peccata significat,ut in Hebræo habetur. Hoc & in Aquila nō discordat,dicēs,Maledicta humus propter te. Spinas & tribulos germinabit tibi.) Incentiua quodam modo uitiorum quæ in nobis nullo modo essent, si felicitatē paradisi primus homo non perdidisset. Sequitur, In sudore uultus tui uesceris pane tuo,donec reuertaris in terram de qua sumptus es.) Illum intelligi uoluit panem,qui se de cœlo descendisse testatus est,qui dat uitam mundo. Hunc ergo panem cum maximo sudore & pœnitētiæ satisfactione,accipiunt pœnitētes. Quum uero dixisset deus, Adam ubi es, mortē significauit animæ quæ facta est illo deserente:& dicendo,Puluis es,& in puluerem reuerteris,mortem significauit corporis,quæ illi fit anima discedēte. Propterea de morte secūda nihil dixisse

credendus est, quia occultam esse uoluit propter dispensationẽ testamenti no ui, ubi secunda mors apertissime declaratur, ut prius ista mors quæ cõmunis est omnibus. Mors uero secũda non utiq; cõmunis est omnibus. Sequit͛, Fecit quoq; dominus deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.) In tunicis pelliceis mortis est intelligẽda conditio, ut qui per inobedientiã dei similitudinẽ, id est, immortalitatẽ tenere noluerunt, per mortis conditionẽ similitudinem susciperent iumentorũ & pecudum. Ipsi sibi præcinctoria de folijs fici, & deus illis tunicas pelliceas fecit: id est, ipsi appetierunt mentiendi libidinem relicta facie ueritatis, & deus mutauit corpora eorum in ista mortalitate carnis: quia quũ homo per superbiã deus esse appetijt, usq; ad belluarũ mortalitatem deiectus est. Sequitur, Ecce Adã quasi unus ex nobis factus est.) Id est, quasi ipse dominus & creator eius, quod pertinet ad irrisionẽ insultantis: & nobis, ad exemplũ timoris: quod non solũ non ita fuit, ut fieri uoluit, sed nec illud quod factus fuerat cõseruauit. Quod uero addidit, Quasi unus ex nobis: hoc propter trinitatẽ dictum est: sicut & illud, Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinẽ nostram. Sequitur, Sciens bonũ & malum.) Vt ipse per experimentũ malum disceret, quod deus per sapientiam nouit. Sequitur,

De tunicis pelliceis XXX

Nunc ergo uidete, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno uitæ, & comedat, & uiuat in æternum.) Vere ut clemẽtissimus dominus eisdem dignatus est consulere ad salutem, ne fortè per transgressionẽ indigni iam facti de ligno uitæ præsumerent edere, & ad perpetuũ uiuerent cruciatum. Exules itaq; sunt ab illius esu ad tempus effecti, ut per cõgruam pœnitentiæ satisfactionem, rursum illuc unde emissi fuerant reuerterentur. Potest ergo uideri propterea in labore homo huius uitæ esse dimissus, ut aliquando manũ porrigat ad arborẽ uitæ. Emisitq; eum dominus deus de paradiso uoluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est.) Id est, in isto corpore laboraret, & ibi posset collocare sibi meritũ redeũdi. Et collocauit eum ante paradisum.) Et hoc significantia factum est, ut contra paradisum in quo beata uita etiam spiritaliter significabatur, habitaret peccator utiq; in miseria. Et ordinauit Cherubin & flammeã rompheam quæ uertitur, custodire uiam ligni uitæ.) Hoc per cœlestes utiq; potestates etiam in paradiso uisibiliter factũ esse credendum est, ut per angelicum ministeriũ esset illic ignea quædam custodia. Non tamen frustra factũ est, nisi quia significari aliquid etiam de spiritali paradiso non est utiq; dubitandũ: sed alius sensus in Hebræo est, quàm hic legitur, ait enim, Eiecit Adam (haud dubium quin dominus) & habitare fecit ante paradisum uoluptatis Cherubin & flammeum gladium qui uerteretur, & custodiret uiam ligni uitæ. Non quod ipsum Adam quẽ eiecerat deus habitare fecerit contra paradisum uoluptatis: sed quod illo eiecto ante fores paradisi Cherubin & flammeum gladium posuerit ad custodiendũ paradisi uestibulum, ne quis possit intrare. Vocaturq; dehinc Eua mater uiuorũ, id est, recte factorum: quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significantur.

tur. Iam uero per sentētiam quæ in uirum infertur, ratio nostra arguitur: quæ & supra peccati concupiscētia seducta, à paradiso beatitudinis remota, habet maledictiones terrenę operationis, habet & dolores temporaliū curarū, quasi spinas & tribulos. Sic tamen dimittit̃ de paradiso beatitudinis, ut operaretur terram, id est, in corpore isto laboret, & collocet sibi meritum redeundi ad uitam beatam, quæ paradisi nomine significatur: possitq; aliquando manū porrigere ad arborē uitæ, & uiuere in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem uel cruciatum pœnitētiæ, per quem uita æterna recuperatur. Accipit etiam tunicam pelliceam diuino iudicio, quo nomine corporis mortalitas significatur in historia. In allegoria autē à carnalibus sensibus abstractæ uoluptates, quæ carnaliter uiuentem diuina lege consequuntur & contegunt: qui si aliquando ad deum conuertitur, per flammeam frameam, id est, per tribulationes temporales peccata sua agnoscendo & gemēdo: & per Cherubin, id est, per plenitudinē sciētiæ, quod est charitas, peruenit ad arborē uitę Christum, & uiuet in æternum. Cherubin namq; plenitudo sciētiæ interpretatur: framea uero uersatilis posita ad custodiendā uiam ligni uitæ, temporales pœnæ intelliguntur. Nemo enim potest peruenire ad arborem uitæ, nisi per has duas res, tolerantiam scilicet molestiarū, & plenitudinē scientiæ: id est, per charitatem dei & proximi. Plenitudo enim legis est charitas. Sequitur,

ADAM uero cognouit Euam uxorē suam, quæ concepit & peperit Cain dicens, Possedi hominem per deum.) Cain autem interpretatur possessio. unde dictum est quando natus est, Acquisiui hominē per deum. Neq; enim illo nato dixisset Adam quod dixisse legitur, Acquisiui hominem per deum: nisi illis duobus ipse fuisset homo nascendo additus primus. Natus est igit̃ prior Cain, ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominū ciuitatem: posterior Abel, ad ciuitatē dei. Sicut enim in uno homine (quod dixit apostolus) experimur, quia nō primum quod spiritale est, sed quod animale, postea quod spiritale: unde unusquisq; quoniam ex damnata progenie exoritur, primo sit necesse est ex Adā malus atq; carnalis: quod si in Christū renascendo profecerit, poterit esse bonus & spiritalis. Sic in uniuerso genere humano quum primū istæ duæ cœperunt nascendo atq; moriendo procurrere ciuitates, prior est natus ciuis huius seculi, posterius autē isto peregrinus in seculo & pertinens ad ciuitatem dei. Sequitur, Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera domino. Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. & respexit deus ad Abel & ad munera eius: ad Cain uero & ad munera eius non respexit. Iratusq; est Cain uehementer, & concidit uultus eius.) Vnde scire poterat Cain, quod fratris munera suscepisset deus, & sua repudiasset: nisi quod illa interpretatio uera est, quā Theodotion posuit, Et inflammauit dominus super Abel, & super sacrificiū eius: super Cain uero & super sacrificiū eius non inflāmauit. Ignem autem ad sacrificiū deuorandū

CAP. IIII *De natiuitate Cain* XXXI

De munerib. Abel & Cain XXXII

solitũ uenire de cœlo,& in dedicatione tẽpli sub Salomone legimus,& quando Helias in monte Carmelo cõstruxit altare. Sequit, Dixitq́ dominus ad eum, Quare iratus es?& quur cõcidit facies tua? Nõne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus aderit peccatũ tuum? Sed sub te erit appetitus eius,& tu dominaberis illius.) Hoc est, quare irasceris,& inuidiæ in fratrẽ liuore torqueris? quur iratum uultum dimittis in terram? nõne si bene egeris dimittetur tibi omne delictum? siue, ut Theodotion ait, acceptabile erit: idest munus tuum suscipiã, ut suscepi fratris tui: quod si male egeris, illico peccatum tuũ ante uestibulũ tuum sedebit,& tali ianitore comitaberis? Verũ quia liberi arbitrij es, moneo ut nõ tui peccatum, sed tu peccato domineris. Natiuitas duorum filiorũ Adam, similitudinẽ habet duorũ populorũ qui erant diuersis temporibus ad fidem uẽturi, pari opere & dissimili charitate ante deum. Fuit autẽ Abel pastor ouiũ,& Cain agricola. Sed sicut Cain sacrificiũ ex terræ fructibus reprobatur, Abel aũt sacrificiũ ex ouibus & earũ adipe suscipit: ita noui testamẽti fides ex innocẽtia grata deum laudans, ueteris testamẽti terrenis operibus antefertur. Sequit, Dixitq́ Cain ad Abel fratrem suum, Egrediamur foras in agrũ. Quumq́ essent in agro, cõsurrexit Cain aduersus fratrem suũ,& interfecit eum. Et ait dominus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus? Qui respõdit, Nescio.) Interrogat non tanq̃ ignarus, sed tanq̃ iudex qui reum puniat. Vox, inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.) Clamare aũt sanguis Abel ad dominũ dicitur, nõ uoce, sed causa. Cui Cain ad cumulũ peccati sui, fallaciter ac superbe respõdit, putãs deum latere quæ gesserat. Nescio. Nũ custos fratris mei sum ego? Cui deus ait, Arbitraris me quod gessisti, nescire: qui cogitationẽ quam impie cõceperas inspiciens, ne opere cõsummares præmonui? Sed ne causeris iniustę me aduersũ te proferre sententiã, ego tibi accusationẽ non infero: sed est testis qui te accusat, uox uidelicet sanguinis fratris tui, quæ clamat ad me de terra. Sequit, Responditq́ Cain ad dominũ, Maior est iniquitas mea, q̃ ut ueniã merear) Id est plus peccaui, q̃ ut merear absolui. Ecce eijcis me hodie à facie tua,& à facie tua abscõdar, ut latitem:& ero gemens super terrã:& erit, omnis qui inuenerit me, occidet me.) Eijcior, inquit, à conspectu tuo,& cõscientia sceleris lucem ipsam ferre non sustinẽs, adiecit, Abscondar ut latitem: eritq́, omnis qui inuenerit me, occidet me. Dum ex tremore corporis & furia mentis agitatur, eũ se esse intelligit qui merear interfici. Verũ deus nolens eum compẽdio mortis finire cruciatus, nec tradi pœnæ qua ipse se dãnauerat, ait, Non sic: idest nõ ut tu æstimas morieris,& mortem pro remedio accipies: uerũ uiues usq; ad septimã generationẽ,& conscientiæ tuæ igne torqueberis: ita ut quicũq; te occiderit, secundũ duplicẽ intelligentiã, aut in septima generatione, aut magno te liberet cruciatu: nõ quo ipse qui percusserit Cain septẽ ultionibus subijciẽdus sit: sed quod septẽ uindictas quę in Cain tanto tẽpore cucurrerũt, soluat interfector, occidens eum qui uitę fuerat derelictus ad pœnam. Vt aũt quod dicimus manifestius fiat, quotidianæ consuetudinis

suetudinis ponamus exemplũ. Loquitᵉ inter uerbera seruus ad dominũ: quia incendi domũ tuã & uniuersam substantiã dissipaui, interfice me: dominusq; respõdet, non ut tu uis morieris & finies morte supplicia, uerũ longo tempore custodieris ad uitam, & tam infeliciter in hac luce uersaberis, ut quicũq; te occiderit, beneficiũ præstet occiso, dum tã multis te liberat cruciatibus. & secundũ Septuaginta quidem hic nobis sensus uidetur. De eo aũt quod Aquila posuit septẽpliciter, & Symmachus hebdomas, siue septimus ulciscetur, maiorũ nostrorum ista sentẽtia est, quod putãt in septima generatione à Lamech interfectum Cain. Adam quippe genuit Cain, Cain genuit Enoch, porrò Enoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiahel, & Mauiahel genuit Matusahel, & Matusahel genuit Lamech, qui est septimus ab Adam. nõ sponte, ut in quodam Hebraico uolumine scribitᵉ, interfecit Cain, ut ipse postea cõfitetur, Quoniam uirum occidi in uulnere meo, & iuuenem in liuore meo. Alij de septẽ uindictis Cain uaria suspicãtur, & primũ eius afferunt fuisse peccatũ quod non recte diuiserit: secundũ quod inuiderit fratri: tertiũ quod dolose egerit, dicens, Transeamus in campũ: quartũ quod occiderit: quintũ quod procaciter negauerit: sextum quod seipsũ dãnauerit, dicẽs, Maior mea culpa est, q̃ ut ueniã merear: septimũ quod nec dãnatus egerit pœnitentiã. & dicũt illũ à clemẽtissimo deo ideo usq; ad generationes septẽ fuisse dilatũ, ut saltẽ malis ipsis & longæuę uitæ mœrore cõpulsus pœnitentiã ageret, & mereretᵉ absolui. Nonnulli septenarium numerũ plenũ & perfectũ interpretãtur, de multis scripturarũ locis testimonia cõtrahentes: & hũc esse sensum quẽ supra præstrinximus, quod qui interfecerit Cain ab ingenti eũ omnis supplicij trãsitorij liberet pœna: quoniam septies uindicabitur de Cain, de Lamech aũt septuagies septies. Tradunt Hebræi LXXVII animas ex Lamech ꝓgenie reperiri, quæ diluuio deletæ sunt: & in hoc numero de Lamech factã esse uindictã, quod genus ipsius usq; ad cataclysmũ perseuerauerit: alij ab Adã usq; ad Christũ LXXVII generationes asseuerant, secundũ Lucæ euãgelistæ authoritatẽ. Sicut ergo septima generatione Cain peccatũ est dissolutũ: nõ uindicauit quippe dñs bis in idipsum, & qui semel recepit mala sua in uita sua, nõ eosdẽ cruciatus patietur in morte quos est passus in uita: ita & Lamech peccatũ, idest totius mũdi atq; sanguinis qui effusus est, Christi soluetur aduẽtu, qui tulit peccata mũdi, qui lauit amictũ suũ in sanguine uuæ, & torcular calcauit solus, & in ascẽsione sua miraculũ prębuit angelis. Posuitq; dñs in Cain signũ ut nõ eũ interficeret omnis q inuenisset eũ) Ipsũ uidelicet signũ, quod tremẽs & gemẽs, uagus & profugus semp uiueret: nec uspiam in orbe terrarũ sedes posset habere quietas: atq; ideo ut saluari posset, ædificauit ciuitatẽ. Dixit deus ad Cain: si recte offeras, & recte nõ diuidas, peccasti. utiq; qa & si antea Iudæi recte illa fecerũt, in eo tamẽ infidelitatis rei sũt, quia Christo ueniẽte iã tẽpus noui testamẽti à tẽpore ueteris testamẽti nõ distinxerũt. quod si obtẽperasset Cain, deo dicẽte, quiesce, sub te erit appetitus suus, & tu dñaberis illius: ad se conuertisset peccatũ suũ, sibi hoc tribuẽs & cõfi

 tens

tens deo:ac sic adiutus indulgétiæ gratia ipse peccato suo dominaret,non illo sibi dominâte seruus esset peccati,nec fratrẽ occidisset innocentẽ. Sic & Iudæi in quorũ figura hæc gerebantur,si quiescerent à sua perturbatione,& tẽpus salutis per gratiã in peccatorũ remissionẽ cognoscentes audirent Christũ dicentem, Non ueni uocare iustos,sed peccatores in pœnitẽtia: tunc ad se conuerterent peccatũ suum in confessione,sicut in psalmo XL scriptũ est,medico dicentes, Ego dixi domine miserere mei,sana animã meã,quia peccaui tibi. eidẽq; peccato quãdiu in eorum corpore esset adhuc mortali, per spem gratiæ liberi dominarentur, Nunc aũt ignorantes dei iustitiã, & suam uolentes cõstituere, elati de operibus legis,nõ humiliati de peccatis suis non quieuerũt,sed offenderunt in lapidem offensionis,& exarserunt iracũdia aduersus Christũ,cuius opera uidentes,accepta deo esse doluerunt. Sequit, Itaq; post hæc occiditur Abel minor natu,à fratre Cain maiore natu.) Occidit Christus caput populi minoris natu,à populo Iudęorũ maiore natu:ille in campo,iste in Caluarię loco. Interrogat deus Cain,non tanq; ignarus eum à quo discat,sed tanquã iudex reum quem puniat:& dicit,ubi sit frater eius:respõditq; ille,se nescire,nec eius esse custodem. Vsq; nunc quid nobis respondent Iudæi,quũ eos sanctarum scripturarũ uoce interrogamus de Christo? Illi nescire se Christũ respondent. Fallax enim Cain ignorantia,Iudæorũ est falsa negatio. Essent aũt quodammodo Christi custodes,si Christianã fidem accipere & custodire uoluissent. Sequit, Dixit deus ad Cain,Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.) Sic arguit in scripturis sanctis uox diuina Iudęos:habet enim uocem magnã sanguis Christi in terra. Quum enim accepto sacramento ab omnibus gentibus respõdetur, Amen:hæc est uox clara,uox sanguinis, quam sanguis iste exprimit ex ore fideliũ,eodem sanguine redemptorũ. Dixit deus ad Cain, Maledictus eris à terra quæ aperuit os suum,& suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.) Maledictus est enim populus Iudæorũ infidelis à terra,id est,ab ecclesia,quæ aperuit os suum in cõfessione peccatorum, accipere sanguinẽ Christi, qui effusus est in remissionem peccatorũ omnium de manu persequutoris nolẽtis esse sub gratia,sed sub lege,ut esset ab ecclesia maledictus: id est,ut ostẽderet eum ecclesia maledictũ testificante apostolo, Quicũq; enim,inquit,ex operibus legis sunt,sub maledicto sunt legis. Quum operatus fueris terrã,non dabit tibi fructus suos. In ipsa enim terra quã Christus portauit: id est,in eius carne ipsi operati sunt salutẽ nostram crucifigẽdo Christum,qui mortuus est propter delicta nostra: nec tamẽ eis dedit eadem terra uirtutem suam,quia nõ iustificati sunt in uirtute resurrectionis eius, qui resurrexit propter iustificationẽ nostram:qui & si crucifixus est ex infirmitate nostra,sed uiuit ex uirtute dei. Hæc est ergo uirtus terræ illius,quã non ostendit impĳs & incredulis, unde nec resurgens eis à quibus erat crucifixus apparuit,tãquam Cain operante terram, ut granum illud seminaretur. Vagus & profugus,siue ut in Septuaginta scriptum est, Gemens & tremens eris super

terram.

terram. Nunc ecce quis non uideat, quis non agnoſcat in tota terra quacunq; diſperſus eſt ille populus, quomodo ſit uagus in gẽtibus & profugus ab Hieruſalẽ: quomodo gemat mœrore amiſſi regni, & tremat tremore ſub innumerabilibus populis Chriſtianis. Ideoq; reſpondit, dicens, Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcõdar: & ero uagus & profugus in terra. Igitur omnis qui inuenerit me, occidet me. Vere inde uagus & profugus gemit & tremit, ne etiã regno terreno perdito, iſta uiſibili morte occidatur. Hanc dicit maiorẽ cauſam, quàm illam quod terra noſtra nõ dat uirtutẽ ſuam, ne ſpiritaliter moriat᷑: carnaliter enim ſapit & abſcondit ſe à facie dei, id eſt, iratum habere deum graue non putat, ſed hoc timet, ne inueniatur & occidatur. Carnaliter enim ſapit, tanq̃ operãs terram, cuius uirtutem non accepit. Sapere autem ſecundũ carnem mors eſt, quam ille non intelligens amiſſo regno gemit & corporalem mortem tremit. Sed quid ei reſpondit deus? Nequaquã ita fiet: ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur: ſiue ut Septuaginta tranſtulerunt, Septem uindictas exſoluet: id eſt, non ſic quomodo dicis, non corporali morte interibit genus impium carnaliũ Iudæorum: quicũq; eos ita perdiderit, ſeptem uindictas exſoluet: id eſt, aufert ab eis ſeptem uindictas quibus alligati ſunt propter reatum occiſi Chriſti. Hoc toto tempore quod ſeptenario dierũ numero uoluitur, magis quia non interijt gens Iudæorũ ſatis apparet fidelibus Chriſtianis, ſed ſolam diſperſionẽ meruerint, iuxta quod ait ſcriptura, Ne occideris eos ne quando obliuiſcantur populi mei legis tuæ, diſperge illos in uirtute tua & depone eos. Poſuit dominus in Cain ſignum, ut non eum interficeret omnis qui inueniſſet eum. Hoc reuera mirabile eſt, quemadmodũ omnes gentes quæ à Romanis ſubiugatæ ſunt, in ritum Romanorũ ſacrorũ tranſierint, eaq; ſacrilegia obſeruanda & celebranda ſuſceperunt: gens autem Iudęorũ ſiue ſub paganis regibus, ſiue ſub Chriſtianis non amiſit ſignum legis & circũciſionis ſuæ, quo à cæteris gentibus populiſq; diſtinguit᷑: ſed omnis imperator uel rex qui eos in regno ſuo inuenit, cũ ipſo ſigno eos inuenit & non occidit. Exijt ergo à facie domini, & habitauit in terra Naid, quod dicitur interpretatũ cõmotio, ſiue inſtabilis & fluctuans & ſedis incertæ, contra quod malũ deus rogatur in pſalmo, Ne dederis in motu pedes meos, & manus peccatorũ non moueant me. Nunc uero & Iudæi & omnes qui diuerſis erroribus cõtumaces ſunt, reſiſtendo ueritati uenundati exeunt à facie dei, id eſt, à miſericordia dilectionis eius uel à participatione lucis eius: & habitant profugi in terra cõmotionis, id eſt, in carnali cõturbatione, contra iocunditatẽ dei, hoc eſt, contra Eden, quod interpretatur epulatio, ubi eſt plantatus paradiſus. Sequit᷑,

De Enoch & eius poſteritate XXXIII

Cognouit autem Cain uxorẽ ſuam, quæ concepit & peperit Enoch: & ædificauit ciuitatẽ, uocauitq; nomẽ eius ex nomine filij ſui Enoch) Non eſt cõſequens quidẽ ut iſtum primũ filiũ genuiſſe credatur, neq; enim hoc ex eo putandũ eſt, quia dictus eſt cognouiſſe uxorẽ ſuã, quaſi tunc ſe illi primitus concũbendo miſcuiſſet. Nã &

ponere debeat homo: Maledictus enim omnis (sicut alibi legitur) qui spem suam ponit in homine. ac per hoc nec in se, ut sit ciuis alterius ciuitatis, quæ non secundũ filium Cain dedicatur hoc tempore, id est, mortalis huius seculi: sed in illa immortalitate beatitudinis sempiternæ. Nam & ista propago cuius pater Seth, in ea generatione habet dedicationis nomen, quæ septima est ex Adam, annumerato Adam: septimus enim ab illo natus est Enoch, quod interpretatur dedicatio. sed ipse est ille translatus quoniam placuit deo, & insigni numero in ordine generationum, quo sabbatum consecratum est, septimo scilicet ab Adam. Ab ipso autem patre istarum generationũ quæ discernũtur â progenie Cain, id est, à Seth sextus est: quoto die factus est homo, & consummauit deus omnia opera sua. Sed huius Enoch translatio nostræ dedicationis est præfigurata dilatio, quæ quidem iam facta est in Christo capite nostro, qui sic resurrexit, ut non moriatur ulterius: & quod præcessit in capite, speratur in corpore. Sequitur,

CAP. V HIC est liber generationis Adam, in die qua creauit deus hominem: ad similitudinem dei fecit illum: masculum & fœminam fecit eos deus, & benedixit illis, & uocauit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt.) Sed quare hinc reditur ad istam recapitulationem, postea quàm commemoratus est filius Seth, qui cœpit, uel sperauit inuocare nomen domini dei? Sed sciendum est, quod Enos filius Seth interpretatur homo, nõ sicut Adã: & ipsum enim nomen, homo interpretatur, sed cõmune perhibetur esse in illa lingua, id est, in Hebræa, masculo & fœminæ. Nam sic de illo scriptum est, Masculũ & fœminam fecit illos, & benedixit illis, & uocauit nomen eorũ Adam. Vnde non ambigitur sic appellatam fuisse fœminam Euam proprio nomine, ut tamen Adam, quod interpretatur homo, nomen esset amborum. Enos autem sic interpretatur, homo, ut hoc non posse fœminam nuncupari, periti linguæ illius asseuerent: tanquã filius resurrectionis, ubi non nũbent, neq; uxores ducent: non enim erit in resurrectione generatio, quum illuc perduxerit regeneratio. Sequitur, Vixit autem Adam centũ triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, uocauitq; nomen eius Seth. Vixit quoq; Seth cẽtum quinq; annis, & genuit Enos. Vixit uero Enos nonaginta annis, & genuit Cainan.) Dicet aliquis, Credendum'ne est hominẽ filios generaturum, nec habentem propositũ continentiæ, centum & amplius, uel certe secundum Hebræos non multo minus, id est, octuaginta, septuaginta, sexaginta annos à concumbẽdi opere non uacare: aut si non uacarent, nihil prolis gignere potuisse? Hæc quæstio duobus modis soluitur. Aut enim tanto senior fuit proportione pubertas, quãto uitæ totius maior annositas: aut quod magis uideo esse credibile, non hic primogeniti filij commemorati sunt, sed quos successionis ordo poscebat, ut perueniretur ad Noe, à quo rursus ad Abraham uidemus esse peruentum, ac deinde usq; ad certum articulum temporis: quantum oportebat signari, etiam generationibus cõmemoratis, cursum gloriosissimæ

ciuitatis

ciuitatis in hoc mundo peregrinātis & supernam patriam requirentis. Quod enim negari non potest, prior omnibus Cain ex coniūctione maris & fœminæ natus est: hunc sequutus Abel, quem maior frater occidit: sed quot annorum erat Adam quum eos genuit, non apparet. Porrò autem Seth quando natus est, non quidem taciti sunt anni patris eius, sed iam genuerat alios: & utrum solos Cain & Abel. nō enim quia soli nominati sunt, propter ordines generationum, quas commemorare oportebat: ideo cōsequens uideri debet solos fuisse tunc generatos ex Adam. Quum enim silētio coopertis omnibus nominibus cæterorum, legatur eum genuisse filios & filias, quota fuerit ista proles eius, quis præsumat asseuerare, si culpam temeritatis euitat? Adam autem quum esset centum triginta annorū genuit Seth. Seth autem quum centum quinq; esset annorum genuit Enos. Quis possit inconsideratus asseuerare hunc eius primogenitum fuisse, ut admirantes merito requiramus, quomodo per tot annos immunis fuerit à connubio sine ullo proposito continentiæ uel non genuerit coniugatus: quando quidem etiam de ipso legitur, Et genuit filios & filias, & fuerunt omnes dies Seth DCCCCXII annorum, & mortuus est: atq; ita deinceps quorum anni cōmemorantur, nec filios filiasq; genuisse reticentur: ac per hoc non apparet omnino, utrū qui nominatur genitus, ipse fuerit primogenitus. Immo uero quia credibile non est, patres illos ætate longa aut impuberes fuisse, aut coniugibus caruisse, uel fœtibus, nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est. sed quum sacræ scriptor historię ad ortum uitamq; Noe, cuius tempore diluuium factum est, per successiones generationum notatis temporibus intēderet peruenire, eas utiq; commemorauit, non quæ primæ suis parentibus fuerint, sed quæ in propagationis ordinē uenerint. Exempli gratia, quo ut id fiat apertius, aliquid interponā, unde nullus ambigat fieri potuisse quod dico. Euangelista Matthæus generationē dominicæ incarnationis per seriem parentum uolens commēdare memoriæ, ordinem à patre Abraham, atq; ad Dauid primitus ut perueniret intendens, Abraham, inquit, genuit Isaac: & non ait Ismahel, qui primogenitus fuit. Isaac autem genuit Iacob: & non dixit Esau, qui eius primogenitus fuit, quia scilicet per illos ad Dauid peruenire nō poterat. Deinde sequitur, Iacob autem genuit Iudam, qui non eius primogenitus fuit. Iudas, inquit, genuit Phares: sed ante illum iam tres genuerat. Eum itaq; tenuit in ordine generationū, per quem ad Dauid atq; inde quò tenderet, perueniret. Ex quo intelligi potest, ueteres quoq; homines ante diluūium non primogenitos, sed eos fuisse commemoratos per quos ordo succedētium generationum ad Noe patriarcham duceretur: & hoc intendebat author huius historiæ in cōmemorandis generationibus ex Adam per filium eius Seth, ut per illas perueniret ad Noe, sub quo factum est diluuium. Per Seth autem ab Adam usq; ad Noe, denarius insinuatur legitimus numerus. Cui Noe adijciuntur tres filij, unde uno lapso duo benedicuntur à patre, ut remoto reprobo & probatis filijs ad numerum

additis,etiam duodenarius numerus intimetur,qui & in patriarcharum & in apostolorũ numero insignis est propter septenarij partes, altera per alteram multiplicatis. Neq; enim mirandũ si uaria quãtitate numerositatis annorum interposita,per tam longam ætatem ab Adam usq; ad diluuium,non æqualis numeri generationes habuit utraq; progenies,sed per Cain VII, per Seth autem X. Septimus est enim,ut iam dixi,ab Adam Lamech:decimus Noe: & ideo non unus filius Lamech,sicut in cæteris superius, sed plures cõmemorati sunt:quia incertum erat,qui ei fuerat mortuo successurus,si regnandi tempus inter ipsum & diluuium remansisset. Quod quum Lamech septimus ab Adam fuisset inuẽtus,tot eius annumerati sunt filij,donec undenarius numerus impleretur,quo significatur peccatũ. Adduntur enim tres filij & una filia. Quoniã ergo lex denario numero prædicatur, unde est memorabilis ille decalogus,profecto undenarius numerus quoniam trãsgreditur denariũ,transgressionem legis,ac per hoc peccatũ significat. Progenies ergo ex Adam per Cain sceleratum homicidam undenario numero finitur,quo peccatum significatur:& ipse numerus fœmina clauditur,à quo sexu initium factum est peccati,per quod omnes morimur. Commissum est autem,ut & uoluptas carnis quæ spiritui resisteret,sequeretur. Nam & ipsa filia Lamech,Noema, hoc est uoluptas interpretatur. Vnde potuit fieri, ut uiuente adhuc Lamech atq; regnante,fieret diluuium,ut ipsum cum alijs omnibus hominibus, exceptis his qui in arca fuerunt,quem perderet,inueniret:impleretq; illud quod de semetipso ipse ait,De Cain septuplum ultio dabitur,de Lamech uero septuagies septies. Sic enim oportebat istas duas proponere ciuitates:unam ab homicida usq; ad homicidam,nam idem Lamech duabus uxoribus suis se perpetrasse homicidium confitetur:alteram per eum qui sperauit inuocare nomen domi-

Quæstio de annis Mathusalæ XXXV ni dei. Sequit. Porrò Enoch uixit septuagintaquinq; annos, & genuit Mathusalem.) Famosa quæstio & disputatione omnium ecclesiarum uentilata, quod iuxta supputationem diligentem XIIII annos post diluuium Mathusalem uixisse feratur, quum supra DCCCCLXXIX annis sit dictus uixisse, Et quomodo uerum est,quod octo tantum animæ in arca saluæ factæ sunt? Restat ergo ut quomodo in plerisq;,ita & in hoc sit error in numero:siquidẽ & in Hebræis & in Samaritanorum libris ita scriptum reperitur,Et uixit Mathusalem CLXXXVI annis,& genuit Lamech:& uixit Mathusalẽ postquàm genuit Lamech DCCLXXXII annos:& fuerunt omnes dies Mathusalæ anni DCCCCLXIX: Et uixit Lamech CLXXXII annos, & genuit Noe. A die ergo natiuitatis Mathusalæ usq; ad diem ortus Noe,sunt anni CCCLXIX. His adde DC annos Noe,quia in sexcentesimo uitæ eius anno diluuium factum est: atq; ita fit, ut DCCCCLXIX anno uitæ suæ, Mathusalem mortuus sit: eo

De uxoribus Lamech XXXVI scilicet anno quo cœpit esse diluuium. Sequitur, Dixit quoq; Lamech uxoribus suis Adæ & Sellæ, Audite uocem meam uxores Lamech,auscultate sermonem meum,Quoniam occidi uirum in uulnus meum,& adolescentulũ in

liuorem

liuorem meum, septuplũ ultio dabitur de Cain: de Lamech uero septuagies septies.) Iam alibi secundũ historiam dictum est, eo quod ab Adam usq; ad Christũ LXXVII generationes inueniuntur, in quibus peccatũ Lamech, idest totius mundi, sanguinis Christi effusione solutũ est. Siquidem & in populo Iudæorũ propter interfectionẽ Christi LXXVII uindictæ sunt statutæ: iuxta illud euãgelium in quo dictũ est Petro apostolo, Nõ solum septies, sed etiam septuagies septies, si pœnituerit fratri remittendũ: idest Iudæum reuertentem post LXXVII uindictas statutas recipiendum ad indulgentiam Christi.

CAP. VI De tribus filijs Noe XXXVII

NOE uero quum quingentorũ esset annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet. Quumq; cœpissent homines multiplicari super terrã, & filias procreassent, uidẽtes filij dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt uxores ex omnibus quas elegerant.) Homines hoc in loco stirpem Cain diuina scriptura, licet tacite uoluit demonstrare, hoc est filios possessionis. Cuius, nisi terrenæ ciuitatis, quæ in eius nomine condita est, qui dicitur Enoch? Enoch uero interpretatur dedicatio, quoniam hic habet eum quem intendit & appetit finem. Quod uero adiecit, Et filias procreassent: ostendit malum à sexu fœmineo rursus inuentum: non quidem illo modo quo ab initio, non enim cuiusq; etiam tunc fallacia seductæ illæ fœminæ persuaserunt peccatum uiris: sed ab initio, quæ prauis moribus fuerant in terrena ciuitate, idest in terrigenarũ societate, amatæ sunt à filijs dei propter pulchritudinẽ corporis: quod bonum, dei quidem donum est: sed propterea id largitur etiam malis, ne magnũ bonum uideatur bonis. Nam & alia trãslatio sic loquitur, Et factum est postq; cœperunt homines multi fieri super terram, & filiæ natæ sunt illis, uidẽtes angeli dei filias hominum quia bonæ sunt, sumpserunt sibi ex omnibus uxores quas elegerãt. Deserto itaq; bono magno & bono proprio, lapsus est factus ad bonum minimũ, non bonis proprium, sed bonis malisq; commune: ac sic filij dei filiarum hominum sunt amore capti, atq; ut eis coniugibus fruerẽtur in mores societatis terrigenæ defluxerũt, deserta pietate quam in sancta societate seruabant. Sic enim corporis pulchritudo, à deo quidẽ facta, sed temporale carnale infimũ bonum. Huius igit̃ charitatis, hoc est dilectionis & amoris ordine perturbato, deum filij dei, idest filij Seth, filij resurrectionis neglexerunt: & filias hominũ, idest Cain, dilexerunt. Certe & illi qui erãt filij Seth & dicti sunt filij dei, ijdem dicti sunt angeli dei: filij hominum erant per naturam, sed aliud nomen cœperant habere per gratiam. Nam in eadem scriptura ubi dicti sunt filij dei, ibi dicti sunt angeli dei. Sed quęritur quẽadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum cõcumbere, unde gigantes nati esse perhibẽtur: quod quidẽ homines iustos fuisse credimus, qui potuerunt etiam angelorũ nomine nuncupari. Nam de homine Ioanne scriptum est, *Ecce ego mitto angelum meum ante faciẽ tuam, qui præparabit uiam tuam.* Sed hoc mouet, quomodo ex hominum concubitu nati sunt gigantes: uel fœminis misceri potuerint, si non homines, sed angeli fuerunt. Dei tamẽ angelos sanctos

nullo modo illo tẽpore sic labi potuisse crediderim: nec de his dixisse apostolum Petrum, Si enim deus angelis peccãtibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in iudicio puniẽdos reseruari. De gigantibus autem, idest nimiũ grandibus atq; fortibus puto non esse mirãdum, quod ex hominibus nasci potuerunt: quia & post diluuiũ quidam tales fuisse reperiuntur. Vnde credibile est, homines iustos appellatos uel angelos uel filios dei, concupiscentia lapsos peccasse cum fœminis, q̃ angelos carnem non habẽtes usq; ad illud peccatũ descendere potuisse. Sequitur, Dixit quoq; deus, Non permanebit spiritus meus in homine in æternũ, quia caro est, erũtq; dies eius CXX annorũ. Gigantes aũt erant super terram in diebus illis.) Spiritu quippe dei fuerant facti angeli & filij dei, sed declinando ad inferiora dicuntur homines, nomine naturæ, non gratiæ. Dicũtur & caro desertores spiritus, & deserendo deserti. Quod aũt dixit deus, Erunt dies eorum CXX anni: non sic accipiendum est, quasi prænuntiatũ sit post hæc homines CXX annos uiuendo non transgredi: quum & post diluuium etiam quingẽtos quosdam excessisse inueniamus: sed intelligẽdum est hoc deum dixisse, quum circa finẽ quingentorum annorum esset Noe, idest CCCCLXXX uitæ annos ageret, quos more suo scriptura quingentos uocat, nomine totius maximã partem plerũq; significans. Sexcẽtesimo quippe anno uitæ Noe secũdo mense factũ est diluuium, ac sic CXX anni prædicti sunt futuræ uitæ hominũ periturorũ, quibus transactis diluuio delerẽtur. Siue aliter ut in Hebræo habetur, Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternũ, quoniã caro sunt. hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos seruabo ab æterno cruciatu: sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non seueritatẽ, ut in nostris codicibus legitur: sed clementiã dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere uisitatur. Porrò ne uideretur in eo esse crudelis, quod peccantibus locũ pœnitentiæ non dedisset, adiecit, Sed erunt dies eorum CXX anni: hoc est, habebunt CXX annos ad agendam pœnitentiã. Non igitur humana uita, ut multi errãt, in CXX annos contenta est: sed generationi illi CXX anni ad pœnitentiã dati sunt. Siquidem inuenimus post diluuium, quod Abrahã uixerit CLXXV annos. Noluit deus tempus expectare decretũ, sed XX annorum spatijs amputatis induxit diluuium, anno DC, agendæ pœnitentiæ destinato. Sequit̃, Gigantes aũt erant super terram in diebus illis.) Hæc uerba diuini libri satis indicant iam illis diebus fuisse gigantes super terrã, quando filij dei acceperunt uxores filias hominum. Sequitur, Postq̃ enim ingressi sunt filij dei ad filias hominum, illæq; genuerunt, isti sunt potentes à seculo uiri famosi.) Postq̃ hoc factum est, nati sunt gigãtes. Sic enim ait, Gigantes autem erant super terram in diebus illis, quum eas amarent pulchras. Nam alia translatio nõ pulchras, sed bonas: id est speciosas corpore, bonas uocat. Quod autẽ ait, Et generabant, siue genuerunt sibi: satis ostẽdit quod prius anteq̃ sic caderent filij dei, deo generabãt, non sibi: idest non dominãte libidine coeundi, sed seruiente officio propagandi: non

De gigãtibus XXXVIII

di:non familiã fastus sui,sed ciues ciuitatis dei. Nec mirandũ est,quod etiam de ipsis gigãtes nasci potuerunt:neq; enim omnes gigantes, sed magis multi utiq; tunc fuerunt,q̃ post diluuiũ temporibus cæteris,quos propterea creare placuit creatori,ut etiam hinc ostenderetur non solum pulchritudines,uerum etiã magnitudines & fortitudines corporũ non magnipendẽdas esse sapiẽti.

Videns aũt deus quod multa malitia hominũ esset in terra,& cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malũ omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra:& tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo,inquit,hominem quem creaui à facie terræ,ab homine usq; ad animantia,à reptili usq; ad uolucres cœli:pœnitet enim me fecisse eos) Neq; enim sicut hominẽ ita deum cuiusquã facti sui pœnitet, cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Vnde tropica loquutione in scripturis etiã pœnituisse legitur deũ:iuxta id ubi dicit̃, quod homo sperauerat,uel naturalium causarum ordo gestabat:non iuxta id,quod se omnipotẽs facturũ esse præsciuerat. Sed si non utatur scriptura talibus uerbis,non se quodãmodo familiarius insinuaret omni generi hominũ,quibus uult esse consultũ,ut & puniat superbiẽtes,& excitet negligẽtes,& exerceat quęrentes,& alat intelligẽtes:quod non faceret,si non prius se inclinaret,& quodãmodo descenderet ad iacentes. Videns,inquit,deus,quia multiplicata est malitia hominũ super terrã,& omnis cogitatio cordis illius intenta esset ad malũ omni tempore, pœnituit eum quod hominẽ fecisset in terra. Pœnitudo dei,mutandarũ rerum est immutabilis ratio. Quod aũt interitum omnium animalium terrenorũ,uolatiliumq; denuntiat,magnitudinẽ futuræ cladis effatur,non animãtibus rationis expertibus,tanq̃ & ipsa peccauerint,minatur exitium. Sequit̃, Noe uero inuenit gratiã corã domino. Noe uir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis) Si nullus sine peccato,quomodo aliquis pfectus esse potest:nisi quia perfecti hic aliqui dicũtur,non sicut perficiẽdi sunt sancti in illa immortalitate,qua æquabũtur angelis dei,sed sicut esse potest in hac peregrinatione peccati. Cum deo ambulauit:hoc est,illius uestigia sequebatur. Dixit deus ad Noe,Finis uniuersæ carnis uenit corã me:repleta est terra iniquitate.) Significat interitũ omnium mortaliũ,præter illos qui in arca saluandi erant. Illi igitur quasi seminariũ secũdæ originis seruati sunt. Nec frustra sic creditur factũ esse diluuium, iam non inuentis in terra qui non erant digni tali morte defungi,qua in impios uindicatũ est:non quo quicquã bonis quandoq; morituris tale genus mortis faciat aliquid quod eis possit obesse post mortem. Verũtamen nullus eorum diluuio mortuus est, quos de semine Seth propagatos sancta scriptura commemorat. Quod uero ait,Et ego disperdã eos cum terra: quomodo cum terra homines dicuntur esse perditi,dum illis pereũtibus materies terræ postea remãserit:nisi quod datur intelligi terræ speciẽ,uigorẽ,uel fœcunditatẽ longe inferiorẽ post diluuium q̃ antea habuit:& fortassis idcirco hominibus carnes edere licentia postea cõcessa est. Nam ante diluuium fructibus terræ tan-

De pœnitudine dei XXXIX

tũmodo uictitabant. Sequit, Fac tibi arcam de lignis leuigatis.) Quid enim per ligna leuigata, de quibus arca præcipit fieri, nisi fortia & insolubilia: unde alia translatio, nõ leuigata, sed quadrata præcepit fieri: ut arca nec uentorũ ui, nec aquarũ inũdatione solui, uel euerti potuisset. Sequit, Et bitumine linies) Bitumẽ est feruentissimũ & uiolentissimũ gluten, cuius est hæc uirtus, ut ligna quæ ex eo fuerint lita, nec uermibus exedi, nec solis ardore, uel uẽtorum flatibus, aut aquarũ possint assiduitate dissolui. Sequit, Trecẽtorum cubitorum erit longitudo arcæ, L cubitorũ latitudo, & XXX cubitorũ altitudo illius.) Talem ergo arcæ speciẽ debemus intelligere, ut quatuor angulis eam ex imo ad summũ surgẽtem, & ijsdem paulatim usq; ad summũ in angustũ attractis, in spatium unius cubiti fuisse collectam: & in fundamẽto CCC cubiti in longitudine & in latitudine L sint, & altitudine XXX, sed collecta in cacumen angustum, ut cubitus sit lõgitudinis & latitudinis. & uere nulla potuit tã cõueniens & cõgruens arcæ species dari, quã ut summo uelut è tecto quodã angusto culmine diffunderet imbriũ ruinas: & in imo in aquis quadrata stabilitate consistens, nec impulsu uentorũ, nec impetu fluctuũ, nec inquietudine animalium quæ intrinsecus erant, aut inclinari posset, aut mergi. Dicere solent etiã quidã, non potuisse capere illius quantitatem animaliũ genera tam multa in utroq; sexu, bina de immundis, septena de mundis: qui mihi uidentur non cõputare nisi CCC cubita lõgitudinis, & latitudinis L: nec cogitare tantũ aliud esse in superioribus, itemq; aliud tantũ in superioribus superiorũ: ac per hoc ter ducta illa cubita fieri XC, & in latitudine CL. Si aũt cogitemus quod Origenes nõ ineleganter astruxit, Moysen scilicet hominẽ dei eruditũ (sicut scriptũ est) omni sapiẽtia Ægyptiorũ, qui geometricã dilexerunt, geometrica cubita significare tuisse, ubi unum quantũ sex nostra ualere asseuerent: quis nõ uideat quantum rerũ capere illa potuit magnitudo? Nam illud quod disputãt, tantæ magnitudinis arcã non potuisse cõpingi, ineptissime calumniãtur, quũ sciant immẽsas urbes fuisse cõstructas: nec attendunt C annos, qbus arca illa est fabricata: nisi forte lapis lapidi adhærere potest, sola calce coniũctus, ut murus per tot milia circũagatur, & lignum ligno cementatũ, clauis solidatũ, gluten bituminis non potest adhærere, ut fabricet arca: non curuis, sed rectis lineis longe lateq; porrecta, quam nullus in mare mittat conatus hominũ, sed leuet unda quum uenerit naturali ordine ponderum, magisq; diuina prouidẽtia, quàm humana prudentia natantẽ gubernet, ne incurrat ubicũq; naufragium. Sequitur, Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatẽ. Ostium autẽ arcæ pones ex latere deorsum. Cœnacula & tristega facies in ea.) Idcirco fenestram in summitate arcæ iubet fieri, ut haberet unde emittere posset aues ad explorandã terræ siccitatẽ. Ostium aũt quod in latere arcæ factum dicitur, eo loco fuisse credẽdũ est, ut & inferiora quæ dixit bicamerata inferiora haberet: & quæ dixit tricamerata superiora à loco ostij appellata sint: & inde ingressa sint uniuersa animalia per sua quæq; loca secundũ cõgruam rationẽ, discreta

De mensura arcæ XL

cœnacula

cœnacula & tristega: quod alia trāslatio bicamerata & tricamerata uoluit nominare, ita ut quinq; habitationes distinctas in ea esse aduertamus: inferiora loca stercoribus esse deputata, ne animalia & præcipue homines fimi fœtore uexarentur: huic aūt superior & cōtigua bicamerata, quæ cōseruaturæ seu stabulis animaliū deputaretur. In hos ergo usus inferiores partes, quæ bicameratæ dicuntur, tradunt fuisse distinctas: superiores uero partes quę tricameratæ dicūtur, ad habitaculū primo bestijs uel animalibus immitioribus uel serpētibus deputatas esse: ab his uero cōgrua in superiorib. loca, mitioribus animantibus stabula fuisse: supra omnia uero in excelso, auibus & hominibus sedem locatā, ut sicut sapiētia omnia antecedit, ita & homo cūcta præcelleret animalia: & sic quinq; māsiones in eadē arca fuisse intelligūtur, prima stercoraria, secūda apothetica, tertia feris animātibus, quarta māsuetis, quinta hominibus.

QVOD uero deus præcepit Noe, de animantibus mundis & immundis bina inducere in arcā, masculini sexus & fœminini, de uolucribus iuxta genus suū, & de iumētis in genere suo, & ex omni reptili terræ secūdum genus suum bina de omnib. ingredi præcepit. Postea uero addidit, De animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & fœminā, de animantibus uero non mūdis duo & duo, masculum & fœminā: sed & de uolatilibus cœli septena & septena, masculum & fœminā. non duo & duo, propter quatuor: sed tantummodo duo, propter masculū & fœminam. & de mundis solummodo septem: qui idcirco immūda pari numero posuit, propter genus conseruandū: munda uero impari, ut Noe haberet unde hostias deo immolaret ex mundis: uel certe pluriora fuerunt munda, quàm immūda, propter futurum humano generi usum, qui ex mundis debebatur hominibus, ut plura essent quæ prodessent, quàm quæ nocerent. Quod autem scrupulosissime quæri solet, & de minutissimis bestiolis, nō solum quales sunt mures & stelliones, uerum etiam quales locustæ, scarabei, muscæ deniq; & pulices: utrum non amplioris numeri in arca illa fuerint, quàm qui est definitus, quum hoc imperaret deus: prius admonendi sunt quos hæc mouent, sic accipiendum esse quod dictum est, Quæ repunt super terram: ut necesse non fuerit conseruari in arca, quæ possunt in aquis uiuere, non solum mersa, sicut pisces, uerum supernatantia, sicut multæ alites. Deinde quum dicitur, Masculus & fœmina erunt: profecto intelligitur ad reparandum genus dici: ac per hoc nec illa necesse fuerat ibi esse, quæ possunt sine concubitu de quibuscunq; rerum corruptionibus nasci: uel si fuerint, quæ in domibus esse cōsueuerūt, sine ullo numero definito esse potuisse. Aut si mysterium sacratissimum quod agebatur, & tanta figura etiam ueritate facti aliter non posset impleri: nisi ut omnia ibi certo illo numero essent, quæ uiuere in aquis natura prohibente non possent: non fuit ista cura illius hominis, uel illorum hominum, sed diuina: non enim ea Noe capta intromittebat, sed uenientia intrare permittebat. Ad hoc enim ualet quod dictum est, Intrabunt ad te: non scilicet hominis actu, sed dei nutu: ita sanè ut non illic

CAP. VI.

fuisse credenda sint, quę sexu carent. Præscriptū est enim atq; diffinitū est, masculus & fœmina erūt. Alia sunt quippe quæ de quibusq; rebus sine cōcubitu ita nascūtur, ut postea concūbant & generēt, sicut muscæ. Alia uero in quibus nihil sit maris & fœminæ, sicut apes. Ea porrò quæ sic habent sexū, ut non habeant fœtum, sicut muli & mulæ, mirū si fuerunt ibi: ac si non potius parentes eorum ibi fuisse sufficeret, equinum uidelicet atq; asininū genus, & si qua alia sunt, quæ cōmixtione diuersi generis genus aliquod gignunt: sed si & hoc ad mysteriū pertinebat, ibi erant. Habet enim & hoc genus masculū & fœminā. Solent etiā mouere nonnullos genera escarū, quæ illic habere poterāt animalia, quæ non nisi carnibus uesci putātur, utrum præter numerū ibi fuerint sine transgressione mādati, quæ aliorum alendorū necessitas illic coegisset includi: an uero, quod potius est credendum, præter carnes aliqua alimēta esse potuerunt, quæ omnibus cōuenirent. Nouimus enim q̃ multa animalia, quibus caro cibus est, quod frugibus pomisq; uescantur, & maxime fico atq; castaneis. Quid ergo mirū, si uir ille sapiens & iustus, etiā diuinitus admonitus, qd cuiq; cōgrueret, sine carnibus aptam cuiq; generi alimoniā præparauit & cōdidit? Quid est aūt quod uesci non cogeret fames? aut quid nō suaue aut salubre facere posset deus, qui etiā ut sine cibo uiuerent, diuina facilitate donaret, nisi ut pascerentur etiā hoc implēdæ figuræ tanti mysterij cōueniret? Opinātur quidam tam magnum fieri nō potuisse diluuiū, ut altissimos montes XV cubitis aqua crescendo transcēderet, propter Olympi montis uerticē super quē perhibentur nubes non posse cōcrescere, quod tam sublime iam cœlū sit, ut non ibi sit iste aer crassior, ubi uenti nebulæ ignesq; gignūtur: nec attēdunt omniū elementorū crassissimā terrā ibi esse potuisse: an fortè negant esse terrā in uertice montis. Quur igitur usq; ad illa cœli spatia terris exaltari licuisse, & aquis non licuisse contēdunt, quū isti mēsores & pensores elementorū aquas terris perhibeāt superiores atq; leuiores? Quid itaq; rationis afferūt, quare terra grauior & inferior locū cœli tranquillioris inuaserit per uolumina tot annorū, & aqua leuior ac superior permissa non sit hoc facere saltē ad tempus exiguū? Quæri etiam potest, quare in ingressu hominū in arcā, seorsum uiri & seorsum nominatæ sint fœminæ: in egressu uero dictū est ad Noe, Egredere tu & uxor tua, filij tui & uxores filiorū tuorum cum eis. nisi quia dānato seculo, & pereunte omni genere mortaliū, soli illi à periculo liberati usq; dum arca requiesceret, & exitia aquarū cessarent, à concubitu cessarent: & sic denuo reuerterentur ad idipsum corpori debitū nuptiarum, ut crescerent & multiplicarētur super terram: & ideo in ingressu diuisi, in egressu uero iugatim sunt nominati. Computantur autem ab Adam usq; ad diluuiū, secundū æditionem Septuaginta interpretū, anni II M CCLXII: secundū autem Hebræam, MDCLVI. Seqtur,

CAP. VIII *De recordatione dei in Noe* XLI

RECORDATVS est autem dominus Noe, cūctorumq; animantiū & omniū iumentorū quæ erant cum eo in arca.) Neq; enim obliuio in deo est aliquando, ut recordetur quod oblitus fuerat: sed recordationē pro misericordia

scriptor

scriptor posuit. Sequitur, Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.) Bene enim de illo spiritu intelligi potest, de quo dictũ est, Spiritus dei ferebatur super aquas. Tunc enim ferebatur, ut cõgregatis aquis in suũ locum terra apparuisset. Nunc aũt ductus dicitur, ut ablatis de medio aquis diluuij, faciẽ terræ reuelaret. Potest & spiritus nomine uẽtus intelligi, iuxta illud psalmistæ, Dixit & stetit spiritus procellæ: cuius flatibus crebris aqua cogeret̃ recedere de terra. Sequitur, Reuersæ sunt aquæ de terra, euntes & redeuntes.) Quò reuersæ sunt aquæ euntes & redeũtes: nisi quod omnes fluuiorũ ac riuorum decursus per occultas terræ uenas ad matricem abyssum redeũt: iuxta illud Salomonis, Ad locũ unde exeunt flumina reuertuntur, ut iterum fluant. Sed hoc quæri potest, quare columba ramum oliuæ ad uesperũ uirentibus folijs reportauerit in ore suo: nisi quod post mũdi crimina diluuio quodãmodo expiata, effusa similitudine diuini muneris gratiã demonstrans, per oliuæ ramum refectionis ac luminis pacem terris redditã nuntiauit. Ecce ut potuimus & ut dominus dedit, de arcæ fabrica iuxta historiam aliqua explanare conati sumus: nunc autẽ spiritalis intelligentiæ uela pandamũs, & quam à terra extulit aqua, super cœlum efferat spiritalis intelligentia. Imperat deus ut arcam faciat Noe de lignis nõ putrescẽtibus, ita & ecclesia cõstruitur à Christo ex omnibus gentibus in æternum uicturis. Arca enim ista, ecclesiam demõstrabat, quæ natat in fluctibus mũdi huius: & sic Noe cum suis omnibus, idest uxore & filijs & nuribus, & cum animalibus quæ ad illum ex dei præcepto in arcam ingressa sunt, ut liberarẽtur à diluuij uastitate, proculdubio figura est peregrinantis in hoc seculo ciuitatis dei, hoc est ecclesiæ, quæ fit salua per lignum in quo pependit mediator dei & hominum, homo Christus Iesus. Quod de lignis quadratis eadem arca fabricatur, undiq; stabilem uitam sanctorũ significat, ad omne opus bonum paratam. Quadratum enim quocũq; impuleris, stantem inuenis. Quod sexies longa ad latitudinẽ suam, & decies ad altitudinem suã, humani corporis instar, ostendit: quia in corpore humano Christus apparuit. Nam & mensura ipsa longitudinis & altitudinis & latitudinis eius, significat corpus humanũ, in cuius ueritate ad homines prænũtiatus est uenturus, & uenit. Humani quippe corporis longitudo à uertice usq; ad uestigia, sexies tantum habet, quantũ latitudo quæ est ab uno latere ad alterum latus: & decies tanquam altitudo, cuius altitudinis mensura est in latere à dorso ad uentrem: uelut si iacentem hominẽ metiaris supinum seu pronum, sexies tantum longus est à capite ad pedes, quàm latus à dextera in sinistrã, uel à sinistra in dexteram: & decies quàm altus à terra. Quod cubitis quinquaginta latitudo eius expanditur: sicut dicit apostolus, Cor nostrum dilatatum est. Vnde, nisi de charitate spiritali? Propter quod ipse item dicit, Charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Quinquagesimo enim die post resurrectionem suam Christus spiritum sanctum misit, quo corda credentium dilatauit, Vnde facta est arca trecentorum in

longitudine

longitudine cubitorũ, & quinquaginta in latitudine, & XXX in altitudine, & deinde trecentis cubitis longa eſt, ut ſexies quinquaginta cõpleantur: ſicut ſex ætatibus omne huius ſeculi tempus extenditur: in quibus omnibus Chriſtus nunquam deſtitit prædicari: in quinq; per prophetiam prænũtiatus, in ſexta per euãgelium diffamatus. Quod eius altitudo in XXX cubitos ſurgit, quem numerum decies habet in trecentis longitudo: quia Chriſtus altitudo noſtra, qui XXX annorum ætatem gerens doctrinam euangelicã conſecrauit, conteſtans legem nõ ſe uenisse ſoluere, ſed implere. Legis autem cor in X præceptis agnoſcitur. Vnde decies tricenis arcæ longitudo perficitur. Vnde & ipſe Noe ab Adam decimus computatur. Quod bitumine glutinãtur arcæ ligna intrinſecus & extrinſecus, ut in compage unitatis ſignificetur tolerãtia charitatis: ne ſcandalis eccleſiam tentantibus, ſiue ab eis qui intus, ſiue ab eis qui foris ſunt, cedat fraterna iunctura, & ſoluatur uinculum pacis. Eſt enim bitumen ferventiſſimum & uiolẽtiſſimum gluten, ſignificans dilectionis ardorem, ui magnæ fortitudinis ad tenendam ſocietatẽ ſpiritalem omnia tolerantem. Quod cuncta animalium genera in arca clauduntur, ſic & omnes gentes, quas etiam Petro demonſtratas diſcus ille ſignificat quem eccleſia cõtinet. Quod munda & immunda ibi ſunt animalia, ſic & in eccleſiæ ſacramẽtis & boni & mali uerſantur. Quod ſeptena ſunt mũda, & bina immũda: non quia pauciores ſunt mali q̃ boni, ſed quia boni ſeruant unitatẽ ſpiritus in uinculo pacis. Sanctũ autem ſpiritum diuina ſcriptura in ſeptiformi operatione cõmendat, ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis & timoris dei. Vnde & ille numerus L dierum ad aduentũ ſancti ſpiritus pertinẽs, in ſepties ſeptenis qui fiunt XLIX, uno addito conſummatur: propter quod dictũ eſt, ſtudentes ſeruare unitatem in uinculo pacis. Mali autem in binario numero ad ſchiſmata faciles & quodãmodo diuiſibiles oſtendũtur. Quod ipſe Noe cum ſuis octauus enumerat᷑: quia in Chriſto ſpes reſurrectionis noſtræ apparuit, qui octauo die, ideſt poſt ſabbati ſeptimũ primo à mortuis reſurrexit: qui dies à paſſione tertius, in numero aũt dierũ qui per omne tempus uoluũtur, octauus & primus eſt. Quod arca collecta ad unũ cubitũ deſuper conſummatur, ſic & eccleſia, quę eſt corpus Chriſti in unitate collecta ſublimatur & perficitur. unde dicit in euangelio, Qui mecum non cõgregat, ſpargit. Et quod oſtium in latere accepit, profecto illud eſt uulnus, quãdo latus Chriſti lancea perforatũ eſt: hac quippe ad illũ ueniẽtes ingrediunt᷑, quia inde ſacramẽta manarũt quibus credẽtes initiãtur. Nemo quippe intrat in eccleſiã, niſi per ſacramẽtũ remiſſionis peccatorũ, quod de Chriſti latere aperto manauit. Quod inferiora arcę bicamerata & tricamerata cõſtruunt᷑, ut ab imo ſurſũ uerſus tertia cõſurgeret habitatio: bicamerata dicta eſt propter duo genera hominũ, circũciſionẽ ſcilicet & præputiũ, quos apoſtolus alio modo dicit, Iudæos & Græcos: tricamerata uero, eo quod omnes gentes de tribus filijs Noe poſt diluuiũ reparatæ ſint. Poſſunt hinc intelligi & tria illa quæ commendat apoſtolus: fides, ſpes, charitas.

tas. Possunt etiam multo conueniētius tres illæ ubertates euangelicæ: tricena, sexagena, cētena: ut in infimo habitet pudicitia cōiugalis, supra uidualis, atq; hac superior uirginalis. Et ideo arcæ inferiora dicta sunt, quia in hac terrena uita est diuersitas gentium, in summo autem omnes in unum consummātur, & non est uarietas, quia omnia & in omnibus Christus est, tanq̄ nos in uno cubito desuper cœlesti unitate consummans. Quod post septem dies postq̄ ingressus est Noe in arcam factum est diluuiū: quia in spe futuræ quietis quæ septimo die significata est, baptizamur. Quod præter arcā omnis caro quam terra sustentabat, diluuio cōsumpta est: quia præter ecclesiæ societatem, aqua baptismi quamuis eadem sit, non solum nō ualet ad salutem, sed ualet potius ad perniciem. Quod XL diebus, & XL noctibus pluit: quia omnis reatus peccatorum qui in X præceptis admittitur per uniuersum orbem terrarū, qui quatuor partibus cōtinetur: decem quippe quater ducta XL fiunt: siue ille reatus qui ad dies pertinet ex rerum prosperitate, siue qui ad noctes ex rerū aduersitate contractus sit, sacramento baptismi cœlestis abluit̄. Quod Noe quingentorum erat annorū quum ei loquutus est dominus, ut arcā sibi faceret, & sexcentos agebat annos quū in eam est ingressus: unde intelligitur per C annos arca fabricata: quid aliud hic uidētur C anni significare, nisi ætates singulas seculi? unde ista sexta ætas quæ completis D usq; ad DC, significatur in manifestatione euangelica construi. Et ideo qui sibi ad uitā consulit, fit uelut quadratum lignū, paratus ad omne opus bonum: & intret in fabricam sanctā, quia secundus mensis anni DC, quo intrat Noe in arcam, eandem senariā ætatem significat. Duo enim mēses, sexagenario numero claudūtur. A` senario autem numero & LX cōmemorātur & DC & VI milia & LX milia & DC milia & sexcenties, & quicquid deinceps in maioribus summis per eundē articulū numerus in infinita incrementa consurgit. Et quod XX & VII dies mensis cōmemorantur, ad eiusdem quadraturæ significationē pertinet, quæ iam in quadratis lignis exposita est: sed hic euidētius, quia nos ad omne opus bonum paratos, idest quodāmodo quadratos trinitas perficit, in memoria qua deum recolimus, in intelligentia qua cognoscimus, in uolūtate qua diligimus. Tria enim ter, & hoc ter, fiunt XXVII, qui est numeri ternarij quadratus. Quod VII mēse arca sedit, hoc est requieuit: ad illam septimā requiē significatio recurrit, qua perfecti requiescūt. Ibi quoq; illius quadraturæ numerus iterat̄. Nam XXVII die secūdi mensis commendatū est hoc sacramentū, & rursus XXVII die septimi mensis eadem commendatio confirmata est, quum arca requieuit. Quod enim promittitur in spe, hoc exhibetur in re: quia ipsa septima requies cū octaua resurrectione coniūgitur. Neq; enim reddito corpore finitur requies, quæ post hanc uitā excipit sanctos: sed potius totū hominē, non adhuc in spe, sed iam in re ipsa, omnia ex parte & spiritus & corporis perfecta, immortali salute renouatum, in æternæ uitæ munus assumūt. Quia igitur septima requies cum octaua resurrectione coniūgitur, & hoc in sacramento regenerationis nostræ,

idest

idest in baptismo, altum profundumque mysterium est. Quod quindecim cubitis supercreuit aqua, excedens altitudinem montium, id est, hoc sacramentum transcendit omnem sapientiã superborum. Septem quippe & octo coniuncti, quindecim faciũt. Et quia septuaginta à septem, & octuaginta ab octo denominantur, coniuncto utroque numero centũ quinquaginta diebus exaltata est aqua, eandem nobis cõmendans atque cõfirmans altitudinem baptismi, in sacrando nouo homine, ad tenendam quietis & resurrectionis fidem. Quod post dies quadraginta emissus coruus non est reuersus, aut aquis utique interceptus, aut aliquo supernatando cadauere illectus, significat homines in immunditia cupiditatis teterrimos: & ob hoc ad ea quæ foris sunt in hoc mũdo nimis intentos, aut rebaptizari, aut ab his quos præter arcam, id est, præter ecclesiam baptismus occidit, seduci & teneri. Quod columba emissa non inuenta requie reuersa est, ostendit per nouum testamentũ requiem sanctis in hoc mundo non esse promissam. Post quadraginta enim dies emissa est, qui numerus uitam quæ in hoc mũdo agitur significat. Denique post septem dies dimissa, propter illam septenariam operationẽ spiritalem, oliuæ fructuosæ surculum retulit: quo significaret nonnullos etiam extra ecclesiam baptizatos, si eis pinguedo nõ defuerit charitatis, posteriore tempore quasi uespere, in ore columbæ tanquam in osculo pacis, ad unitatis societatẽ posse perduci. Quod post alios septem dies dimissa reuersa non est, significat finem seculi, quando erit sanctorum requies: non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore satiatur ecclesia, quãdiu bibitur quod de Christi latere manauit: sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ, quũ traditur regnum deo & patri, ut in illa perspicua contẽplatione incõmutabilis ueritatis nullis mysterijs corporalibus egeamus. Nimis longum est, ut uel tam breuiter, quàm hæc cucurri, cuncta cõtingamus, cur sexcentesimo primo anno uitæ Noe, id est, peractis sexcentis annis, aperitur arcæ tectum, & tanquam reuelatur quod erat abscõditum sacramentum: cur uigesimo septimo die secundi mensis dicitur siccasse terra, tanquam finita esset baptizãdi necessitas, in numero dierum, quinquagesimo & septimo: ipse est enim dies secundi mensis uigesimus septimus, qui numerus ex illa coniunctione spiritus & corporis, septies octonos habet, uno addito propter unitatis uinculum. Quur de arca coniũcti exeunt, qui disiuncti intrauerunt seorsum uiri & seorsum fœminę? Exeunt autem Noe & uxor eius, filij eius & uxores filiorum eius: nunc coniuncti cõmemorati masculi & fœminæ. Quia in fine seculi, atque in resurrectione iustorũ omnimoda & perfecta pace spiritui corpus adhærebit, nulla mortalitatis indigentia uel cõcupiscentia resistente. Sequitur, Ædificauit autem Noe altare domino, & tollens de cunctis pecoribus & uolucribus mundis obtulit holocausta super altare, odoratusque est dominus odorem suauitatis.) Si deus omnia fecerat bona, & etiam ualde bona, quid est quod tollens Noe de cunctis pecoribus & uolucribus mundis, & sic obtulit holocausta? Nequaquam aliquid in sui natura immundum

De constructione altaris & pecoribus mundis & immundis XLII

dum creatum est, sed ad comparationem melioris, quod bonum in sua natura est, quasi immundum putatur. Constructio quippe altaris, sanctæ trinitatis confessio intelligenda est: de qua dominus ascendens ad cœlos apostolis tradidit, dicens, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæ præcepi uobis. Super hoc altare fidei sumpsit ex omni pecore mūdo, & ex omni aue munda, & obtulit hostias sanctas domino placentes, rationabile obsequium sanctorum. Per pecus enim mundum illi significati sunt, qui simpliciter uiuunt in ecclesia, sensumq́ retinent innocentiæ, nec habent morsum malitiæ. Porrò per auem mundā illi intelliguntur, qui in lege domini meditantur die ac nocte, qui possunt dicere cum apostolo, Nostra autē conuersatio in cœlis est, non quod naturaliter mūdi essent, in iniquitatibus cōcepti, & in delictis generati: sed quod iam renati ex aqua & spiritusancto recte mundi appellentur: & sic postmodum super altare fidei oblati sint deo patri, mortificati carne, uiuificati autem spiritu. Odoratusq́ est dominus odorem suauitatis. Neq; enim deus odore carnium, aut sanguine irrationabilium pecorum delectatur: quod se utiq; nequaquam exquisisse per Esaiam prophetā testatus est: sed odoratus est, hoc est delectatus, humani generis ad se conuersionem & salutem credētium. Sequitur, Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malū prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur ultra percutiam omnem animantē sicut feci.) Nequaquam enim post resurrectionem dominabuntur corporibus uitia atq; peccata, neq; corruptioni subiacebunt & morti corpora, quæ post resurrectionem ad gloriam immutata, incorruptionem & immortalitatē sunt acceptura. Sequitur, Benedixitq́ deus Noe & filijs eius, & dixit ad eos, Crescite & multiplicamini, & implete terram: & terror uester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes uolucres cœli, cum uniuersis quæ mouentur in terra.) Quorū terror ac tremor super animalia terræ præcipitur, profecto esse super homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus cæteris, natura prælatus est: & idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, & non ab homine timeatur: quia cōtra naturam superbire est, ab æquali uelle timeri. Sequitur, Omnes pisces maris manui uestræ traditi sunt: & omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum, quasi holera uirentia tradidi uobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.) Morticinium autem ad escam hominum usui non admisit, eo quod non occisorum, sed mortuorum animalium, morbida caro est, nec apta ad salutem corporis, cuius causa sumimus alimentum. Illud uero quod in Actibus apostolorum præceptum ab apostolis gentibus impositum, ut abstinerent gentes tantum à fornicatione, & ab immolatis, & à sanguine: id est, non ederent carnem, cuius sanguis non esset effusus. quod alij non sic intelligunt: id est, ut ne quis homicidio se contaminet. quod quidem aut isto, aut alio quolibet modo: nam ista tātummodo obseruando

CAP. IX
De benedictione Noe & fil.
XLIII

nullo modo eſſe poterant Chriſtiani. Quis enim neſciat, Noe & eius filios ſignificaſſe Ieſum Chriſtũ & ſuos prædicatores, qui à deo patre benedictionẽ perceperunt in cœleſtibus in omni benedictione ſpiritali? Qui tunc iuſſi ſunt creſcere & multiplicari, quãdo ueluti de arca egreſſi, de Hieruſalem & Iudæa diſperſi, quaſi terrã ingredi præcepti ſunt, dum euntes in mundum iuſſi ſunt prædicare euãgelium omni creaturæ: & tunc ſpiritaliter creuerunt in filijs, ſanctis uidelicet diſcipulis, & copioſa multitudine cæterorum fidelium: & terror ac tremor eorum fuit ſuper cuncta animalia terræ, gentes ſcilicet, quæ more irrationabilium pecorum uel animalium uerſabantur in mundo: & ſuper omnes uolucres cœli, ſapientes utiq; mundi, qui more auiũ dum de creaturis uel elementis cœli & terræ diſputare nitebãtur, quaſi aues in cœlum uolare uidebantur. Tunc etiam piſces maris manui illorum traditi ſunt, quando curioſi quiq; & actiones ſeculi ſectantes, & qui infirmos quoſq; & puſillos qui ſe defendere non ualebant, dum expoliabãt, quaſi more piſcium eos deuorabant: ſed poſtea ad prædicationem apoſtolorum, qui dudum aliena rapiebant, cœperunt etiam propria largiri. Impletumq; eſt illud quod antea propheta ex eorum perſona cecinit, dicens, Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Et omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in eſcam, quaſi holera uirentia tradidi uobis omnia: id eſt, ut eum qui ex circunciſione eſt, ita & qui ex gentibus pari modo ad finem recipietur, ſicut Petro dictum eſt, Surge Petre, macta & manduca. Quumq; ille renuendo diceret, non ſe aliquando manducaſſe commune & immundũ, dictum eſt illi, Quæ deus purificauit, tu ne commune dixeris. id eſt, quos deus gratuita miſeratione ex uaſis iræ uaſa miſericordiæ per ſpiritum ſanctificationis remittendo præterita peccata fecit, tu noli uelut immundos renuere. Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis: id eſt, cum præterito peccato eos ad fidem recipere non debetis: ſed ipſi more aquæ per confeſſionem in conſpectu domini effundere, aut certe in terra abſcondere, in ſuà uidelicet carne ex qua ortum eſt, debẽt mortificare. Sed quia iſta illis inter gentes agentibus, futurum erat illos perſequutionẽ habituros ab infidelibus, mox ad conſolationem eorum uerba reſpondent. Sanguinem enim animarum ueſtrarum, requiram de manu cunctarum beſtiarum. Neq; enim anima quę res incorporea eſt in ſua natura, ſanguinem habet, uel beſtiæ brutæ & abſq; ratione, pro quolibet facto aliquando deo reddituræ ſunt rationem: ſed per ſanguinẽ animæ, uitam carnis uoluit demonſtrare. Beſtias autẽ hoc in loco perſequutores ex gentibus debemus intelligere, qui more beſtiarũ aduerſus dei ſanctos ſuam malitiam exercuerunt. Quod uero addidit, de manu hominis: eoſdem perſequutores tam ex Iudæis quàm ex gentibus uoluit demõſtrare: quia & homines ſunt per naturam, & beſtiæ per ſæuitiam. Deinde ſubſequutus eſt, De manu uiri & fratris eius requiram animam hominis.) Saluo intellectu hiſtoriæ, quo iuſtus iudex deus reddit unicuiq; iuxta opera ſua, ſecũdum cœptum ordinem allegoriæ, hominem quaſi

ratio-

rationabilem uirum & fratrem sanctis prædicatoribus, id est, apostolis & comitibus eorum Iudæos debemus intelligere, qui ex uno patre orti sunt, & de Abrahæ prosapia descēderunt, qui eosdem prædicatores sanctos extra synagogā fecerunt: & dum eos occiderunt, uel persequuti sunt, arbitrati sunt se obsequium præstare deo. Quibus dominus promittit: id est, & persequutoribus ex gētibus, quasi irrationabilibus bestijs: & hominibus, hoc est, Iudæis, quasi ratione utentibus, qui sibi secundum legem uidebantur persequi apostolos: utrisq; eos iniuste persequentibus, per iustum iudiciū puniendos esse promisit. Quicunq; effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis eius.) Homines hoc in loco, sanctos uoluit demonstrare, utpote rationales. Quid est enim dicere, Quicūq; effuderit humanū sanguinem, effundetur sanguis eius? Ac si aperte dicat, Quicunq; eos temporali morte iniuste mulctauerit, perpetua morte, hoc est, damnatione, punietur. Ad imaginem quippe dei factus est homo.) Vere enim ad imaginem dei illi conditi sunt, qui student quotidie mortificare membra sua, quæ sunt super terrā, & renouari spiritu mentis, qui secundum deum creatus est, qui deponunt mendacium, & loquuntur ueritatem proximis suis, cum quibus sunt inuicē membra. Sequitur, Vos autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terrā, & implete eam.) Ad eosdem sanctos prædicatores uerba exhortatoria sūt, ut postposito timore quo corpus occiditur, & anima nihil impeditur, crescāt, siue in uirtutibus, siue in numerositate credentiū multiplicentur: & ingrediant̃ super terrā prædicando, & impleant eam docendo, & mirabile demōstrando Christi nomē in uniuersa terra: quia dū hoc in hominibus, hoc est, dei notitia, fides uel religio non erat, quasi absq; cultore terra deserta & inhabitabilis erat. Sequit̃, Dixitq; deus, Hoc signum fœderis, quod do inter me & uos: Arcum meum ponam in nubibus: & erit signū fœderis inter me & inter terrā. Quumq; obduxero nubibus cœlū, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei, quod pepigi uobiscū.) Arcus propter signum securitatis in cœlo positus est, ut ab omnibus inspici potuisset. Et ipsum signū in igne & aqua ostenditur: quia ex parte est cœruleus & ex parte rubicundus: quia utriusq; iudicij testis est, unius uidelicet facti, & alterius faciendi. Quod testamentū posuit deus inter se & homines, atq; omnem animā uiuam, ne perdat eam diluuio: arcum qui apparet in nubibus, qui nūquam nisi de sole resplendet. Illi enim non pereunt diluuio separati ab ecclesia, qui in prophetis & omnib. diuinis scripturis, tanq; in nubibus dei agnoscunt Christi gloriā, non quærunt suam. Sex quippe ætatibus humana finitur uita, quarum prima infantia est, secūda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuentus, quinta senectus, sexta seniū, quæ sola morte terminatur: ita & sex ætatib. finiendus est hic mūdus, cuius prima ætas fuit ab Adam usq; ad diluuiū, quæ recte infantiæ cōparatur, quæ hinc appellata est, quod fari nō potest: quam profecto ætatem primā dimergit obliuio, sicut ætas prima generis humani est deleta diluuio: ita & nūc nostri operis finiēdus est liber.

De arcu XLIIII

INDEX CAPITVM
LIBRI SECVNDI

FINIS



DIVI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVM IN GENESIM ad Veranium & Salonium fratres episcopos Liber Secundus.



ECVNDA NAMQVE SECVLI AETAS A Noe usq; ad ipsum Abrahã, uelut pueritia fuit: & sic post diluuium, nouum apparuit seculum, quasi secunda humani generis ætas: Ita & à nobis, deo iuuante, secundus incipiendus est liber. Sequitur, Cœpitq; Noe uir agricola exercere terram, & plantauit uineam: bibensq; uinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.) Quare uir iustus inebriatus est, nisi fortè inebriari uino posse nesciebat? Neq; enim ante diluuium leguntur homines uino uti: & ideo specialiter de Noe scriptum est, Plantauit Noe uineam. Vinea domini Sabaoth, domus Israel est. Bibit de uino eius. Siue ille calix hic intelligitur, de quo idem dominus dicit, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum. Et, Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Quo suam, sine dubio, significat passioné: siue quia uinum fructus est uineæ, hoc potius illo significatum est, quod ex ipsa uinea, hoc est, ex genere Israelitarum, carnem pro nobis & sanguinem, ut pati posset, assumpsit: & inebriatus est, id est, passus est & nudatus est. Ibi namq; nudatus est, id est, apparuit eius infirmitas, de qua dicit apostolus, Et si crucifixus est ex infirmitate. Vnde item dicit, Infirmum dei fortius est hominibus, & stultum dei sapientius est hominibus. Quod uero quum dictum esset, Et nudatus est: addidit scriptura, In domo sua: eleganter ostendit quod à suæ carnis gente, & domesticis sanguinis sui, uticq; Iudæis, fuerat crucem mortemq; passurus. Sequitur, Quod quum uidisset Cham pater Chanaan, uerenda scilicet patris sui esse nudata, nũtiauit duobus fratribus suis foras. At uero Sem & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt uerenda patris sui. Faciesq; eorum auersæ erant, ut patris sui uirilia nõ uiderent.) Proinde in duobus filijs, maximo & minimo, duo populi figurantur, scilicet circuncisio, & præputium: unam uestem à tergo portantes, sacramentum scilicet iam præteritæ dominicæ passionis: neq; nuditatem patris intuentur, quia in Christi necem non consentiunt: & tamen honorant uelamento, tanquam scientes unde sint nati. Medius autem filius, id est, populus Iudæorum: & ideo medius, quia nec primatum tenuit apostolorum, nec ultimus in gentibus credidit: uidit nuditatem patris, quia consensit in necem Christi: & nuntiauit foras fratribus: per eum quippe manifestatum est, & quodammodo publicatum, quod erat in prophetia secretum: ideoq; fit seruus fratrũ suorum. Quid est enim aliud hodieq; gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianorum, baiulans legem & prophetas ad testimonium assertionis ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramẽtum, quod nuntiat illa per literam? Sequitur, Euigilans

De eo quod scriptũ est, Cœpit Noe, &c. 1

autem Noe à uino, quum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait, Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitq́, Benedictus dominus deus Sem, sit Chanaan seruus eius. Dilatet deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.) Quæritur quare peccans Cham in patris offensa, non in seipso, sed in filio suo Chanaan maledicitur: quia prophetatum est, terram Chanaan, eiectis inde Chananæis & debellatis, accepturos fuisse filios Israel, qui uenerunt de semine Sem, intuendo & præuidendo, quod longe fuerat post futurum. Vnde factum est etiam illud, ut filium medium, hoc est, primo genito iuniorem ultimoq́ maiorem, qui peccauerat in patrem, nõ in ipso, sed in filio eius suo nepote malediceret his uerbis, Maledictus Chanaan, sit seruus fratribus suis. Chanaan porrò natus fuerat ex Cham, qui patris dormientis nec texerat, sed potius prodiderat nuditatem. Vnde etiam sequutus adiungit benedictionem duorum filiorum, maximi, & minimi, dicens, Benedictus dominus deus Sem, erit Chanaan puer eius: dilatet deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. Quanquam enim sit deus omnium gentium, quodammodo tamen proprio uocabulo, & in ipsis iam gentibus dicitur Israel. Et unde hoc factum est, nisi ex benedictione Iaphet? In populo enim gentium, totum orbem terrarum occupauit ecclesia. Hoc prorsus hoc pronuntiabatur, quum diceretur, Dilatet deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. Sem quippe de cuius semine incarnatus est Christus, interpretatur nominatus. Quid autem nominatius Christo? cuius nomen iam ubiq́ fragrat: ita ut in Cantico canticorum, etiam in se præcedente prophetia, unguento comparetur effuso: in cuius domibus, id est, ecclesijs, habitat gentium latitudo. Nam Iaphet, latitudo interpretatur. Ecce quomodo dilatat deus Iaphet, & habitat in tabernaculis Sem, id est, in ecclesijs, quas filij prophetarũ apostoli construxerunt, secundũ quod Paulus apostolus fidelibus ex gentibus ait, Qui ætatis illo tempore, sine Christo alienati à societate Israel, & peregrini testamentorum, & promissionis spem non habentes, & sine deo in hoc mundo. Per hæc uerba ostenditur, quod nondum habitat Iaphet in domibus Sem. Sed paulopost quemadmodum concludat aduertamus. Igitur iam, inquit, non estis hospites & peregrini, sed estis ciues sanctorum & domestici dei, superædificati supra fundamentũ apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Iesu. Porrò Cham, qui interpretatur callidus, medius Noe filius, tanquam se ab utroq́ discernens, & inter utrũq́ remanens, nec in primitijs Israelitarum, nec in plenitudine gentium, quid significat, nisi hæreticorum genus callidum, non spiritu sapiẽtiæ, sed impatientiæ, quo solent hæreticorũ feruere primordia, & pacem perturbare sanctorum? Multa quidem ad fidem catholicã pertinentia, dum hæreticorũ callida inquietudine exagitantur, ut aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instãtius prædicant, & ab aduersario mota quæstio discẽdi existit occasio: quamuis nõ solũ qui sunt apertissime separati, uerũ omnes qui

De maledictione Chanaan II

Christiano nomine gloriantur & perdite uiuunt, non absurde possunt uideri medio Noe filio figurari. Passionē quippe Christi quæ illius hominis nuditate significata est, & annūtiant profitendo, & male agendo exhonorant. De talibus ergo dictum est, Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ideo Cham in filio suo maledictus est, tanquam in fructu suo, id est, in opere suo. Vnde conuenienter & ipse filius eius Chanaā, interpretatur motus eorum. Quod quid aliud est, quàm opus eorum. Sem uero & Iaphet, tanquam circuncisio & præputium: uel sicut alio modo eos appellat apostolus, Iudæos & Gręcos, sed uocatos & iustificatos: cognita quodammodo nuditate patris, qua significabatur passio saluatoris, sumentes uestimentum posuerunt supra dorsa sua, & intrauerunt auersi, & operuerunt nuditatem patris sui, nec uiderunt quod reuerendo texerunt. Quodam enim modo in passione Christi, & quod pro nobis factum est, honoramus, & Iudæorum facinus auersamur. Vestimentū significat sacramētum: dorsa, memoriam præteritorum, quia passionem Christi eo scilicet tempore quo habitat Iaphet in domibus Sem, & malus frater in medio eorum, transactam celebrat ecclesia, non adhuc prospectat futuram. Sed malus frater in filio suo, hoc est, in opere suo: puer, id est, seruus est fratrum suorum, quum ad exercitationē patientiæ, uel ad profectum sapientiæ, scienter utuntur boni malis. Sequitur, Vixit autem Noe post diluuium CCCL annis, & impleti sūt omnes dies eius DCCCCL annorū & mortuus est.

CAP. X De genealogia Iaphet III

HAE sunt generationes filiorum Noe: Sem, Cham, & Iaphet. Natiq; sunt eis filij post diluuium. Filij Iaphet: Gomer & Magog & Madai, Iauan, Tubal & Mosoch & Thyras.) Hi septem filij Iaphet possederunt terram in Asia, ab Amano & Tauro Cœlesyriæ & Ciliciæ montibus, usq; ad fluuium Tanain. Porrò filij Gomer: Aschenez & Riphat & Togorma. Filij autem Iauan: Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim.) Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisq; secundum linguam & familias in nationibus suis: nomina locis & gentibus relinquentes, è quibus postea immutata sunt plurima: cætera permanent ut fuerunt. Sunt autem Gomer, Galathæ: Magog, Scythæ: Madai, Medi: Iauan, Iones, qui & Græci, unde & mare Ionicum appellatur: Tubal, Hiberi, qui & Hispani, à quibus postea Celtiberi nuncupati sunt: Mosoch, Cappadoces, unde & urbs eorum usq; hodie apud eos Mazecha dicitur: Thyras, Thraces, quorum non satis immutatum uocabulum est. Hæ itaq; septem gentes, quas de Iaphet stirpe uenientes memoraui, ad aquilonis partem habitant. Filij Gomer: Aschenez & Riphat & Togorma. Aschenez, Græci Rheginos uocant: Riphat, Paphlagonas: Togorma, Phrygas. Filij Iauā: Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim. Cethim sunt Cittij, à quibus hodieq; urbs Cypri, Cittium nominatur: Dodanim, Rhodij. Omnes penè insulæ, & totius orbis littora, terræq; mari uicinæ Græcis accolis occupatæ sunt, qui (ut supra diximus) ab Amano & Tauro montibus, omnia maritima loca usq; ad Oceanum possederunt Britannicum. Sequitur,

Filij

Filij Cham, Chus & Mesraim, Phuth & Chanaan.) Chus hodieq; ab Hebræis Æthiopia nuncupatur: Mesraim Ægyptus: Phuth Libyes, à quo & Mauritaniæ fluuius usq; in præsens Phuth dicitur, omnisq; circa regio Phuthensis nuncupatur. Modo tamen in una tantũ climatis eius parte antiquum Libyæ nomen residet, & reliqua terra uocatur Affrica. Porrò Chanaan obtinuit terrã, quam Iudæi deinceps possederunt, eiectis Chananæis. Filij Chus, Saba & Euila, Sabatha & Rema, Sabathacha. Saba à quo Sabæi: Euila Gethuli, in parte remotioris Affricæ, eremo cohærẽtes. Sabatha Sabatheni, qui nunc Astauari nũcupantur. Rema uero & Sabathacha paulatim antiqua uocabula perdiderũt, & quæ nunc pro ueteribus habeant, ignoratur. Filij Saba, à quo diximus appellatos Sabæos: interpretatur autem nunc Saba, Arabia. In LXXI psalmo ubi nos habemus, Reges Arabum & Saba munera offerent: in Hebræo scriptum est, Reges Saba. Dadai, gens est Æthiopiæ in occidentali plaga. Sequitur, Porrò Chus genuit Nemroth, ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus uenator coram domino. Ab hoc exiuit prouerbium, Quasi Nemroth robustus uenator coram domino.) Sic ergo intelligendus est gigas iste uenator contra dominum. Quid autem hic significatur hoc nomine, quod est uenator, nisi animarum terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor? Et idcirco dictus est, robustus uenator cõtra dominũ: pro eo quod homines abstrahebat à cultu diuino. Sequitur, Fuit autem principiũ regni eius Babylon & Aracha, & Achad & Chalanne in terra Sennaar. Nemroth filius Chus arripuit insuetam prior in populis tyrannidem, regnauitq; in Babylone, quæ ab eo quod ibi confusæ sunt linguæ turrim ædificantium, Babel appellata est. Babel enim interpretatur confusio. Aracha, hæc est Edissa ciuitas. Achat, quæ nunc dicitur Nisiben: Chalanne, postea uerso nomine à Seleuco rege dicta est Seleucia. Sequitur, De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Cale: Resen quoq; inter Niniuen & Cale: hæc est ciuitas magna.) Quod uero dictum est, De terra Sennaar, quæ pertinebat ad regnum Nemroth, exijsse Assur, & ædificasse Niniuen, & alias quas construxit ciuitates: longe postea factum est, quod ex hac occasione præstrinxit propter nobilitatem regni Assyriorum, quod mirabiliter dilatauit Ninus, Beli filius, conditor ciuitatis magnæ, Niniuæ, cuius ciuitatis nomen ex illius nomine deriuatum est, ut à Nino Niniue uocaretur. Assur autem, unde Assyrij, non fuit in filijs Cham, sed in filijs Sem reperitur, qui fuit Noe maximus filius. Vnde apparet de progenie Sem exortos fuisse, qui postea regnum gigantis illius obtinerent, & inde procederent, atque alias conderent ciuitates. Sequitur, At uero Mesraim genuit Ludim & Anamim & Balaabim, Neptuim & Petrusim & Chasluim.) De quibus egressi sunt Philistijm & Capturim: exceptis Labaim: à quibus Libyes postea uocati sunt, qui prius Phuthæi uocabantur: & Chasluim, qui deinceps Philistiim appellati sunt, quos nos corrupte, Palæstinos dicimus: cæteræ sex gentes

De genealogia Cham IIII

ignotæ nobis sunt, quia bello Æthiopico subuersæ, atque ad obliuionē præteritorum nominum peruenerunt. Possederunt autem terram à Gaza usque ad extremos fines Ægypti. Sequitur, Chanaan autem genuit primogenitum suum Sydonem & Cethæum & Iebusæum & Amorręum & Gergesæum & Euæum & Arachæum, Sinæum & Aradiū, Samariten & Amathæum.) De Chanaan primus natus est Sydon, à quo urbs in Phœnice Sydon uocatur. Arachęus, qui Archas condidit, oppidum in radicibus Lybani situm. Aradij sunt, qui Aradum insulam possederunt angusto freto à Phœnice separatam. Samarij, à qbus Emissa nobilis Cœlesyriæ ciuitas: hanc Macedones, qui post Alexandrum morientem regnauerunt, Epiphaniam nuncupauerunt. Et fuit terminus Chananæorum à Sydone, donec uenias in Gerara, & usque ad Gazam pergētibus Sodomam & Gomorram & Adamam & Seboim usque Lezen, quia cæteræ ciuitates Sydon uidelicet & Gerara & Sodoma & Gomorra & Adama & Seboim notę sunt nominib. suis. Fiunt itaque omnes filij Chā, hoc est, medij filij Noe, quatuor, & nepotes quinque ex uno eius filio, pronepotes duo ex nepote uno, & fit eorum summa XI. Quibus enumeratis, hinc reditur ad alium filium Cham, qui uocabatur Mesraim: & commemorātur quos genuit, nō tanque singuli homines, sed nationes VII, & de sexta uelut de sexto filio, gens cōmemoratur exisse, quæ appellat̄ Philistim, unde fiunt VIII. Inde iterum ad Chanaā reditur, in quo filio maledictus est Cham, & quos genuit XI nominātur. Deinde usque ad quos fines peruenerint, cōmemoratis quibusdam ciuitatibus dicitur, ac per hoc in filijs nepotibusque computatis de progenie Cain XXXI geniti referuntur. Sequitur, De Sem quoque nati sunt patre omniū filiorū Heber, fratre Iaphet maiore.) Restat cōmemorare filios Sem, maximi filij Noe, ad eum quippe gradatim generationū istarum peruenit, à minimo exorta narratio. Sed unde incipiunt commemorari filij Sem, habet quiddā obscuritatis, quod expositione illustrādum est, quia & multū ad rem pertinet quā requirimus. Sic enim legitur, Et Sem natus est, & ipsi patri omnium filiorum Heber fratri Iaphet maiori. Ordo uerborū est: Et Sem natus est Heber, qui Sem pater est omniū filiorum. Sem ergo patriarcham intelligi uoluit omniū, qui de stirpe eius exorti sunt, quos cōmemoraturus est, siue sint filij, siue sint nepotes & pronepotes. Sequitur, Filij Sem, Elam & Assur & Arphaxat & Lud & Haram.) Hi ab Euphrate fluuio, partem Asiæ usque ad Indicum oceanum tenēt. Est autem Elam à quo Elamitæ principes Persidis, quod de Assur antea iam dictum est. Sequitur, Filij Haram, Hus & Vl & Iecher & Mes. At uero Arphaxat genuit Sala, de quo ortus est Heber.) Arphaxat à quo Chaldæi, Lud à quo Lydij, Haram à quo Syri, quorum metropolis est ciuitas Damascus. Filij Haram, Hus & Vl & Iezer & Mes. Hus Traconitidis & Damasci conditor inter Palæstinam & Cœlesyriam tenuit principatum, à quo Septuaginta interpretes in libro Iob, ubi in Hebræo scribitur terra Hus, regionem Ausitidem transtulerunt. Vl à quo Armeni, Iezer

De posteris Sem V

à quo

à quo Carmani seu Carij. Sequitur, At uero Arphaxat genuit Sala, de quo ortus est Heber.) Non sanè istum Heber genuit Sem, sed ab illo quartus in progenitorũ serie reperitur. Sem quippe inter alios filios genuit Arphaxat, Arphaxat autem genuit Sala de quo ortus est Heber. Non itaq; frustra ipse primus est natus in progenie ueniente de Sem, & prælatus est etiam filijs, quum sit quartus nepos: nisi quia uerũ est quod traditur, ex illo Hebræos co/gnominatos esse, tanquam Hebereos: quum & alia possit esse opinio, ut ex Abraham, tãquam Abrahei dicti esse uideantur. Sed nimirũ hoc uerum est, quod ex Heber, Heberei appellati sunt, ac deinde una detruncata litera, He/bræi: quam linguam solus Israel populus potuit obtinere, in quo dei ciuitas & in sanctis peregrinata est & in omnibus sacramento adumbrata. Igitur filij Sem prius nominãtur: deinde ex uno eorum nati sunt quatuor nepotes eius. Itemq; alter filiorum Sem genuit eius nepotẽ, atq; inde abnepos, qui est He ber. Genuit autem Heber duos filios, quorũ unum appellauit Phalec, quod interpretatur diuidens. Deinde scriptura subiũgens, rationemq; huius nomi nis reddens, Quia in diebus (inquit) eius, diuisa est terra. Hoc autem quid sit, post apparebit. Alius uero qui natus est ex Heber, genuit duodecim filios: ac per hoc fiunt omnes geniti de Sem uigintiseptẽ. In summa igitur omnes pro geniti de tribus filijs Noe, id est, XV de Iaphet, XXXI de Cham, XXVII de Sem, fiunt LXXIII. Deinde scriptura sequitur, dicens, Hi filij Sem in tribu/bus suis, secũdum linguas suas, in regionibus suis & in gentibus suis.) Itemq; de omnibus: Hæ, inquit, tribus filiorum Noe secundum generationes eorum & secũdum gentes eorum. Ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terram post diluuium. Vnde colligitur LXXIII, uel potius quod postea demõstrabi/tur LXXII gentes tunc fuisse, non homines. Nam & prius quum fuissent com memorati filij Phalec, ita cõclusum est. Ex his segregatæ sunt insulæ gentium in terras eorum, unusquisq; secundũ linguam suam in tribubus suis & in gen tibus suis. Iam uero in filijs Cham quodã loco apertius cõmemoratæ sunt, si/cut superius ostendi: Mesruim genuit eos qui dicuntur Ludijm, & eodem mo do cæteræ usq; ad VII gẽtes: & numeratis omnibus postea cõcludens, Hi filij Cham, inquit, in tribubus suis, secundum linguas suas in regionibus suis. Pro pterea ergo multorũ filij non sunt cõmemorati, quia gentibus alijs nascendo accesserunt alij; ipsi autem facere gentes nequiuerũt. Nam qua alia causa cum filij Iaphet octo enumerẽtur, ex duobus eorum tantum filij nati commemo/rantur: & quum filij Cham quatuor nominẽtur, ex tribus tantũ qui nati sunt adijciuntur: & quum filij Sem nominentur VI, duorum tantũ posteritas atte xitur? Nunquid cæteri sine filijs remanserunt? Absit hoc credere. Sed gentes propter quas cõmemorati digni essent, nõ utiq; fecerunt: quia sicut nascebãtur alijs gentibus addebãtur. Quum ergo in suis linguis istæ gentes fuisse re/ferantur, redit tamen narrator ad illud tẽpus, quando una lingua omniũ fuit, & inde iam exponit quid acciderit, ut linguarũ diuersitas nasceret. Sequitur,

Erat

CAP. XI

De constru-ctione turris VI

ERAT autem terra labij unius, & sermonum eorundem. Quumq́ proficiscerentur de oriente inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixitq́ alter ad proximū suum, Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntq́ lateres pro saxis, & bitumen pro cemēto. Et dixerunt, Venite, faciamus nobis ciuitatē & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen nostrū, antequàm diuidamur in uniuersas terras.) Ista ciuitas quæ appellata est confusio, ipsa est Babylon, cuius mirabilem constructionem etiam gentium commendant historiæ. Babylon quippe interpretatur confusio. Vnde colligitur gigantem illum Nemroth fuisse illius conditorem, quod superius fuerat intimatum. Vbi quum de illo scriptura loqueretur, ait, Initium regni eius fuit Babylon: id est, quæ ciuitatum cæterarum gereret principatum, ubi esset tanquam in metropoli habitaculū regni, quamuis perfecta non fuerit usq́ in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas. Nam nimia disponebatur altitudo, quæ dicta est usq́ ad cœlū, siue unius turris eius quam moliebantur inter alias esse præcipuam. Solet enim superbiam stultitia sequi, & humilitatē sapientia. Sequitur, Descendit autem dominus ut uideret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam: & dixit, Ecce unus est populus, & unum labium omnibus: cœperuntq́ hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere impleant.) Descēdit dominus uidere ciuitatem & turrim, quam ædificabāt filij Adam: hoc est, non filij dei, sed filij hominum: id est, illa societas secundum hominem uiuens, quam terrenam dicimus ciuitatem. Non loco mouetur deus, qui ubiq́ est totus semper: sed descēdere dicitur, quum aliquid facit in terra: quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam quodam modo eius ostendit. Nec uidendo discit ad tempus, qui nunquam potest aliquid ignorare, sed ad tempus uidere & cognoscere dicitur, quod uideri & cognosci faciat. Non sic ergo uidebatur illa ciuitas, quomodo eam deus uidere fecit: quando sibi quantum displiceret, ostendit: quamuis possit intelligi deus ad illam ciuitatem descendisse: quia descēderunt angeli eius, in quibus habitat: quia per angelos descendebat, qui in angelis descendentibus erat. Et bene, non ait, Venite, & descendentes confundite: sed, Confundamus ibi linguā eorum. ostendens ita se operari per ministros suos, ut sint etiam ipsi cooperatores dei. Nec sic loquitur angelis deus, quomodo nos inuicem nobis uel deo, uel angelis, uel ipsi angeli nobis, siue per illos dominus nobis: sed ineffabili suo modo, nobis aūt indicatur hoc nostro modo. Dei quippe sublimior ante suum factū loquutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio, quæ non habet sonū strepentē atq́ transeuntem, sed uim sempiterne manentem, & temporaliter operantem. Hæc loquitur angelis sanctis: nobis autem longe positis, per angelos, secundum modum nostræ capacitatis. Quando autem etiam nos aliquid talis loquutionis interioribus auribus capimus, angelis propinquamus. Illud sanè quod dictū est, Nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere impleant: nō est dictum confirmando,

De eo quod scriptū est, Descendit dominus &c. VII

firmando, sed tanquam interrogando, sicut solet à comminantibus dici. Sic ergo accipiendum est, tanquam dixerit, Nonne omnia deficient ex illis quæ conati sunt facere? Sed si ita dicatur, non exprimet comminantem, quoniam uocem pronũtiantis non possumus scribere. Sequitur, Venite igitur descendamus & confundamus ibi linguas eorum, ut non audiat unusquisq; uocem proximi sui. Atq; ita diuisit eos dominus ex illo loco in uniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco uocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labiũ uniuersæ terræ: & inde dispersit eos dominus super faciem cunctarum regionum.) Merito autem malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. Genus uero ipsius pœnæ quale fuit? Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia: ut non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret deo iubenti. Sic illa conspiratio dissoluta est, quum quisq; ab eo quem non intelligeret, abscederet: nec se, nisi ei cũ quo loqui poterat, aggregaret. Et per linguas diuisæ sunt gentes, dispersæq; per terras, sicut deo placuit, qui hoc modis occultis, nobisq; incõprehensibilibus fecit. Ex illis igitur tribus hominibus Noe filijs, septuagintaduæ linguæ per terras esse cœperũt, quæ crescẽdo ad insulas peruenerunt. Auctus est numerus autem gẽtium multo amplius, quàm linguarum. Primus autem post diluuium inter homines Nemroth, filius Chus, noua imperij cupiditate tyrannidem arripuit: regnauitq; in Babylonia, quæ ab eo quod ibi confusæ sunt linguæ, Babel appellata est, quod interpretatur confusio: cuius ædificandæ turris idem Nemroth extitit author. Qui pro eo quod ultra naturam suam cœli alta penetrare contendit, non incongrue diabolo comparatur: qui cogitatione cordis sui intumescens, super sydera exaltare se uoluit: id est, super omnem potestatem angelorum deo se coæquare disponẽs, dum dicit, Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo. Quod autem dicitur, uenator: quid significatur hoc nomine, nisi animarum terrigenarũ deceptor, & capiens homines ad mortem? Turris eius, superbia huius mũdi est, uel impia dogmata hæreticorum: qui postquàm moti sunt ab oriente, id est, à uero lumine recesserunt, & uenerunt in montem Sennaar, qui interpretatur excussio dentium, statim aduersus deum impietatis suæ ædificauerũt turrim, ac dogmatum superbiam nefario ausu confinxerunt, uolentes curiositate non licita ipsius cœli alta penetrare: sed sicut illi per superbiam ab una lingua in multas diuisi sunt, ita & hæretici ab unitate fidei & confessionis segregati, inter se diuersitate erroris quasi per dissonantiam linguæ inuicem secernuntur: & quos armat aduersus deum elatæ conspirationis perniciosa consensio, rursus intendente dogmatum discordia, diuidit oborta repente confusio. Quos quidem ipsa trinitas damnat in quam offendunt, ipsa eos dispergit, dum dicit, Venite, descendamus, & cõfundamus linguas eorum: in uarietate utiq; erroris, siue schismatum. Eo autem tempore quando linguarum facta est uarietas, in sola domo Heber, quæ antea fuit lingua remansit. Ita & nunc in sola ecclesia, quæ

est domus Christi, unitam esse cõfessionis & fidei pacem, diuisis omnibus reprobis, restat. Benedictis igitur duobus filijs Noe, atq; uno in medio eorum maledicto: deinceps usq; ad Abraham de iustorũ aliquorũ qui pie deum colerent cõmemoratione silẽtium est. Nec eos defuisse crediderim, sed si omnes cõmemorarentur nimis longum fieret: & hæc esset historica magis diligẽtia, quàm prophetica prouidentia. Illa itaq; exequitur literarũ sacrarum scriptor istarum, uel potius per eum dei spiritus, quibus non solum narrentur præterita, uerum etiam prænũtientur, quæ tamen pertinent ad ciuitatem dei: quia & de hominibus qui non sunt ciues eius, quicquid hic dicitur ad hoc dicit̃, ut illa ex comparatione cõtraria uel proficiat uel emineat. Non sanè omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiã significare putanda sunt: sed propter illa quæ aliqd significant, & illa quæ nihil significant attexunt̃. Solo enim uomere terra proscinditur: sed ut hoc fieri possit, etiã cætera aratri mẽbra necessaria sunt: & soli nerui in cithara, atq; huiusmodi uasis musicis aptantur ad cantũ: sed ut aptari possint & cætera in cõpaginibus organorũ, quæ non percutiũtur à canẽtibus, his quæ percussa resonant connectũtur. Item in prophetica historia dicuntur & aliqua quæ nihil significant, sed quib. adhæreãt quæ significãt, & quodammodo religentur. Propter hoc ergo scriptura diuina quum terrenã ciuitatem in Babylone, hoc est, in confusione, monstrasset, ad patriarcham Sem recapitulando reuertitur, & ordinantur inde generationes usq; ad Abrahã, commemorato etiam numero annorum quanto quisq; ad hanc seriem pertinentem genuisset filium, quanto quisq; uixisset. Vbi certe agnoscẽdum est, quod ante promiseram, ut quare sit dictũ de filio Heber, nomen eius Phalec, quia in diebus eius diuisa est terra. Quid enim aliud intelligendum est, terram esse diuisam, nisi diuersitatẽ linguarum? Omissis ergo cæteris filijs Noe ad hanc rem non pertinentibus, illi connectuntur in ordine generationum, per quos possit ad Abraham perueniri, sicut illi connectebãtur ante diluuium per quos perueniretur ad Noe generationib. quæ propagatæ sunt ex illo Adam filio, qui est appellatus Seth. Sic ergo incipit generationũ istarum contexio. Sequitur,

De generationibus Sem VIII

Hæ generationes Sem. Sem centum erat annorũ quando genuit Arphaxat, biennio post diluuium. Porrò Arphaxat quum esset XXXV annorũ, genuit Sale. Sale quoq; trigesimo ætatis suæ anno genuit Heber.) Sicut supra memoraui quum cœpissent enumerari filij Sem, qui singuli gentes singulas procrearunt, primus est cõmendatus Heber, quum sit pronepos ipsius Sem, hoc est, quartus inueniatur ab illo exortus. Quia ergo in eius familia remãsit hæc lingua, diuisis per alias linguas gentibus cæteris, quæ lingua prius humano generi non immerito creditur fuisse communis, ideo deinceps Hebræa est nuncupata. Tunc enim opus erat eam distingui ab alijs linguis nomine proprio, sicut aliæ quoq; uocatæ sunt nominibus proprijs. Quando aũt erat una nihil aliud quàm humana lingua uel humana loquutio uocabatur, qua sola uniuersum genus humanum loquebatur. Sequitur, Vixit autem Heber triginta

gintaquatuor annis,& genuit Phalec)Dixerit aliquis,Si in diebus Phalec filij Heber diuisa est terra per linguas, id est,homines,qui tunc erant in terra, ex eius nomine potius debuit appellari lingua illa,quæ fuit omnibus antea communis. Sed intelligẽdum est ipsum Heber propterea tale nomen imposuisse filio suo,ut uocaretur Phalec,quod interpretatur diuisio,quia tũc ei natus est, quando per linguas terra diuisa est,id est,ipso tẽpore:ut hoc sit quod dictum est,In diebus illius diuisa est terra.Nam nisi adhuc Heber uiueret,quãdo linguarum facta est multitudo, non eius nomine nomen acciperet lingua, quæ apud ipsum potuit permanere.Et ideo credendum est,ipsam fuisse primã linguam quæ antea erat omnibus cõmunis, quoniam de pœna uenit illa multiplicatio,mutatioq́ linguarum,& utiq; pręter hanc pœnam debuit esse populus dei. Nec frustra lingua hæc est, quam tenuit Abrahã, nec in omnes filios suos trãsmittere potuit, sed in eos tantũ qui propagati per Iacob & insignius atq; eminentius in dei populũ coalescentes, dei testamẽta & stirpem Christi habere potuerunt. Nec Heber ipse eandem linguã in uniuersam progeniem suam refudit,sed in eam tantũ, cuius generationes perducũtur ad Abraham. Quapropter etiam si non euidenter expressum est,fuisse aliquod pium genus hominum,quando ab impijs Babylonia condebatur:non ad hoc ualuit hæc obscuritas,ut quærentis fraudaretur,sed potius exerceretur intẽtio. Quum ergo quærimus in illis septuagintaduabus gentibus ciuitatẽ dei,non possumus affirmare illo tempore quo erat eis labium unum, id est,loquela una,tũc iam genus humanum alienatũ fuisse à cultu ueri dei, ita ut in solis istis generationibus pietas uera remaneret,quæ descendunt de semine Sem per Arphaxat, & tendunt ad Abrahã: sed ab illa superbia ædificandæ turris usq; in cœlum, qua impia significatur elatio, apparuit ciuitas,hoc est,societas impiorum. uerum itaq; an antea latuerit,an fuerit,an potius utraq; permanserit:pia scilicet in duobus filijs Noe,qui benedicti sunt,eorũq; posteris:impia uero in eo qui maledictus est atq; eius progenie,ubi etiam exortus est gigas uenator cõtra dominũ:non est dijudicatio facilis. Fortassis enim quod profecto est credibilius,& in filijs duorũ illorum iam tũc,ante q̃ Babylonia cœpisset institui, fuerunt contẽptores dei:& in filijs Cham cultores dei. Vtrũq; tamen hominum genus,terris nunq̃ defuisse credendũ est. Quamobrẽ sicut lingua una quum esset omnium,non ideo filij pestilentiæ defuerunt:nam & ante diluuium una erat lingua,& tamen omnes præter unam Noe iusti domũ deleri diluuio meruerunt:ita quando merito elationis impietatis gentes linguarum diuersitate punitæ atq; diuisæ sunt,& ciuitas impiorũ confusionis nomen accepit,hoc est appellata est Babylon,nõ defuit domus Heber,ubi ea quæ antea fuit omniũ lingua remãsit.Quum enim legitur unam fuisse linguam primitus omniũ, & ante omnes filios Sem commẽdatur Heber,quãuis ex illo quartus oriatur:& Hebræa uocatur lingua,quam patriarcharũ & prophetarũ non solum in sermonibus uerũ etiam in literis sacris custodiuit authoritas:profecto quũ quæ-

ritur in diuisione linguarum ubi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis, quæ sine ulla dubitatione ubi remāsit non ibi fuit illa pœna quæ facta est mutatione linguarum, quid aliud occurrit, nisi quod in huius gente remanserit à cuius nomine nomē accepit,& hoc iustitiæ gentis huius non paruum apparuisse uestigium, quod quum aliæ gentes plecterentur mutatione
De generationibus Thare IX linguarum,ad istam non peruenit tale supplicium.Sequitur, Hæ sunt generationes Thare. Thare genuit Abram & Nachor & Aran.) Ab adolescentia incipit homo posse generare. Propterea Matthæus ab ipso Abraham sumpsit exordiū,& usq; ad Dauid perducere procurauit. Neq; enim frustra euangelista sic generationes commemorauit,ut hoc primum interuallum XIIII generationibus commendaret, ab Abraham scilicet usq; ad Dauid. Ab adolescentia quippe incipit homo posse generare. Propterea generationum ordo ex Abraham sumpsit exordiū,qui etiam pater gentium constitutus est,quando mutatū nomē accepit. Nunc iam uideamus procursum ciuitatis dei,etiam ab illo articulo temporis,qui factus est in patre Abrahā:unde incipit esse notitia eius euidentior,& ubi clariora leguntur promissa diuina,quæ nunc uidemus in Christo impleri. Sicut ergo scriptura diuina indicāte didicimus,in regione Chaldæorum natus est Abraham, quæ terra ad regnum Assyriorum pertinebat. Apud Chaldæos autem iam tunc superstitiones impiæ præualebant,quemadmodum per cæteras gentes. Vna igitur Thare domus erat, de quo natus est Abraham,in qua unius ueri dei cultus,& quātum credibile est, in qua iam sola etiam Hebræa lingua remanserat:quāuis & ipsi,sicut iam manifestius dei populus in Ægypto, in Mesopotamia seruisse dijs alienis, Iesu Naue narrante referuntur,ex progenie illius Heber in linguas paulatim alias & in alias nationes defluentibus. Proinde sicut per aquarum diluuiū una domus Noe remanserat ad reparandum genus humanum,sic in diluuio multarum superstitionum per uniuersum mundum una remāserat domus Thare, in qua custodita est plantatio ciuitatis dei. Deniq; sicut illic enumeratis supra generationibus usq; ad Noe,simul cum annorū numeris, & exposita diluuij causa,priusq; deus inciperet de arca fabricanda loqui ad Noe dicitur,Hæ generationes Noe:ita & hic enumeratis generationibus ab illo,qui est appellatus Sem,filio Noe ,usq; ad Abrahā. Deinde in singulis articulis similiter ponitur,ut dicatur,Hæ sunt generationes Thare. Thare genuit Abram & Na-
De morte Aran X chor & Aran.Sequitur, Porrò Aran genuit Loth. Mortuusq; est Aran ante Thare patrem suum in terra natiuitatis suæ in Hur Chaldæorum.)Pro eo quod legimus in terra natiuitatis suæ:in Hebræo habetur in Hur Cesdim,id est,in igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi ex hac occasione istiusmodi fabulam, quod Abrahā in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit: & quod Babylonio uallatus incendio, & dei auxilio liberatus de idololatriæ igne profugerit:quod in consequētibus scribitur egressum esse Thare cum sobole sua de regione Chaldæorum,pro eo quod in Hebræo habetur de Hur,

hoc est

hoc est, de incēdio Chaldæorum: & hoc esse quod nūnc dicitur, Mortuus est Aran ante cōspectum Thare patris sui, in terra natiuitatis suæ, in igne Chaldæorum: quod uidelicet nolens ignem adorare, igne cōsumptus sit. Sequitur,

Duxerunt autem Abram & Nachor uxores, nomē uxoris Abram, Sarai, & nomē uxoris Nachor, Melcha, filia Aran, patris Melchæ & patris Ieschæ.) Aran filius Thare, frater Abram & Nachor, duas filias genuit, Melcham, & Sarai cognomento Iescham, è quibus Melcham accepit uxorem Nachor, & Sarai Abram. Necdum quippe inter patruos & fratrum filias nuptię fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus, etiam inter fratres & sorores initiatæ sunt. Sequitur, Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. Tulit itaq; Thare Abram filium suum, & Loth filium Aran filij sui, & Sarai nurū suam uxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Hur Chaldæorum, ut iret in terram Chanaā: ueneruntq; usq; Aran, & habitauerunt ibi.) Narratur enim quemadmodum Thare cum suis reliquerit regionem Chaldæorū, & uenerit in Mesopotamiam, & habitauerit ibi. Tacetur autē de uno eius filio, qui uocabatur Nachor, tāquam eum non duxerit secum, sed inueniemus postea. Quum seruum suum mitteret Abraham ad accipiendam uxorem filio suo Isaac, ita scriptum est, Et accepit puer decē camelos de camelis domini sui secum, & exurgens profectus est in Mesopotamiam in ciuitatem Nachor. Isto & alijs sacrę huius historiæ testimonijs ostenditur etiam Nachor exisse de regione Chaldæorum, sedesq; constituisse in Mesopotamia, ubi cum patre suo habitauerat Abraham. Quur ergo scriptura eum non cōmemorauit, quando ex gente Chaldæa cū suis profectus est Thare, & habitauit in Mesopotamia, ubi non solum Abraham filius eius, uerū etiam Sarai nurus, & Loth nepos eius commemorantur, quod eos duxerit secum? Quur putamus nisi fortè quod à paterna & fraterna pietate desciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum, & postea inde siue pœnitendo, siue persequutionē passus, quod suspectus haberetur, & ipse migrauit. Sequitur, Facti sunt aūt omnes dies Thare ducentorum quinq; annorū, & mortuus est in Aran.) Quod alia translatio in Carra nominare solet. Non sic autem accipiendum est, quasi omnes hos dies ibi egerit: sed quia omnes dies uitæ suæ, qui fuerunt anni ducenti quinq; ibi compleuerit: alioquin nesciretur quot annos uixerit Thara in Carra, quoniā non legitur quoto anno uitæ suę in Carran uenerit: & absurdum est existimare in ista serie generationum, ubi diligenter commemoratur quot annos quisq; uixerit, huius solius numerum annorum uitæ non commendatū esse memoriæ. Quod enim quorundam quos eadem scriptura commemorat, tacentur anni, non sunt in hoc ordine in quo temporū dinumeratio discessione gignentium & genitorum successione contexitur. Iste autem ordo qui dirigitur ab Adam usq; ad Noe, & inde usq; ad Abraham, sine numero annorū uitæ suæ neminem continet. Quod uero cōmemorata morte Thare patris Abraham: deinde legitur, Et dixit dominus ad Abraham, Exi de terra tua, & de cognatione

De migratione Thare XI

De annis Thare XII

tua,& de domo patris tui,& cætera:sed & beatus Stephanus in Actibus apostolorum quum ista narraret,inter cætera,sic ait,Deus gloriæ apparuit Abrahæ patri nostro,quum esset in Mesopotamia, prius quàm habitaret in Carra:& ait ad illum,Egredere de terra tua,& de cognatione tua,& de domo patris tui,Secundum hæc uerba beati Stephani,nõ post mortem patris eius loquutus est deus ad Abraham,qui utiq; in Carra mortuus est,ubi cum illo & ipse filius habitauit: sed prius quàm habitaret in eadem ciuitate, iam tamen quũ esset in Mesopotamia:iam ergo exierat à Chaldæis. Quod itaq; adiungit beatus Stephanus, Tunc Abraham egressus est de terra Chaldæorum, & habitauit in Carra: non quod sit factum postea q̃ loquutus est illi deus: neq; enim post illa dei uerba egressus est de terra Chaldæorum:quum dicat ei loquutum dominum esse in Mesopotamia:sed ad totum illud tempus pertinet,quod ait,tunc:id est,ex quo egressus est à Chaldęis,& habitauit in Carra. Et item quod sequitur, Et inde postquàm mortuus est pater eius,collocauit illum in terra hac,in qua uos nũc habitatis & patres uestri. Non ait,Postquàm mortuus est pater eius exijt de Carra: sed inde quum eum hic collocauit,postea mortuus est pater eius. Intelligendum est igitur, loquutum deum fuisse ad Abraham, quum esset in Mesopotamia, prius q̃ habitaret in Carra:sed eum in Carran peruenisse cum patre, retento apud se præcepto dei: & inde exisse septuagesimo & quinto suo,patris autem sui cẽtesimo quadragesimo & quinto anno. Collocationẽ uero eius in terra Chanaan,non profectionem de Carra, post mortem patris eius factam esse dicit: quia iam mortuus erat pater eius,quãdo emit terram,cuius sibi iam suæ cœpit rei esse possessor. Quod autem iam in Mesopotamia constituto: hoc est, iam egresso de terra Chaldæorum dicit deus,Egredere de terra tua,& de cognatione tua,& de domo patris tui:non ut corpus inde eijceret,quod iam fecerat,sed animum auelleret,dicitur:non enim inde exierat animo,si spe redeundi & desiderio tenebatur: quæ spes & desideriũ,deo iubente ac iuuante,& illo obediente,fuerat amputandum. Non sanè incredibiliter existimatur, quum postea sequutus esset Nachor patrem suum, tunc Abraham præceptum domini implesse, ut cum Sara coniuge sua,& Loth filio fratris sui exiret de Carra. Iam considerandæ sunt promissiones dei factæ ad Abraham. In his enim apertiora dei nostri, hoc est,dei ueri oracula apparere cœperũt de populo piorum,quem prophetica prænuntiauit authoritas. Harum prima ita legitur,

CAP. XII De migratione Abraham XIII

ET dixit deus ad Abraham, Egredere de terra tua,& de cognatione tua, & de domo patris tui, & ueni in terram quam tibi monstrauero, & faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi,& maledicam maledicentibus tibi,atq; in te benedicentur uniuersæ cognationes terræ.) Aduertendum est igitur duas res promissas Abrahæ: unam scilicet, quod terram Chanaan possessurum fuerat semen eius:quod significatur,ubi dictum est, Vade in terram

quam

quam tibi monstrauero,& faciam te in gentem magnam. Aliam uero longe præstantiorem,non de carnali,sed de spiritali semine:per quod pater est,non unius gentis Israeliticæ, sed omnium gentium, quæ fidei eius uestigia consequuntur:quod promitti cœpit his uerbis,Et benedicentur in te omnes tribus terræ. Hanc promissionem factam arbitratur Eusebius septuagesimoquinto anno ætatis Abrahæ:tanquam mox ut facta est,de Carra exierit Abraham: quoniam scripturæ contradici non potest,ubi legitur, Abraham erat septuagintaquinq; annorum quum exijt de Carra. Sed si eo anno facta est ista promissio,iam utiq; in Carra cum patre suo demorabatur Abrahã. Neq; enim exire inde posset, nisi prius ibi habitasset. Nunquid nam ergo contradicitur Stephano dicenti,Deus gloriæ apparuit Abrahæ patri nostro quum esset in Mesopotamia,prius quàm habitaret in Carra?Sed intelligendum est,quod eodem anno facta sint omnia: & dei promissio, antequàm in Carra habitaret Abraham, & in Carra habitatio eius, & inde profectio: non solum quia Eusebius in Chronicis ab anno huius promissionis cõputat & ostendit post quadringentos & triginta annos exitum esse de Ægypto, quando lex data est: uerum etiam quia id commemorat apostolus Paulus. Egressus est ergo Abraham de Carra septuagesimoquinto anno ætatis suæ: & habebat in regno Ninus Assyriorum rex quadragintres annos, quando natus est Abraham,qui erat annus circiter millesimus ducentesimus ante conditã Romam, uelut alteram in occidente Babyloniam: centesimo & quadragesimoquinto patris sui,cum Loth filio fratris sui & Sara cõiuge perrexit in terram Chanaan,& peruenit usq; ad Sichem,ubi rursus diuinũ accepit oraculũ. Quis autem alius exijt in Abraham de terra sua & de cognatione sua,ut apud cæteros locupletaretur,& esset in gentem magnam,nisi Christus qui relicta terra & cognatione Iudæorum præpollet nunc in gentibus. Item moralis expositio hæc habet:Eximus de terra nostra,quãdo diuitias mundi huius facultatesq; contemnimus:& de cognatione nostra,id est,uitijs prioribus,quæ nobis à natiuitate nostra cohærentia,uelut quadam affinitate & cõsanguinitate coniuncta sunt:& de domo patris nostri,id est,de omni memoria mũdi huius,quæ oculorũ occurrit obtutibus. Sequitur, Et egressi sunt ut irent in terrã Chanaan: quumq; uenissent in eam,pertrãsiuit Abrahã terram usq; ad locum Sichem, & usq; ad conuallem illustrem) Sichem ipsa est quæ & Salem,quæ Latine & Græce Sicima uocata est,ciuitas Iacob,& sita est in finib. tribus Effraim. Sed & filius Emor appellatus est Sichem,à quo locus nomen accepit. Fuit autẽ & alia Sichem in mõte Effraim,ciuitas fugitiuorũ. Sequitur, Apparuitq; dñs Abrahã,& dixit ei,Semini tuo dabo terrã hanc. Qui ædificauit ibi altare domino,qui apparuit ei) Nihil hic de illo semine ꝓmissũ est,in quo pater factus est omniũ gentiũ:sed de illo solo,de quo pater est unius Israeliticæ gentis. Ab hoc semine terra ipsa possessa est. Deinde ędificato ibi altari,& inuocato deo, Abrahã ꝓfectus est inde,& habitauit in eremo. Sequit', Facta est aũt fames

De descensu Abrahæ in Aegyptum XIIII

in terra, descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi. Præualuerat enim fames in terra. Quumque prope esset ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ, Noui quod pulchra sis mulier, & quod quum uiderint te Ægyptij dicturi sint, Vxor ipsius est. Et interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & uiuat anima mea ob gratiam tui) Quum Abrahã inter ignotos propter excellentissimam pulchritudinẽ Saræ & eius pudicitia & mariti uita esset in dubio, nec utrũque tueri posset Abraham, coniugis pudicitiam tuendam committens deo, & humanas insidias cauens ut homo, quoniam si periculum quantum caueri poterat, non caueret, magis tentaret deum, quàm speraret in deum, fecit quod potuit: quod autem non potuit, illi commisit. Neque enim deus ab illo mortẽ non poterat repellere, quam timebat: eumque cum coniuge sua ab omni pernicie in illa peregrinatione tutari, ut nec uxor eius quamuis esset pulcherrima appeteretur ab aliquo, nec propter illam moreretur. Si interrogatus Abraham illam fœminam indicasset uxorem suam esse, duas res tuendas committeret deo, & suam uitam, & coniugis pudicitiam. Neque enim utrum eius uxor esset, interrogatus non esse respondit, sed quum ab eo quæreretur quid ei esset illa mulier, indicauit sororẽ, non negauit uxorem. Erat enim & hoc, quia propinqua erat sanguine. Ita uxorem tacuit, non negauit. Sequitur, Quum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, uiderunt Ægyptij mulierem, quod esset pulchra nimis, & nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis. Abram uero bene usi sunt propter illam. Flagellauit autem deus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai uxorem Abram. Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei, Quidnam est quod fecisti mihi? Quare non indicasti, quod uxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerẽ eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce uxor tua, accipe eam & uade) Denique factum est, quod de domino præsumpsit Abram. Nam Pharao rex Ægypti, qui eam sibi uxorem acceperat grauiter afflictus, marito reddidit: ubi absit, ut credamus alieno cõcubitu fuisse pollutam, quia multo est credibilius hoc facere Pharaonem afflictionibus magnis non fuisse permissum. Tamen potest & aliter excusari, quod iuxta librum Hester, quæcũque mulier placuisset regi, apud ueteres sex mensibus ungebatur oleo myrteo, & sex mensibus in pigmentis uarijs erat & curationibus fœminarum, & tunc demum ingrediebatur ad regem: atque ita potest esse ut Sarai postquàm placuerat regi, dum per annũ eius ad regem præparabatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donauerit, & Pharao postea sit percussus à domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu permanente. Sequitur,

CAP. XIII *De diuisione Abraham & Loth* XV

ASCENDIT ergo Abrahã de Ægypto ipse & uxor eius & omnia quæ habebat, & Loth cum eo ad australẽ plagam. Erat autem diues ualde, in possessione auri & argenti. Sed & Loth qui erat cum Abraham fuerunt greges ouium & armẽta, nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul. Erat quippe sub-

pe substantia eorum multa.)Reuerso igitur Abraham ex Ægypto in locū unde uenerat,tunc Loth fratris filius ab illo in terram Sodomorum salua charitate secessit.Diuites quippe facti erant,pastoresq́ pecorū multos habere cœperant,quibus inter se rixantibus, eo modo familiarū suarum pugnacem discordiā uitauerūt. Poterat quippe hinc,ut sunt humana,etiā inter ipsos aliqua rixa consurgere.Proinde hoc malum præcauentis Abrahæ uerba ista sunt ad Loth. Non sit rixa inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, quia omnes nos fratres sumus.Nonnē ecce tota terra ante te est?Discede obsecro à me. Si tu in sinistram,ego in dexteram:uel si tu in dexterā,ego in sinistram.)Hinc fortassis effecta est inter homines pacifica consuetudo,ut quādo terrenorum aliquid partiendum est,maior diuidat,minor eligat.Quum ergo digressi essent,separatimq́ habitarent Abraham & Loth,necessitate sustentandæ familiæ,non fœditate discordiæ,& Abraham in terra Chanaan,Loth uero habitare cœpit in Sodomis:Abraham,qui interpretatur excelsus pater, quem alium significat,nisi dominū Iesum Christum,qui ait per prophetam, Patrem uocabis me,& post me ingredi non cessabis,& cui omnes fideles supplicant dicēdo, Pater noster qui es in cœlis. Qui rite excelsus dicitur,quia ipse habitat in cœlis,sicut psalmista de illo testatur, Ad te leuaui oculos meos,qui habitas in cœlis. Loth uero qui interpretatur declinans,significat populū Iudæorum,qui declinauerunt ab illo,qui est uia,ueritas,& uita,& claudicauerūt à semitis suis. Pastores Abrahæ,significauerūt sanctos apostolos:oues,cæteram multitudinem fidelium:de quibus ipse ait, Oues meæ uocem meam audiunt.Et iterum, Alias oues habeo,quæ nō sunt ex hoc ouili.Pastores autem Loth,præfigurauerunt scribas & pharisæos:non quia hoc erant,sed quod falso se hoc esse iactabant:quos dominus non appellat pastores, sed fures & latrones. Iurgium pastorū quid aliud significauit,nisi conflictū utriusq́ partis, piæ & impiæ? substātia eorum,populi multitudo fideliū & infideliū,piorum & impiorum.Illud uero quod dixit Abrahā ad Loth, Ne,quæso,sit iurgium inter me & te,& inter pastores meos & pastores tuos, recede à me obsecro:ecce uniuersa terra coram te est: si tu ad sinistram ieris,ego dexteram tenebo:si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, Quid per dexteram & sinistram, nisi utrumq́ significatur testamentum: de quo ait ecclesia in Canticis canticorū, Læua eius sub capite meo,& dextera illius amplexabit̃ me. Quasi enim in dexteram partem declinauerunt Iudæi,quando ignorantes dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitiæ dei non fuerunt subiecti. Sed ille quasi sinistram elegit,quando ait, Non ueni uocare iustos,sed peccatores. Et iterum,Amen dico uobis,quia gaudium erit in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente,quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Sed ad sinistram iterum illi elegerunt,quando dixerunt, Hic homo non est à deo,qui sabbatum non custodit.Et ad Pilatum,Hic si non esset malefactor,non eum tibi tradidissemus. Sed dominus iterum in suis prædicato

ribus

ribus dexteram elegit, quando post suam resurrectionē præcepit, dicens, Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Et iterum, In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant, & qui uident, cæci fiant. Quod uero idem Loth recessit ab oriente, & elegit sibi regionem circa Iordanē, quid aliud significauit, nisi quod Iudaicus carnalis populus relicta pollicitatione cœlestiū, totam spem suam defixit in amore temporalium rerum? Et postmodum quod habitauit in Sodoma, hoc significauit, quod peior effectus est, quàm gentes, quæ ignorāt deum: dum modo quem illi ignorant, hi blasphemāt. Impletumq́ue est illud quod psalmista ex eorum persona cecinit, dicens, Et dimisi eos secundum desideriū carnis eorum, ibant in adinuentionibus suis. Sequitur, Dixitq́ue dominus ad Abraham postq́ue diuisus est Loth ab eo, Leua oculos tuos, & uide à loco in quo nūc es ad aquilonem & meridiem, & ad orientem & ad occidentem, omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semini tuo usq́ue in sempiternum, faciamq́ue semen tuum sicut puluerē terræ. Si quis potest hominū numerare puluerem, semen quoq́ue tuum numerare poterit. Surge, & perambula terram in longitudine & in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. Mouens igitur Abraham tabernaculum suum, uenit & habitauit iuxta conuallē Mambræ, quod est Hebron, ædificauitq́ue ibi altare domino.) In hac promissione utrum sit etiā illa qua pater factus est omniū gentium, non euidenter apparet. Potest enim ad hoc uideri pertinere, & faciam semen tuum, tāquam arenam terræ: quod ea loquutione dictū est, quam Græci uocant hyperbolē, quæ utiq́ue tropica est non propria. Quo tamen modo ut cæteris tropis uti solere scripturam, nullus qui eam didicit, ambigit. Iste autem tropus, id est, modus loquutionis fit, quando id quod dicitur, longe est amplius, quàm quod eo dicto significatur. Quis enim non uideat, quàm sit incomparabiliter amplior arenæ numerus, quàm potest esse hominum omnium genus ab ipso Adam usq́ue ad terminum seculi? Quanto ergo magis quàm semen Abrahæ, non solum quod pertinet ad Israeliticam gentem, uerum etiam quod est, & futurum est, secundum imitationē fidei toto orbe terrarum in omnibus gentibus? Quod semen in comparatione multitudinis impiorū profecto in paucis est, quamuis & ipsi pauci fiant, secundum innumerabilem multitudinē suam, quæ significata est secūdum hyperbolen per arenam terræ. Sanè ista multitudo quæ promittitur Abrahę, non deo est innumerabilis, sed hominibus: deo autem nec arena terræ. Proinde quia non tantum gens Israelitica, sed uniuersum semen Abrahæ, ubi esset promissio non secundum carnem, sed secundum spiritum plurium filiorum, congruentius arenæ multitudini comparatur, potest hinc intelligi utriusque rei facta promissio: sed ideo diximus, quod non euidenter appareat, quia & illius gentis unius multitudo, quæ secundum carnem nata est ex Abraham, per eius nepotem Iacob in tantum creuit, ut penè omnes partes orbis impleuerit: & ideo potuit & ipsa secundum hyperbolen arenæ multitudini comparari, quia

De apparitione domini XVI

& hæc

& hæc sola innumerosa est homini. Terram certe illam solam significatam, quæ appellata est Chanaan, ambigit nemo. Sed quod dictum est, Tibi dabo eam & semini tuo usq; in seculum: potest mouere nonnullos, si usq; in seculum, intelligatur in æternum. Si autem seculum, hoc loco accipiát sic, quemadmodum fideliter tenemus initium futuri seculi à fine præsentis ordiri, nihil eos mouebit: quia & si expulsi sunt Israelitæ de Hierosolymis, manent tamen in alijs ciuitatibus terræ Chanaan, & usq; in finem manebunt, & uniuersa illa terra quum à Christianis inhabitatur, etiam ipsum semen est Abrahæ. Hoc responso accepto promissionis, migrauit Abraham, & mansit in alio eiusdem terræ loco: id est, iuxta quercũ Mambræ, quæ erat in Chebron. Chebrõ quæ quondam uocabatur Arbe, corrupte in nostris codicibus Arboch scribitur, quum in Hebræis legatur Arbe, id est, quatuor: eo quod ibi tres patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob sepulti sint, & Adam magnus, ut in Iesu Naue libro scriptum est: licet eum quidam conditũ in loco Caluariæ suspicẽtur. Hæc est autem eadem Chebron olim metropolis Philistinorum & habitaculũ gigantum, regnumq; postea Dauid in tribu Iuda, ciuitas sacerdotalis & fugitiuorum: distat ad meridianam plagam ab Hierusalem millibus circiter uiginti duobus, & quercus Abraham quæ est Mambræ permanens usq; ad Constantij regis imperium, & mansiũcula eius in præsentiarum cernitur: quumq; à nostris ibidem ecclesia iam instructa sit, à cunctis in circuitu gentibus terebinthi locus superstitiose colitur, eo quod sub eo Abrahã angelos quondam hospitio susceperit. Fuit autem metropolis Enachim, quos gigantes intelligere debemus. Sequitur, Factum est illo in tempore, ut Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlaomor rex Elamitarum, & Thadal rex gentium, inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorræ, & contra Sennaab regẽ Adamæ, & contra Senneber regem Seboim, contraq; regem Balæ, ipsa est Segor. Omnes hi conuenerunt in uallem syluestrem, quæ nunc est mare salis. Duodecim annis seruierũt Chodorlaomor, & XIII anno recesserunt ab eo. Igitur anno XIIII uenit Chodorlaomor & reges qui erãt cum eo, percusseruntq; Raphat in Astaroth Carnaim, & Suzim cum eis & Emim in Sabæ Cariathaim, & Chorræos in montibus Seir, usq; ad campestria Pharan, quæ est in solitudine: reuersiq; sunt & uenerunt ad fontem Mesphat, ipsa est Cades, & cõciderunt gigantes in Astaroth Carnaim, & gentes fortes simul cum eis, & omnes eos in Sabæ ciuitate antequàm Sodomam peruenirent.) Quatuor reges profecti de Babylonia interfecerunt gigantes, hoc est, Raphaim, robustos quosq; Arabiæ: & Zozim & Emim in ciuitate Sabæ, quæ usq; hodie sic uocatur. Zozim autem & Emim, terribiles & horrẽdi interpretantur. Et reuertentes uenerunt ad fontem Mesphat, ipsa est Cades. Per anticipationem hoc nomen dicitur, quod postea sic uocatum est: significat locũ apud petram, qui fons iudicij nominatur, quia ibi deus populũ iudicaret. Et percusserunt omnem regionem Amalechitarũ, &

De prælio regis Sodomæ XVII

Amorræum qui habitabat in Asasonthamar.)Hoc oppidum est quod nunc uocatur Engaddi, balsami & palmarum fertile. Porrò Asasonthamar, in lingua nostra resonat urbs palmarum: thamar quippe, palma dicitur. Astaroth pars est eremi, ubi Maria & Aaron cōtra Moysen loquuti sunt, ciuitas quondam Og regis Basan. Carnaim, Astaroth uicus est grandis trans fluenta Iordanis: traduntq; ibi fuisse domum Iob. Et tulerunt omnem equitatum Sodomorum & Gomorræ: necnon & Loth, & suburbani eius. Et ecce unus qui euaserat, nuntiauit Abraham Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorræi, fratris Escol & fratris Aner.) Ostendit Mambre & Escol & Aner Amorræos atq; germanos socios fuisse Abrahæ. Et pcusserunt eos usq; Dan ad Phœnices oppidum, quod nunc Paneas dicitur. Dan autem unus est de fontibus Iordanis. Nam & alter uocatur Ior, quod interpretatur Rithron, id est, riuus. Duobus ergo fontibus qui nō procul à se distant, in unum riuulum fœderatis, Iordanis deinceps dicit. Deinde abductis his qui Sodomis irruerant, quum quinq; reges aduersus quatuor bellum gererent, & uictis Sodomitis etiam Loth captus esset, liberauit eum Abrahā, abductis secum in prælium CCCXVIII uernaculis suis, & uictoriam fecit regibus Sodomorum, nihilq; spoliorum auferre uoluit, quum rex cui uicerat obtulisset. Sed quid hæc uictoria Abrahæ de quinq; regibus indicabat, quos ille fidei pater mysterio superauit: nisi quod fides nostra sic confirmata sit in spiritu principali, ut totidem corporis nostri sensus dei uerbo subigat. Nam sicut ille de proximo in regibus uictor, ita & fides per animam uictrix de exteriori homine triumphat. Quod uero ille non in multitudine, nec uirtute legionum, sed tantum in trecentis decemocto comitantibus, aduersarios principes debellauit: iam tunc in sacræ crucis figuram, quæ per tau, literam Græcam: & Iesu nomen, qui per iota & theta Græcis characteribus scribitur, qui saluator interpretatur, in numero trecentorum decemocto exprimitur: quod nos Christi passio liberaret à dominatu quinq; carnalium sensuum, qui nos antea uarijs uitijs captiuātes exsuperauerāt. Sequitur, At uero Melchisedech rex Salem protulit panem & uinum, erat enim sacerdos dei excelsi, benedixitq; illi, & ait, Benedictus Abraham deo excelso, qui creauit cœlum & terram, & benedictus deus altissimus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt: qui tradidit ei decimas ex omnibus. Tradunt Hebræi hunc esse Sem primū filium Noe, & eo tempore quo ortus est Abraham habuisse ætatis annos CCCXC, qui ita supputantur. Post diluuium anno secundo quum centum esset annorum Sem, genuit Arphaxat. Post cuius ortum uixit annos D, hoc est simul DC. Arphaxat anno natus trigesimoqnto genuit Sale, qui & ipse natus tricenarius procreauit Heber, quem XXXIIII annorum legimus genuisse Phalec, qui rursum expletis annis XXX genuit Rehu, qui & ipse post trigesimum & quintum annum edidit Seruch. De quo quum ad XXX peruenisset annos, ortus est Nachor, qui XXXIX annorum genuit Thare, quem legimus quod septuagenarius genuerit Abraham

rit Abraham

rit Abraham & Nachor & Aran. Supputa per singulas ætates annorum numerum, & inuenies ab ortu Sem usq; ad generationem Abrahã CCCXC annos. Mortuus est aũt Abrahã centesimo & septuagesimoqnto ætatis suæ anno. Hac ratione deducta, inuenietur Sem abnepoti suo decimi gradus Abrahæ superuixisse annos XXXV. Simulq; de hoc tradũt, quod usq; ad sacerdotium Aaron omnes primogeniti ex istius genere, cuius series & ordo describitur, fuerint sacerdotes, & deo uictimas immolarint: & hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo Iacob uendiderit: nec esse mirum, si Melchisedech uictori Abraham processerit obuiã, & in refectione tam ipsius quàm pugnatorum eius, panem uinumq; protulerit, & benedixerit ei, cum abnepoti suo hoc iure deberet: & decimas prædæ atq; uictoriæ acceperit ab eo, siue quoniam habetur ambiguum utrum ipse dederit ei decimas substantiæ suæ, & habitam largitatem ostenderit in nepotem. Vtrumq; enim intelligi potest, & iuxta Hebraicum, & Septuaginta interpretes: quod & ipse acceperit decimas spoliorũ, & Abrahæ dederit decimas substantiæ suæ: quanquam apostolus in epistola ad Hebræos apertissime definiat, nõ Abraham suscepisse à Melchisedech decimas diuitiarum eius, sed de spolijs hostium partem accepisse pontificem. Salem autem non ut Egesippus & nostrorum omnes arbitrantur est Hierusalem, nomen ex Græco Hebræoq; compositũ, quod absurdum esse peregrinæ linguæ mixtura demõstrat: sed est oppidũ iuxta Scythopolim, quod usq; hodie appellatur Salem. Ostenditur quoq; ibi palatiũ Melchisedech ex magnitudine ruinarum ueteris operis ostendens magnificẽtiam, de quo in exteriori parte quoq; Geneseos scriptum est, Venit Iacob in Sochot (id est, in tabernacula) & fecit sibi ibi domos atq; tentoria, & transiuit in Salem ciuitatem regionis Sichem, quæ est in terra Chanaan. Considerandum quoq; quando Abrahæ à cæde hostium reuertenti, quos persequutus est usq; Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de uia Hierusalẽ, sed de oppido metropoleos Sichem in itinere fuerit, de quo in euangelio legimus, Erat autẽ Ioannes baptizans in Arnon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi. Nec refert utrum Salem, an Salim nominetur, quũ uocalibus in medio literis perraro utantur Hebræi, & pro uoluntate lectorum, ac uolũtate regionum eadem uerba diuersis sonis atq; accentibus proferant. Hæc ab eruditissimis gentis illius didicimus, qui intantum non recipiunt spiritum sanctum, uel angelum fuisse Melchisedech, ut etiam certissimum hominis nomẽ ascribant. Et reuera stultum est, id quod in typo dicitur, eo quod Christi sacerdotium finem non habeat, & ipse rex & sacerdos nobis utrumq; donauerit, ut simus genus regale & sacerdotale, & quasi angularis lapis utrunq; coniunxerit parietem, ut de duobus gregibus bonus pastor unum efficeret gregem: sic quosdam referre ad anagogẽ, ut historiæ auferant ueritatem, & dicant non fuisse regem, sed in imagine hominis angelum demonstratum: dum in tantum nitantur Hebræi Melchisedech regem Salem, filium Noe Sem ostendere, ut ante scriptum referant, Egressus

est autem rex Sodomorũ in occursum ei:haud dubium quin Abraham,post quàm reuersus est à cæde Chodorlaomor & regum qui cum eo erant in ualle Sabæ,hæc est uallis regis. De quo statim sequitur, Et Melchisedech rex Salem protulit panem & uinum: & reliqua.) Si ergo hæc ciuitas regis est, & uallis regis:siue ut Septuaginta transtulerũt,campus,quem hodie Aulonem, Palæstini uocant: Aulon uero nõ Græcum,ut quidam putant,sed Hebræum cabulum est:appellatur autem uallis grandis & campestris, in immẽsam longitudinem se extendens, quæ circundatur ex omni parte montibus sibi inuicem succedentibus & cohærentibus,qui incipientes à Libano & ultra eũ, usq; ad desertum Pharan perueniunt:suntq; in ipso Aulone,id est,in ualle campestri urbes nobiles, Scythopolis, Tyberias, stagnum quoq; Genezareth, sed & Hiericho, mare mortuum, & regiones in circuitu, per quas medius Iordanis fluit, oriens de fontibus Paneadis, & in mari mortuo interiens: manifestum est Melchisedech hominem fuisse,qui in terrena & ualle & urbe regnauit. Hic enim Melchisedech, qui interpretatur rex iustitiæ, ciuitatis uidelicet Salem,quæ interpretatur pax, sacerdosq; dei summi, panem & uinum in sacrificium offerens: cui & de præcipuis prædis Abraham patriarcha decimas legit̃ obtulisse,à quo & benedictus est. Qui enim benedicit, maior est,quàm qui benedicitur, Vnde & sacerdotes ex semine Abrahæ nati, fratres suos benedicebant,id est,filios Israel,quibus illi decimas dabant,secundũ legis mandatum,uere ut maioribus & eminentioribus sibi, Sine patre,ut apostolus ait, sine matre,sine genealogia:nec initium dierum, nec finem uitæ habens:quod utiq; nulli hominũ congruere potest,nisi domino soli. In eo enim quod subito nomen eius inducitur, & ex qua stirpe sit procreatus, nequaquam penitus indicatur:ac de initio uitæ eius,uel fine, nec ante, nec postmodum quicquam refertur:dei filio domino nostro assimilatur. Ipse est enim solus de patre,sine matre genitus per diuinitatem: ipse de matre sine patre per humanitatẽ: ipse quoq; sacerdos æternus, ad quem dicitur, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.ipse iustitia & pax,rex & sacerdos:rex uidelicet ex deo patre,sacerdos ex uirgine matre. Sine matre enim eũ fuisse,manifestũ est ex patre,quum dicitur ab euangelista, In principio erat uerbũ,& uerbum erat apud deum,& deus erat uerbum:hoc erat in principio apud deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sine patre quoq; eum extitisse ex matre euãgelista pronuntiat,quum Mariæ angelus loquitur,Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nascetur ex te sanctum,uocabitur filius dei. Sine aliqua etiam sacerdotali genealogia homo extitit ex hominibus, utpote non ex tribu Leui ortus, sed ex tribu Iuda:ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit:utiq; propter mysterium sacramenti,quod Christianis celebrare præceptũ est, ut non secundum Aaron pecudum uictimas,sed oblationem panis & uini,id est,corporis & sanguinis eius sacramentum in sacrificium offeramus. Ibi quippe primum

De Melchisedech XVIII

mum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur deo toto orbe terrarum: impleturq; illud quod longe post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc uenturus in carne, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. non scilicet secundum Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis umbris enotabantur. Quod uero patriarcha magnus decimas omnis substãtiæ suæ Melchisedech sacerdoti post benedictionem dedit, sciens spiritaliter melius sacerdotium futurum in populo gentium, quàm Leuiticum, quod in Israel de ipso erat nasciturum: futurumq; ut sacerdotium ecclesiæ habens præputium, benediceret in Abraham circunciso sacerdotium synagogæ. Sequitur,

CAP. XV De eo quod scriptum est, Factus est sermo domini, &c. XIX

HIS ita transactis, factus est sermo domini ad Abraham per uisionem, dicens, Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dixitq; Abraham, Domine deus quid dabis mihi? Ego uadam absq; liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Addiditq; Abraham, Mihi autem non dedisti semen, & ecce uernaculus meus, hæres meus erit.) Semini Abrahã iam facta erat promissio, & innumerabilis multitudinis abundantia: nondum tamen erat patefactum, quomodo illius seminis esset futura promissio: utrum ex carne Abrahæ, si de ipso generaret: an ex uoluntate, si aliquem fortè adoptaret. Itaq; Abraham quum sibi uideret non nasci filios, & tamen semini factam promissionem cerneret, primo de adoptione cogitabat. Hoc indicat quod cum deo loquens, ait de uernaculo suo, Hic hæres meus erit: tanquam diceret, Quia de memetipso mihi semen non dedisti: in isto comple, quod meo semini promisisti. Si enim semen cuiusque non appellaretur, nisi quod de eius carne nasceretur: nec nos appellaret apostolus semen Abrahæ, qui certe originem carnis de illo non ducimus: sed imitatione fidei, semen eius facti sumus, credentes in Christo, cuius caro ex illius carne propagata est. Tunc Abrahã audiuit à domino, Non hic erit hæres tuus: sed qui exiet de utero tuo, ipse erit hæres tuus.) Iam nunc adoptionis cogitatione sublata, quum de seipso semen speraret Abrahã: restabat incertum utrum ex Sara, an ex alia. Quod illi deus occultare uoluit, donec prius ex illa uetus figuraretur testamentum. Sequitur, Eduxitq; illum foras, & ait illi, Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei, Sic erit semen tuum. Credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam.) Rursumq; semen innumerabile, nõ sicut arena terræ, sed stellæ cœli: ubi mihi magis uidetur promissa posteritas cœlesti felicitate sublimis. Nam quantum ad multitudinẽ pertinet, quid sunt stellæ cœli ad arenam terræ, nisi quis & istam comparationem intantum esse similem dicat, inquãtum etiam stellæ dinumerari non possunt, quia nec eas omnes uideri posse credendum est. Nam quanto quisq; acutius intuetur, tanto plures uidet: unde & acerrime cernentibus, aliquas esse merito existimatur, exceptis eis syderibus, quæ in alia parte orbis à nobis remotissima oriri & occidere perhibentur. Sequitur, Credidit Abraham deo, & reputatum

tatum est illi ad iustitiam. Hinc sanè illa sentẽtia ponitur, cuius apostolus meminit propter dei gratiam commendandam, ne circuncisio gloriaretur, gentesq́; incircũcisas ad fidem Christi nollet admitti. Hoc enim quando factum est, ut credenti Abrahæ deputaretur fides ad iustitiam, nõdum fuerat circuncisus. Sequitur, Dixitq́; ad eũ dominus, Ego dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, & possideres eam.) Vbi quum interrogasset Abraham, secundum quod sciret, quod possessurus esset eam, respondens dominus ait illi, Sume, inquit, mihi uaccam triennem & capram trimam, & arietem annorũ trium, turturem quoq; & columbam. Qui tollens uniuersa hæc, diuisit ea per medium, & utrasq; partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit.) Non enim ait, unde sciam, quasi adhuc non crederet: sed ait, secundum quod sciam, ut ei rei quam crediderat aliqua similitudo adhiberetur, qua eius modus agnosceretur. sicut non est uirginis Mariæ diffidentia, quod ait, Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? Quod enim futurum esset, certa erat: modum quo fieret, inquirebat: & hoc quum quæsisset, audiuit. Deniq; & hic similitudo de animalibus, iuuenca & capra & ariete, & duabus uolucribus, turture, & columba: ut secũdum hæc futurum sciret, quod futurum iam esse non ambigeret. Per uaccam significata est plebs ipsa, posita sub iugo legis: per capram, eadem plebs peccatrix futura: per arietem, eadẽ plebs regnatura. Quæ animalia propterea trima dicuntur, quia quum sint insignes articuli temporum ab Adam usq; ad Noe, & inde usq; ad Abraham, & inde usq; ad Dauid, qui reprobato Saule primus in regno gentis Israeliticæ domini est uoluntate fundatus: in hoc ordine tertio, qui tenditur ex Abraham usq; ad Dauid, tanquam tertiam ætatem gerens, ille populus adoleuit. In turture quoq; illi sunt intelligẽdi, quos apostolus dicit, in solitudinibus errantes, ac montibus & spelũcis, seu in cauernis terræ, quibus dignus nõ erat mundus. In columba præfigurati sunt prophetæ, qui sancto repleti spiritu, populis denũtiabant futura. Siue etiam per turturem & columbam, spiritales in illo populo figurati sunt, indiuidui filij promissionis & hæredes regni futuri. Quorum ætas temporalis ideo tacetur, quia æterna meditantes, trãsgressi sunt desideria temporalia: & ideo dictum est, Aues autem non diuisit: quoniam carnales inter se diuiduntur, spiritales autem nullo modo, siue à negotiosis conuersationibus hominum se remoueant, sicut turtur, siue inter illas degant, ut columba. Vtraq; tamen auis est simplex & innoxia, significans & in ipso Israelitico populo, cui terra danda erat, futuros indiuiduos filios promissionis, & hæredes regni, in æterna felicitate mãsuri. Sequitur,

De eo qđ scriptũ est, Sume, &c. XX

Descenderuntq́; uolucres super cadauera, & abigebat eas Abraham.) Illius enim merito sæpe liberatus est Israeliticus populus, & defensatus ab infestatione gentium diuersarum. Aues autem descendentes supra corpora quæ diuisa erant, non boni aliquid, sed spiritus indicant aeris huius, pastum quendam suum de carnalium diuisione quærentes. Quod autem illas abigebat

Abraham

Abraham, significat etiam inter illas carnaliũ diuisiones, ueros ũsq; in finem perseueraturos fideles, Sequitur, Quumq; sol occũberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.) Significat circa huius finem seculi magnam perturbationẽ, ac tribulationem futuram fidelium, de qua dominus dicit in euangelio, Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio. Sequitur, Dictumq; est ad eum, Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra nõ sua, & subijcient eos seruituti, & affligent eos quadringentis annis: uerumtamẽ gentem cui seruituri sunt ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia.) De populo Israel qui fuerat in Ægypto seruiturus apertissime prophetauit: non quod in eadem seruitute sub Ægyptijs affligentibus quadringentos annos ille populus fuerat peracturus, sed in ipsis quadringentis annis prænuntiatum est hoc futurum: quemadmodum scriptum est de Thare patre Abrahæ, Et fuerunt dies Thare in Carra ducenti quinq; anni: non quia ibi omnes transacti sunt, sed quia ibi completi sunt. Ita & hic interpositũ est, & in seruitutem redigent eos & affligent eos quadringentis annis, quoniam iste numerus in eadem afflictione completus est, non quia ibi uniuersus peractus est. Quadringenti sanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamuis aliquanto amplius sint: siue ex hoc tempore computentur, quo ista promittebantur Abrahæ: siue ex quo natus est Isaac, propter semen Abrahæ, de quo ista prædicuntur. Computantur autẽ, sicut superius iam diximus, ab anno septuagesimoquinto Abrahæ, quando ad eum facta est ipsa promissio, usq; ad exitum Israel ex Ægypto quadringenti triginta anni: quorum apostolus ita meminit, Hoc autem dico, inquit, testamentum confirmatum à deo, quæ post quadringentos triginta annos facta est lex, non infirmat ad euacuãdam promissionem. Iam ergo isti quadringẽti triginta, CCCC poterant nuncupari, quia non sunt multo amplius: quantomagis quũ aliquot iam ex isto numero præterissent, quando illa in uisu demonstrata & dicta sunt Abrahæ: uel quando Isaac natus est centenario patri suo, à prima promissione post uigintiquinq; annos, quũ iam ex istis quadringentis triginta, quadringenti quinq; remanerent, quos dominus CCCC uoluit nominare. Sequitur, Tu autẽ ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc. Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorræorũ usq; ad præsens tempus.) Replica genealogiã Leui. Leui genuit Chaath, Chaath genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar genuit Phinees. Chaath cum patre suo Leui ingressus est Ægyptũ. À Chaath usq; ad Eleazar computãtur generationes quatuor: licet quidam uelint ab Amram incipere, & ad Phinees, ut nos in Eleazar fecimus, peruenire. Si uolueris disparẽ numerum ostendere, quomodo secũdum quintam generationem egressi sunt filij Israel de terra Ægypti, tribus tibi Iudæ ordo numeretur. Iudas genuit Phares, Phares genuit

res genuit Esrom, Esrom genuit Aram, Arã genuit Aminadab, Aminadab genuit Naason, Naason genuit Salmon. Phares cum patre suo Iuda ingressus est Ægyptum. Naason princeps tribus Iuda in deserto describitur, cuius filius Salmon, terrã repromissionis introiuit. Cõputa à Phares usq; ad Naason, & inuenies generationes quinq;. Sequitur, Quum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa. & apparuit clybanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.) Significat iam in fine seculi per ignem iudicandos esse carnales. Sicut enim afflictio ciuitatis dei, qualis antea nũquam fuit, quæ sub antichristo futura speratur, significatur tenebroso timore Abrahæ circa solis occasum, id est, propinquante iam fine seculi: sic ad solis occasum, id est, ad ipsum iam finem significatur isto igne dies iudicij, dirimens carnales, per ignem saluandos, & in igne damnandos. Sequitur, In illo die pepigit dominus cum Abrahã fœdus, dicens, Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Ægypti, usq; ad fluuium magnum Euphraten, Cinæos, & Zenezæos, & Cethmonæos, & Ethæos, & Pherezæos, Raphain quoq;, & Amorræos, & Chananæos, & Gergesæos, & Hiebusæos.) Deinde testamẽtum factum ad Abraham, terram Chanaan proprie manifestat, & nominat in ea XI gentes à flumine Ægypti usq; ad flumen magnum Euphraten. Non ergo à flumine magno Ægypti, hoc est, Nilo: sed à paruo, qui diuidit inter Ægyptũ & Palæstinam, ubi est ciuitas Rinocorura. Sequitur,

CAP. XVI *De congressu Abrahæ cum Agar* XXI

IGITUR Sarai uxor Abram nõ genuerat liberos, sed habens ancillam Ægyptiam, nomine Agar, dixit marito suo, Ecce conclusit me deus, ne parerem, ingredere ad ancillã meam, si fortè saltem ex illa suscipiã filios. Quumq; ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam post annos decem quam habitare cœperat in terra Chanaan, & dedit eam uiro suo uxorem, qui ingressus est ad illam. At illa cõcepisse se uidens, despexit dominam suam.) Quod autem attinet ad rem gestam, nullo modo est inurendũ de hac concubina crimen Abrahæ, quia iam adoptionis cogitatione sublata, quum de seipso semen speraret Abraham: restabat incertum, utrum ex Sara, an ex alia: quod illi deus occultare uoluit, donec ex ancilla uetus testamentum figuraretur. Quid ergo mirum, si uidens sterilem uxorem ac cupientẽ sibi prolem, quã parere ipsa non potuit, ex famula sua & ex marito prouenire, non suæ cupiditati cessit, sed cõiugali potestati obtemperauit? Usus est ea Abraham ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec insultans, sed potius obediens: coniugiq; suæ sterilitatis credidit esse solatium, si secundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, uoluntate faceret suum: & eo iure quo dicit apostolus, Similiter & uir non habeat sui corporis potestatẽ, sed mulier: uteretur ad pariendum ex altera, quod non poterat ex seipsa. Nulla est hic cupido lasciuiæ, nulla nequitiæ turpitudo. Ab uxore causa prolis ancilla marito traditur, à marito causa prolis accipitur: ab utroq; nõ culpa luxus, sed naturæ fructus exquiritur. Sequitur, Dixitq; Sarai ad Abram, Inique agis contra me.

me. Ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ uidens quod cōceperit, despectui me habet. Iudicet dominus inter me & te. Cui respōdit Abram, Ecce ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet.) Deniq; cū ancilla grauida, domina sterili superbiret, & hoc Sara muliebri suspiciōe uiro potius imputaret: etiā sibi demonstrauit Abram, non se amatorē seruum, sed liberum fuisse genitorem: & in Agar Saræ coniugis pudicitiā custodisse, nec uoluntatem suam, sed ipsius impleuisse, accepisse nec petisse, accessisse nec cessisse, seminasse nec amasse. Ait enim, Ecce ancilla tua in manib. tuis, utere ea ut libet. O uirum uiriliter utentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtēperanter, nulla intemperanter. Sequitur, Affligente igitur eam Sarai, fugā iniȷt. Quumq; inuenisset illam angelus domini iuxta fontem aquæ in solitudine, qui est in uia in deserto Sur.) Consequenter Ægyptia in uia Sur, quæ per eremum ducit ad Ægyptum, ire festinabat. Sur ubi inuenit angelus ancillā Saræ Agar, sitū est inter Cades & Barath, extenditur autem desertum usq; ad mare rubrum, quod ad Ægypti confinia peruenit. Porrò Cades solitudo est super urbē Petram. Sed & scriptura desertū Cades contra faciem Ægypti extēdi memorat. Sequitur, Dixitq; angelus domini, Reuertere ad dominā tuam, & humiliare sub manu ipsius. Multiplicans, inquit, multiplicabo semē tuum, & non numerabitur præ multitudine. Ecce, inquit, concepisti, & paries filiū, uocabisq; nomen eius Ismahel: eo quod audierit deus afflictionē tuam. Hic erit ferus homo: manus eius cōtra omnes, & manus omniū contra eum, & è regione fratrum suorum figet tabernacula.) Ismahel interpretatur exauditio dei. Contra faciē fratrum suorum habitabit: significauit semen eius habitaturū in eremo, id est, Saracenos uagos, incertisq; sedibus, qui uniuersas gentes, quibus desertum ex latere iungitur, incursant, & impugnantur ab omnibus. Sequitur, Peperitq; Agar Abrahæ filium, qui uocauit nomē eius Ismahel. Septuaginta & sex annorum erat, quando peperit ei Agar Ismahelem.)

De fuga Agar XXII

CAP. XVII

POSTQVAM natus est Ismahel ex Agar, in quo putare posset Abraham impletum quod promissum fuerat, quum sibi uernaculum suum adoptare uoluisset, deo dicente, Non hic erit hæres tuus, sed qui exiet de te, ille erit hæres tuus: hoc ergo promissum, ne in ancillæ filio putaret impletū, iam quum esset annorū XCIX apparuit ei deus, & dixit illi, Ego deus omnipotens. Ambula coram me, & esto perfectus: ponamq; fœdus meū inter me & te: & multiplicabo te uehementer nimis. Cecidit Abraham pronus in faciem suam: dixitq; ei deus, Ego sum, & pactum meum tecum, erisq; pater multarū gētium. Nec ultra uocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abrahā, quia patrem multarum gentium constitui te, faciamq; te crescere uehementissime) Dicunt autē Hebræi, quod in nomine suo, deus, quod apud illos tetragrammatū est, e literā, Abrahæ & Saræ addiderit. Dicebatur enim primū, Abrā, quod interpretatur pater excelsus: & postea uocatus est Abrahā, quod transfertur pater multorū. Nam quod sequitur gentiū, non habetur in nomine, sed subauditur.

De mutatione nominis Abr. XXIII

Nec mirandum quare quum apud Græcos & nos, a, litera uideatur addita, nos e, literam, Abrahæ additā dixerimus. Idioma enim linguæ illius est, per e, quidem scribere, sed per a, legere: sicut econtrario, a literam, sæpe per e, pronuntiant. Sequitur, Et ponam in gentibus reges, qui ex te egredientur: & sta tuam pactum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim deus tuus, & semini tuo post te: daboq́ tibi & semini tuo post te, terram peregrinationis tuæ, omnē terram in possessionem æternam, eroq́ deus eorum.) Si quem uero mouet quod dictum est, Et dabo tibi & semini tuo post te, terram peregrinationis tuæ in possessionē æternam, quomodo accipiatur impletū, siue adhuc expectetur implēdum, quum possessio quæcunq́ terrena æterna cuilibet genti esse non possit: sciat æternum à nostris interpretari, quod Græce dicitur in illorū lingua αἰώνιον, & aut non habet finem, aut usq́ in huius seculi tenditur finem. Sequitur, Dixit iterum deus ad Abrahā, Et tu custodies pactū meum, & semē tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum, quod obseruabitis inter me & uos, & semen tuum post te, Circuncidetur ex uobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij uestri, ut sit in signū fœderis mei inter me & uos. Infans octo dierum circuncidetur in uobis, Omne masculinum in generationibus uestris, tam uernaculus, quàm emptitius circuncidetur, & quicunq́ non fuerit de stirpe uestra: eritq́ pactum meum in carne uestra in fœdus æternum. Masculus cuius præputij caro non fuerit circuncisa, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.) Notandum quod ubicunq́ in græco, Testamētum legimus, in hebraico sermone Fœdus, siue Pactum habetur. Multa quippe appellantur testamenta dei, exceptis illis duobus magnis, & uetere & nouo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominē primum, profecto illud est, Qua die edetis, morte moriemini. Quum enim lex euidētior postea data sit, & dicat apostolus, Vbi autem non est lex, non est præuaricatio: quo pacto, quod in psalmo legitur, uerum est, Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ? nisi quia omnes legis alicuius præuaricatores sunt rei, qui aliquo pacto tenentur obstricti. Quamobrē si etiam paruuli, quod uera fides habet, nascuntur, non proprie, sed originaliter peccatores, unde illis gratiā remissionis peccatorum necessariā confitemur: profecto eo modo qui sunt peccatores, etiam præuaricatores legis illius quæ in paradiso data est, agnoscuntur: ut uerum sit utrūq́ quod scriptū est, &, Prȩuaricatores reputauit omnes peccatores terræ: &, Vbi lex non est, nec præuaricatio. Ac per hoc, quia circuncisio signum regenerationis fuit: & non immerito paruulum propter originale peccatū, quo primū dei dissipatū est testamentū, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet: sic intelligēda sunt hæc uerba diuina, tanquā dictum sit, Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere eius, quia testamētum dei dissipauit: quasi non

De circūcisione Abrahæ XXIIII

nisi de

nisi de ista circũcisione intelligi cogeret. Nunc uero quoniam expressit cuiusmodi pactum paruulus dissipauerit, liberum est intelligere de illo pacto dictum, cuius dissipatio pertinere possit ad paruulum. Si autem hoc quispiam non nisi de ista circuncisione dictum esse contendit, quod in ea pactum dei, quoniã non est circũcisus, dissipauerit paruulus: quærat loquutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi, ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamẽ est in illo dissipatum. Verum sic quoq; animaduertendum est, nulla in se negligentia iniuste interire incircuncisi animam paruuli, nisi originalis obligatione peccati. Dixit quoq; deus ad Abraham, Sarai uxorem tuam non uocabis Sarai, sed Saram: & benedicam ei: & ex illa dabo tibi filiũ, cui benedicturus sum.) Errant qui putãt primum Saram, per unam r, scriptam, & postea alteram r, additam: & quia r, apud Græcos centenarius numerus est, multas super eius nomine ineptias suspicantur: quum utiq; utcunq; uolunt ei uocabulum commutatum, non Græcam, sed Hebræam debeat habere rationem, quum ipsum nomẽ Hebraicum sit. Nemo autem altera lingua quempiam uocans, etymologiam uocabuli sumit ex altera. Sarai igitur primum uocata est, per sin, res, ioth. Sublato ergo ioth, id est, i elemento, addita est e, litera, quæ per a, legitur: & uocata est Saraa. Causa autem nominis immutati hæc est, quod antea dicebatur, princeps mea, unius tantummodo domus mater familiæ: postea uero dicitur absolute, princeps: omnium quippe gentium futura iam princeps. Sequitur, Eritq; in nationes populorum, & reges gentium orientur ex eo.) Quomodo dictum est ad Abraham de filio eius, Et reges gentium ex illo erunt? Vtrum quia peruenit secundum regna terrena: uel secundum ecclesiam accipi debet? An propter Esau etiam ad literam contigit. Sequitur, Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo, Putas si centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?) Ambo enim seniores erant, sicut scriptura testatur: sed illa etiam sterilis, & cruore menstruo iam destituta: propter quod iam parere non posset, etiam si sterilis non fuisset. Porrò si fœmina ita sit prouectioris ætatis, ut ei solita muliebria adhuc fluant: de iuuene parere potest, de seniore non potest: quamuis adhuc possit ille senior de adolescentula gignere, sicut Abraham post mortem Saræ de Cethura potuit, quia uiuidam eius inuenit ætatem. Hoc ergo est quod mirum commẽdat apostolus, & ad hoc dicit Abrahæ iam fuisse corpus emortuum: quoniam non ex omni fœmina, cui esset adhuc aliquod pariendi tempus extremum, generare ipse in illa ætate adhuc posset. Ad aliquid emortuum corpus intelligere debemus, non ad omnia: nam si ad omnia, nõ iam senectus uiui, sed cadauer est mortui: quamuis etiã sic solui possit quæstio ista, quod de Cethura postea genuit Abraham, quia donum gignendi, quod à domino accepit, etiam post obitum mansit uxoris. Sed propterea mihi uidetur illa, quam sequuti sumus, huius quæstionis solutio præferenda: quia centenarius quidem senex, sed temporis nostri

De mutatione nominis Sarai XXV



de nulla

de nulla potest fœmina gignere, non tunc quando adhuc tamdiu uiuebant, ut centum anni nondum facerent hominem decrepitæ senectutis. Sequitur,

De promissione natiuitatis Isaac XXVI

Dixitq; Abraham ad dominum, Vtinam Ismahel uiuat coram te. Et ait dominus ad Abrahã, Sara uxor tua pariet tibi filium, uocabisq; nomen eius Isaac: & statuam illi pactum meum in fœdus sempiternũ, & semini eius post eum. Super Ismahel quoq; exaudiui te. Ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum ualde. Duodecim duces generabit, & faciam eum in gentẽ magnam. Pactum uero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.) Sciendum tamen quod quatuor in ueteri testamento absq; ullo uelamine nominibus suis ante quàm nascerentur uocati sunt, Ismahel, Isaac, Sãpson, & Iosias. Hic apertiora promissa sunt de uocatione gentiũ in Isaac, id est, in filio promissionis, quo significatur gratia non natura: quia de sene & anu sterili promittitur filius. Quamuis enim & naturalem procreationis excursum deus operetur, ubi tamen euidens dei opus est, uitiata & cessante natura, ibi euidentius intelligitur gratia. Sequitur, Cumq; finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit deus ad Abraham. Tulit autem Abraham Ismahelem filium suum, & omnes uernaculos domus suæ, uniuersosq; quos emerat, cũctosq; mares ex omnibus uiris domus suæ, & circuncidit carnem præputij eorum, statim in ipsa die, sicut præceperat ei deus. Nonaginta nouem erat annorum quando circuncidit carnem præputij sui, & Ismahel filius eius XIII annos impleuerat, tempore circũcisionis suæ. Eadem die circuncisus est Abraham & Ismahel filius eius, & omnes uiri domus illius, tam uernaculi, quàm emptitij & alienigenæ pariter circũcisi sunt.) Si enim Adam pactum dei custodisset, non Abrahã pactum hoc accepisset: sed quia ille in hoc membro culpam inobedientiæ primum agnouit, decuit ut iste in hoc membro signum obediẽtiæ secundo accepisset: ut ostenderet obedientes quandoq; generare filios ad uitam, dum olim præuaricatores generauerint ad mortem: & quia hoc nõ per generationem, sed per regenerationem futurum erat, ita & nunc imperata est circuncisio, quando de Sara promissus est filius: & quod omnes non solum filios, uerum etiam seruos uernaculos & emptitios circuncidi iubet, ad omnes istam gratiam pertinere testatur. Quid enim aliud circuncisio significat, quàm naturam ex uetustate renouatam? & quid aliud, quàm Christum octaua dies significat: qui hebdomada completa, hoc est, post sabbatum resurrexit? Parentum mutantur nomina: omnia resonant nouitatem, & in testamento ueteri, obumbratur nouum. Quid est enim quod dicitur, testamentum uetus, nisi occultatio? & quid est aliud quod dicitur nouum, nisi ueteris reuelatio? Risus Abrahæ, exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis: uerba quoq; eius illa in animo suo, Si mihi centenario nascetur filius, & si Sara nonagenaria pariet: non sunt dubitantis, sed admirantis. Ideo pro gaudio ridentis Abrahæ, filius dictus est Isaac, id est, risus. Risus enim iste, in bono accipi debet. Sequitur,

Apparuit

APPARVIT autem ei deus in conualle Mambræ, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei. Quumq́ leuaſſet oculos, apparuerũt ei tres uiri ſtantes prope eum. Quos quum uidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adorauit in terra, & dixit, Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes ueſtros: requieſcite ſub arbore, ponam buccellam panis, & confortate cor ueſtrum, poſtea tranſibitis. Idcirco enim declinaſtis ad ſeruum ueſtrum. Qui reſponderunt, Fac ut loquutus es.) In tribus uiris, quos dubitãdum non eſt angelos fuiſſe, quamuis quidam exiſtiment unum in eis fuiſſe dominum Chriſtum, aſſerentes eum etiam ante indumentum carnis fuiſſe uiſibilem. Eſt quidem diuinæ poteſtatis, & inuiſibilis, incorporalis, immutabilisq́ naturæ, ſine ulla etiam ſui mutatione, etiam mortalibus aſpectibus apparere: non per id quod eſt, ſed per aliquid quod ſibi ſubditum eſt. Quid autem ſibi ſubditum non eſt? Verumtamen ſi propterea confirmant horum trium aliquem fuiſſe Chriſtum: quia quum tres uidiſſet, ad deum ſingulariter eſt loquutus: quur non & illud aduertunt, duos ex eis ueniſſe, ut Sodomitæ delerentur, quum adhuc Abraham ad unum loqueretur, dominum eum appellans: & intercedens, ne ſimul iuſtum cum impijs Sodomitis perderet: illos autem duos ſic ſuſcepit Loth, ut etiam ipſe in colloquio ſuo cum illis ſingulariter dominum appellet? Nam quum illis pluraliter dixiſſet, Ecce domini declinate in domum pueri ueſtri: & cætera, quæ ibi dicuntur, Poſtea tamen ita legitur, Et tenuerunt angeli manum eius, & manum uxoris eius, & manus duarum filiarum eius: ideo quod dominus parceret illis. Sequitur, Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq́ ei, Accelera tria ſata ſimilæ, commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe uero ad armentum cucurrit, & tulit inde uitulum tenerrimum & optimum, deditq́ puero, qui feſtinauit, & coxit illum: tulitq́ butyrum & lac, & uitulum quem coxerat, & poſuit coram eis: ipſe uero ſtabat iuxta eos ſub arbore.) Tria ſata, tres amphoræ ſunt: ut idem myſterium & hic & in euangelio, ubi mulier tria ſata fermentare dicitur, cognoſcamus. Quæritur, ſi angelos intelligebat, quomodo eos potuit ad hanc humanitatem inuitare: quæ refectioni mortalis carnis neceſſaria eſt, non immortalitati angelorum? Quoniam certo & omnimodis inuiolabili munere immortalitatis induti, non, niſi uellent, poſſibilitate, non neceſſitate comederunt: non quia indigebant, ſed quia uolebant, ut hominibus congruerent, quadam humanitate fecerunt. Neq; in phantaſmate credendum eſt eos apparuiſſe, quando eos homines hoſpitio receperunt. Non enim poteſtas, ſed egeſtas edendi ac bibendi talibus corporibus aufertur. Tabernaculum autem illud Abrahæ, typum habuit terrenæ Hieruſalem: ubi pro tempore, prophetæ & apoſtoli habitauerunt: ubi & primum dominus adueniens à credentibus exceptus, ab incredulis in ligno ſuſpenſus eſt. In tribus autem uiris, qui uenerunt ad illum, domini Chriſti prænuntiabatur

CAP. XVIII
De apparitione in Mãbre
XXVII

nuntiabatur aduentus, cum quo duo angeli comitabātur, quos pleriq; Moysen & Heliam accipiunt: unum priscæ legis latorem, qui per eādem legem aduentum domini indicauit: alium qui in fine mundi uenturus est, denūtiaturus secundum aduentum Christi, atq; eius euāgelium Iudæis prædicaturus. Vnde & in monte dum dominus fuisset trāsfiguratus, hi duo Moyses & Helias cum eo ab apostolis uisi sunt. Quod uero Abraham tres uidens unum adorauit, dominum scilicet & saluatorem ostendens, cuius iam aduentū est præstolatus, iuxta quod in euangelio dominus ait, Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum: uidit, & gauisus est. Tunc enim futurum aspexit mysterium sacramenti, unde & pedes eorum lauit, ut in extremo mundi, lauacri purificationem demonstraret futuram. Pedes enim, nouissima significant. Si quidem & cōuiuium præparat, uitulum scilicet saginatum. Iste autem uitulus tener & saginatus, domini Iesu Christi est corpus. Iste est etiam domini uitulus, qui propter salutē credentiū ad arborem crucis est immolatus. Hic est uitulus dominici corporis, qui in euangelio pro peccatore occiditur filio. Sed & butyrum & lac cum carne uituli apposuit. Lac quippe legis habuisse figuram apostolus noster annuntiat dicens, Lac uobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, nec adhuc quidem potestis. Tradiderat enim illis legis mandatum, quasi lac de uberibus duarum tabularū expressum, hoc est, testamentum fidei. Necdum enim poterant propter infantiam sensus, euangelicæ doctrinæ solidam & robustam escam accipere. Butyrum autem tenerrimum & pinguissimum euāgeliorum est testimonium, quod ueluti oleum fidelibus in signum datur. Sed proinde uitulum cum lacte & butyro Abrahā ad edendum apposuit: quia nec corpus domini, quod est uitulus, sine lacte legis: nec lac legis sine butyro, hoc est, sine euangelij testimonio esse potest. Tria autem sata, unde Sara panes subcinericios fecit, tres filios Noe indicauerunt, ex quibus omne genus hominum natum est, qui diuinæ trinitati credentes, ex aqua baptismatis per ecclesiam, cuius imago Sara erat, cōspergēdi essent, & in uno pane Christi corporis redigendi. Hæc sunt illa tria sata, quæ mulier in euangelio dicitur fermentasse. Azymi autem panes idcirco, quod sine fermēto malitiæ, & sine languore nequitiæ, sine fermento doctrinæ oporteat esse credentium unitatem. Subcinericij autem ideo, ut per pœnitentiā præteritorum delictorum spiritus sancti uapore decocti, uelut esca beneplacita deo acceptabiles efficerentur. Sub arbore autē eos sedisse, passionis dominicæ erat signum, cuius ipsi sunt prædicatores. Sequitur, Quumq; comedissent, dixerunt ad eum, Vbi est Sara uxor tua? At ille respondit, Ecce in tabernaculo est. Cui dixit, Reuertens ueniam ad te tempore isto, uita comite, & habebit filium Sara uxor tua. Quo audito Sara, risit post ostium tabernaculi. Erant enim ambo senes, prouectæq; ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria. Quæ risit occulte, dicens, Postquàm consenui, & dominus meus uetulus est, uoluptati operam dabo? Dixit autē dominus ad Abraham, Quare risit Sara, dicens, Num uere paritura

re paritura

re paritura sum anus? Nunquid deo est quicquam difficile? Iuxta cōdictum reuertar ad te hoc eodē tempore, uita comite, & habebit Sara filium.) Quæritur quare Saram redarguat dominus, quum & Abraham riserit: nisi quia illius risus admirationis & lætitiæ fuit, Saræ autem dubitationis: & ab illo hoc dijudicari potuit, qui corda hominū nouit. Sequitur, Negauit Sara, dicens, Non risi, timore perterrita.) Quomodo intelligebat Abraham deum esse qui loquebatur cum eo, quum etiā negare ausa sit Sara, quod riserit: nisi fortè Sara homines eos esse putabat, Abraham uero deum intelligebat, quibusdam diuinæ maiestatis existentibus & apparentibus signis. Sequitur, Quum ergo exissent inde uiri, direxerunt oculos suos contra Sodomam, & Abraham simul gradiebatur deducēs eos, Dixitq; dominus, Num celare potero Abraham quæ gesturus sum, quum futurus sit in gentem magnam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?) Et hic duo illa breuissime plenissimeq; promissa sunt, gens Israel secūdum carnem, & omnes gentes secundū fidem. Scio enim quod præcepturus sit filijs suis & domui suæ post se, ut custodiant uiam domini, & faciant iustitiā & iudicium, ut adducat dominus propter Abraham omnia quæ loquutus est ad eum.) Ecce ubi promittit dominus Abrahæ, non solum præmia, sed etiam obediētiam iustitiæ filiorum eius, ut circa eos etiam præmia promissa compleātur. Sequitur. Dixit itaq; dominus, Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descēdam, & uidebo utrum clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint: an non est ita, ut sciam.) Verba hæc non dubitantis, quid horum potius euenturum sit, sed irascentis & minantis accipere debemus. Peccatum cum uoce, est culpa in actione: peccatum cum clamore, est culpa cum libertate & iactantia. Quod autem dixit, Descendam, & uidebo, & cætera huius modi: omnipotēs itaq; dominus omnia sciens, quur ante probationem quasi dubitat: nisi ut grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare? Et ecce per angelos ad cognoscenda mala descendit, mox facinorosos percutit: atq; ille patiens & mitis, ille de quo scriptum est, Tu autem domine cum tranquillitate iudicas omnia: quum in tanto crimine inuolutos inuenisset, quasi patientiam prætermisit, & diem extremi iudicij præuenit. Ecce malum quasi cum difficultate credidit, quum audiuit: & tamen sine tarditate percussit, quum cognoscendo reperit: ut nobis uidelicet daret exemplum, quod maiora crimina, & tarde credenda sunt, quum audiuntur, & citius punienda, quum ueraciter agnoscūtur.

De clamore Sodomorum XXVIII

Conuerteruntq; se inde, & abierunt Sodomam, Abraham uero adhuc stabat coram domino. Et appropinquans ait, Nunquid perdes iustum cum impio. Si quinquaginta fuerint inuenti iusti in ciuitate, peribūt simul, & non parces loco illi propter quinquaginta iustos si fuerint in eo? Absit à te, ut rē hanc facias, & occidas iustum cum impio) Quæri solet utrum quod de Sodomis dixit deus, non se perdere locum, si inuenirētur illic uel decem iusti, speciali qua

dam sententia de illa ciuitate, an de omnibus intelligendum sit generaliter, parcere deum loco in quo uel decem iusti fuerint. In qua quæstione non est quidem necesse, ut hoc de omni loco accipere compellamur. Verumtamē de Sodomis potuit sic dici: quia sciebat deus ibi non esse uel decem, & ideo sic respondebatur Abrahæ, ut significaretur, nec tot ibi posse inueniri, ad exaggerationem iniquitatis illorum. Non enim necesse erat deo tam sceleratis hominibus parcere, nec cum illis perdere iustos, quū posset iustis inde liberatis reddere impijs digna supplicia: sed, ut dixi, ad ostendendam malignitatem multitudinis illorum, dixit, Si decem ibi inuenero, parcam uniuersæ ciuitati: tanquam si diceret, Certe possum, nec pios cum impijs perdere, nec tamen propterea impijs parcere: quia liberatis & separatis inde pijs, possum impijs digna rependere. Quare Abraham se puluerem dixit esse, & cinerem, dum tantas promissiones accepit à deo, nisi ut sublimitatem promissionum humilitatis temperaret subiectione? Aperte enim intelligitur in quo loco se posuerat, qui puluerem se ac cinerē, etiam dum cum deo loqueretur, æstimabat. Si igitur ita se despexit, qui usque ad honorem diuinæ colloquutionis ascendit, sollicita intentione pensandum est, qua pœna illi feriendi sunt, qui ad summum non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur. Sed quid significat quod à quinquaginta iustis usq; ad decem, si inuenirentur in Sodomis, dixit dominus urbem esse saluandam? Numerum quippe quinquagenarium propter pœnitentiæ signum posuit, si fortè conuerterentur, & saluarentur. Quinquagenarius enim numerus, semper ad pœnitentiam refertur. Vnde & Dauid in eodem numero psalmum scripsit pœnitentiæ. Proinde quando aspicit deus, delinquentium uitam nequaquam uelle reuerti ad pœnitentiam, quam quinquagenarius numerus figurat, cōfestim ardorem immoderatæ luxuriæ, compescit igne gehennæ. Vsque ad decem autem iustos non perire Sodomam dixit: quasi in quolibet per decem præceptorum custodiam Christi nomen inueniatur, iste non perit. Denarij enim numeri figura, crucem Christi demonstrat. Sequitur,

CAP. XIX VENERVNTQVE duo angeli Sodomam uespere, sedente Loth in foribus ciuitatis. Quos quum uidisset, surrexit, & ibat obuiam eis: adorauit pronus in terra, & dixit, Obsecro domini declinate in domum pueri uestri, & manete ibi, lauate pedes uestros, & mane proficiscimini in uiam uestram. Qui dixerunt, Minime: sed in platea manebimus. Compulit illos oppidò, ut diuerterent ad eum. Ingressisq; domum illius, fecit conuiuium, coxit azyma, & comederunt.) Valde enim credendum est, quod & Abraham in tribus, & Loth in duobus uiris, dominum agnoscebant: cui per singularem numerum loquebantur, etiam quum eos homines esse arbitrarentur. Neq; enim aliam ob causam sic eos susceperunt, ut tanquam mortalibus, & humana refectione indigentibus ministrarent: sed erat profecto aliquid quo ita excellebant, licet tanquam homines, ut in eis aliquid esset diuini fulgoris, sicut esse adsolet in pro-

in prophetis,ut hi qui hospitalitatem illis exhibebant,dubitare non possent: atq; ideo & ipsos aliquando pluraliter,& in eis dominum aliquando singulariter adorarent.Angelos autem fuisse scriptura testatur, nõ solum in hoc Genesis libro, ubi hæc gesta narrantur: uerum & in epistola ad Hebræos. Vbi quum hospitalitas laudaretur, Per hanc,inquit,etiam quidam nescientes,hospitio receperũt angelos.Idcirco autem angeli,quasi hospites coacti,domum Loth introisse dicuntur,ut tentata esset charitas Loth, probata,& remunerata:ut ostẽderetur quantum esset hospitalitatis bonum.Hospitalem domum, angeli ingressi sunt ad liberandum. Clausas uero domos hospitibus,ignis in eis ingressus est ad perdendos peccatores:& idcirco hospites non sunt euitandi,sed ultro inuitandi.Sequitur, Prius autem quàm irent cubitum,uiri ciuitatis uallauerunt domum, à puero usq; ad senem, omnis populus simul. Vocaueruntq; Loth, & dixerunt ei, Vbi sunt uiri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc,ut cognoscamus eos.Egressus ad eos Loth, post tergum occludens ostium, ait, Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere: habeo duas filias,quæ necdum cognouerunt uirum,educam eas ad uos, & abutimini eis, sicut placuerit uobis: dum modo uiris istis nihil mali faciatis: quia ingressi sunt sub umbra culminis mei.) Quomodo prostituere uolebat filias suas ad compensationem: ut uiri hospites eius, nihil à Sodomitis tale paterentur:utrum admittenda sit compensatio flagitiorum, uel quorumcunq; peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat? an potius perturbationi Loth,non consilio tribuendum sit,quia hoc dixerit,merito quæritur,& nimium periculosissime admittitur hæc compensatio:si autẽ perturbationi humanæ tribuitur, & menti tantum malum permotæ, nullo modo imitanda est. Sequitur, Vimq; faciebant Loth uehementissime. Iam prope erat, ut infringerent fores. Et ecce miserunt manum uiri, & introduxerunt ad se Loth,clauseruntq; ostium:& eos qui erant foras, percusserunt cæcitate,à minimo usq; ad maximum, ita ut ostium inuenire non possent.) Non immerito mouet,quomodo potuerunt deficere quærẽdo ostium: si tali erant cæcitate percussi, ut omnino nihil uiderent. Hoc enim modo sua calamitate turbati, ulterius ostium non requirebant. Hac aorasia & illi percussi sunt,qui quærebant Helisæum.Sequitur, Dixerunt autem ad Loth, Habes hic tuorum quempiam generum, aut filios, aut filias? Omnes qui tui sunt, educ de urbe hac.Delebimus enim locum istum,eo quod increuerit clamor eorum coram domino, qui misit nos, ut perdamus illos.) Quia clamor peccantium in cœlum ascendisse dicitur,idcirco de cœlo puniendi erant. Egressus est itaq; Loth, & loquutus est ad generos suos,qui accepturi erant filias eius, & dixit, Surgite, & egredimini de loco isto, quia delebit dominus ciuitatem hanc. Et uisus est eis,quasi ludens loqui.Quumq; esset mane,cogebant eum angeli,dicentes, Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter

pereas in scelere ciuitatis.) Quod quærit, Et loquutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius: quæ postea duæ filiæ Loth uirgines fuisse dicuntur, de quibus & ipse dudum ad Sodomenos dixerat, Ecce duæ filiæ meæ, quæ non cognouerunt uirum: & nunc scriptura commemorat eum habuisse generos: nonnulli arbitrantur illas quæ uiros habuerunt, in Sodomis remansisse, & eas exisse cum patre, quæ uirgines fuerunt. Quod quum scriptura non dicat, Hebræa ueritas exponenda est, in qua scribitur, Egressus est Loth, & loquutus est ad sponsos, qui accepturi erant filias eius. Nondum ergo uirgines filiæ, matrimonio fuerant copulatæ. Sequitur, Dissimulante illo apprehenderunt manum eius & manum uxoris ac duarum filiarum eius, eo quod dominus parceret illi, & eduxerunt eum, posueruntque extra ciuitatem, ibi loquuti sunt ad eum, Salua animam tuam. Noli respicere post tergum: nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Dixitque Loth ad eos, Quæso domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiã coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut saluares animam meam, nec possum in monte saluari, ne forte apprehẽdat me malũ, est ciuitas hic iuxta, ad quam possum fugere, parua est, & saluabor in ea. Nunquid non modica est, & uiuet anima mea in ea? Dixitque ad eum, Etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subuertam urbem, pro qua loquutus es.) Ardentem quippe Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare. Altitudo uero est montium, mundicia continentium. Vel certe, quasi in monte sunt, qui etiam carnali copulæ inhærent: sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionẽ debitam, nulla carnis uoluptate soluuntur. In monte quippe stare quid est, nisi fructum propaginis in carne non quærere? In monte stare est, non carni carnaliter adhærere. Sed quia multi sunt, qui scelera quidem carnis deserunt: nec tamen in coniugio positi usu solummodo debiti iura cõseruant, exijt quidem Loth Sodomam, sed tamen mox ad montana non peruenit, quia iam damnabilis uita relinquitur, sed adhuc celsitudo coniugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est uero in medio Segor ciuitas, quæ fugiẽtem saluet infirmum: quia uidelicet quum sibi per incontinentiam miscentur coniuges, & lapsus scelerum fugiunt, & tamen per ueniam saluantur. Quasi paruam quippe ciuitatem inueniunt, in qua ab ignibus defendantur, quia coniugalis hæc uita non quidem in uirtutibus mira est, sed tamen à supplicijs secura. Vnde & isdem Loth ad angelum dicit, Est ciuitas hic iuxta ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea. Nunquid non modica est, & uiuet anima mea in ea? Iuxta igitur dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur, quia coniugalis uita, nec à mundo longe diuisa est, nec tamen à gaudio salutis aliena. Sed tunc in actione hanc uitam suam coniuges quasi in parua ciuitate custodiunt, quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt. Vnde recte per angelum ad eũdem Loth dicitur, Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subuertam urbem

pro qua loquutus es: quia uidelicet quũ deo deprecatio funditur, nequaquam talium coniugum uita damnatur. Igitur dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem à domino de cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, uniuersos habitatores urbium, & cuncta terræ uirentia.) Quur sulphureo igne puniebantur, nisi ut putidissimus libidinis ardor, putidissimo flammarum ardore puniretur: ut ueniente imbreo igne de cœlo, tota illa regio in cinerem uerteretur, ubi stupra in masculos in tantam consuetudinem conualuerant, quanta iam nostro tempore gentes impias licenter uidemus perpetrare. Verum & hoc eorum suppliciũ, specimen futuri iudicij diuini fuit. Quæri etiam potest, quare diebus Noe peccatum mundi aqua ulciscitur, hoc uero Sodomitarum igne punitur: nisi quia illud naturale libidinis cum fœminis peccatum quasi leuiori elemento damnatur: hoc uero contra naturam cum uiris libidinis peccatum acrioris elementi uindicatur incendio: & illic terra aquis abluta reuirescit, hic flãmis cremata, æterna sterilitate arescit. Quod prohibiti sunt qui liberãtur ab angelis retro respicere, scilicet quia non est animo redeundum ad ueterem uitam, qua per gratiam regeneratus exuitur, si ultimum euadere iudicium cogitamus. Deniq; uxor Loth ubi respexit, remansit, & in salem conuersa omnibus fidelibus quoddam præstituit condimẽtum, quo sapiant aliquid, unde illud caueatur exemplũ. Sequitur, Abraham uero mane cõsurgens ubi steterat prius cum domino, intuitus est Sodomam & Gomorram, & uniuersam terram regionis illius, uiditq; ascendẽtem fauillam de terra, quasi fornacis fumum. Quum enim subuerteret deus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, & liberauit Loth de subuersione urbium, in quibus habitauerat.) Commendat scriptura meritis magis Abrahæ liberatum esse Loth, ut intelligamus iustum Loth dictum secundũ quendam modum, maxime quod unum uerum deum colebat, & propter comparationem scelerum Sodomorum, inter quos uiuens ad uitam similem non potuit inclinari. Sequitur, Ascẽditq; Loth de Segor, & mãsit in monte, duæ quoq; filiæ eius cum eo: timuerat enim manere in Segor, & mansit in spelũca ipse & duæ filiæ eius.) Mirũ si ipse mons est, in quem sponte ascendit, quò monente domino ac imperãte ascendere noluit. Quæritur quare quũ primũ fugæ montis Segor prętulerit, & eam in habitaculũ suũ uoluerit liberari, nunc de Segor ad montẽ migret. Respondebimus ueram esse illam Hebræorũ coniecturam de Segor, quod frequenter terræ motu subruta, Vale primũ, postea Salisa appellata sit. Ipsa est & Vala, quæ nunc Zoara nuncupatur. Imminet aũt mari mortuo, & apud eam gignitur balsamũ, & poma palmarũ, antiquæ ubertatis indicia. Nullum autem moueat, quod Segor eadẽ quæ Zoara dicitur, quum idem nomẽ sit paruulæ uel minoris: sed Segor Hebraice, Zoara Syriace nuncupatur, Vala autẽ interpretatur absorpta: timueritq; Loth, dicens, Ne forte apprehendat me malum in ea: quia si quum cæteræ adhuc urbes starent, ista

De subuersione Sodomorũ XXIX

ſæpe ſubuerſa eſt, quantomagis nunc in communi ruina non poterit liberari: & hanc occaſionẽ infidelitatis, etiam in filias coitus dediſſe præcipitium. Qui enim cæteras uiderat ſubrui ciuitates, & hanc ſtare, ſeq́ꝫ dei auxilio erutum, utiqꝫ de eo quod ſibi cõceſſum audierat, ambigere non debuit. Sequit̃, Dixit maior ad minorem, Pater noſter ſenex eſt, nulluſq́ꝫ uirorum remanſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos iuxta morẽ uniuerſæ terræ. Veni, inebriemus eum uino, dormiamuſq́ꝫ cum eo, ut ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen. Dederuntq́ꝫ patri ſuo bibere uinum nocte illa, & ingreſſa eſt ad eum maior, dormiuitq́ꝫ cum patre. At ille non ſenſit, nec quando accubuit filia, nec quando ſurrexit. Altera quoqꝫ nocte dixit maior ad minorem, Ecce, dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere uinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, ut ſeruemus ſemen de patre noſtro.) Videtur namqꝫ filias Loth audiſſe quædam de conſummatione ſeculi, quæ immineret per ignem, ſed tãquam puellas non intelligere perfecte quæ didicerant. Neſcierunt quod Sodomitis igne uaſtatis multum adhuc ſpatium integrum reſideret in mundo, ſuſpicatæ ſunt tale aliquid factum quale audierant in temporibus Noe, & ob reparandam mortalium poſteritatem, ſolas ſe eſſe cum patre ſene reſeruatas. Recuperandi igitur humani generis deſideriũ ſuum, atqꝫ inſtaurãdi ſeculi ex ſeſe dandum opinantur exordium: & quamuis grande eis crimen uideretur, furari concubitum patris: grauior tamen eis uidebatur impietas, ſi humanæ, ut putabãt, poſteritatis ſpes ſeruata caſtitate deleretur. Propter hoc ergo conſiliũ ineunt minore, ut arbitror, culpa, ſpe tamen argumẽtoq́ꝫ maiore, patris mœſtitiam uel rigorem uino emolliunt & reſoluunt. Singulis ingreſſæ noctibus ſingulæ, concipiunt ab ignorante conceptũ, nec ultra repetunt. Vbi hic libidinis culpa, ubi incæſtus crimẽ arguitur? Quomodo ergo dabitur uitio, quod non iteratur in facto? Quum igitur illæ ad conſeruationem generis prolem quærerent, qui utiqꝫ in eis humanus erat & naturalis affectus, nec ſe crederent poſſe inuenire alios uiros, uelut exuſto illa conflagratione orbe terrarũ cum patre dormiẽrunt. Ab illo autem opere ita patrem abhorrere ſentiebant, ut id ſe impleturas eſſe non crederent, niſi eius ignorantiam procurarent: ut ſcriptum eſt, Inebriauerunt eũ uino, & neſcienti ſe miſcuerunt. Quapropter culpandus eſt quidem, nec tamen quantũ ille incæſtus, ſed quãtum illa meretur ebrietas. Nam & hanc lex æterna condemnat, quia cibum & potum ad ordinem naturalem non niſi gratia conſeruandæ ſalutis admittit. Quamuis ergo inter ebrioſum & ebrium plurimum interſit: nam nec ebrioſus ſemper eſt ebrius, nec quiſquis aliquando ebrius, conſequẽter ebrioſus eſt: tamen in homine iuſto huius ipſius, & ſi non ebrioſitatis, at certe ebrietatis cauſa quærenda eſt. Quid enim tandem cogebat, ut filiab. ſuis crebra uina miſcentibus, aut fortaſſe nec mixta crebro porrigentibus conſentiret, aut crederet: niſi ut illius deſtitutionis & materni luctus dolor de cogitatione mentis ebriæ fugaretur, etiam ipſas tandem bibere

De ebrietate Loth XXX

bere existimans,& aliqua fraude agentes, ne biberent: sed etiam talem tristibus illis adhibere consolationem, quomodo uirum iustum decuerit, non uidemus: an aliqua Sodomitarum arte pessima, etiam paucis poculis patrem sic inebriare potuerunt,ut illud peccatum cum ignorante, uel potius de ignorante committerent. Nos tamen scripturas sanctas, non hominum peccata defendimus. Sequitur, Conceperunt ergo duæ filiæ Loth de patre suo,peperitq́ maior filium, & uocauit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum usq; in præsentem diem. Minor quoque peperit filium, & uocauit nomen eius Ammon: ipse est pater Ammonitarum usq; hodie.) Moab interpretatur,ex patre: Ammon uero,cuius quasi causa nominis redditur, filius generis mei, siue filius populi mei: sic deriuatur, ut ex parte sit sensus nominis, & ex parte ipse sit sermo. Ammon uero à quo dicti sunt Ammonitæ, uocatur populus meus. Deus ergo qui nouit & de hominis opere malo facere opera bona, gentes quas uoluit, ex illo semine propagauit. Prodidit quippe ista per scripturas suas,non facienda præcepit,& cauenda admonuit,non posuit imitanda. Nam & quinque ciuitates, quæ imbribus igneis conflagratæ sunt, illud (nisi fallor) significant,quod omnes qui quinq; sensus corporis sui libidinose tractauerint,in illo futuro incendio crematuri sint. Loth autem frater Abrahæ iustus & hospitalis in Sodomis,& ab omni Sodomitarum contaminatione purus,atq; integer,qui ex illo incendio,quod erat similitudo futuri iudicij,meruit saluus euadere, typum gestauit corporis Christi: quod in omnibus sanctis, & nunc inter iniquos atque impios gemit, quorum factis non consentit, & à quorum commixtione in fine seculi liberabitur illis damnatis supplicio ignis æterni. Sed aliud genus hominum in eius uxore figuratum est, eorum scilicet qui per gratiam dei uocati, retro respiciunt, non sicut Paulus,qui ea quæ retro sunt obliuiscitur, & in ea quæ ante sunt,extenditur. Vnde & ipse dominus, Nemo,inquit, imponens manum suam super aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cœlorum. Neq; illud exemplum tacuit, quo nos tanquam sale condiret, ut non fatui negligeremus, sed prudentes caueremus hoc malum: Mementote uxoris Loth. Sic etiam in ipso Loth, quando cum eo filiæ concubuerunt: non illud, quod à Sodomis liberatus est, sed aliud aliquid figuratum est. Nam tunc ille ipse Loth futuræ legis uidetur gestasse personam, quum quidam ex illa procreati, & sub lege positi, male intelligendo, quodam modo inebriant eam, qua non legitime utendo, infidelitatis opera pariunt. Bona est enim lex ait Apostolus, si quis ea legitime utatur. Nec ideo tamen hoc factum, uel ipsius Loth, uel filiarum eius iustificamus, quia significauit aliquid, quod futuram quorundam peruersitatem prænuntiaret. Aliud enim illæ, ut hoc facerent, intenderunt. Aliud deus, qui hoc fieri permisit, ut etiam aliquid inde monstraret, pro significatione futurorum. Proinde illud factum quum in sancta scriptura

narratur, prophetia est: quum uero in illorum uita qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est. Sequitur,

CAP. XX

De peregrinatione Abrahæ in Geraris

XXXI

PROFECTVS inde Abrahā in terram Australem habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris. Dixitq́ꝫ de Sara uxore sua, soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. Venit autem deus ad Abimelech per somnium noctis, & ait ei, En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim uirum. Abimelech uero non tetigit eam. Et ait, Domine, num gentem ignorantem & iustam interficies? Nonne ipse dixit, soror mea est: & ipsa ait, frater meus est? In simplicitate cordis mei, & mundicia manuum feci hoc) Quæri potest, quomodo adhuc in illa ætate propter Saræ pulchritudinem Abraham periclitari metuebat, sed magis formæ illius uis admirāda est, quæ adhuc adamari poterat: & ideo fecit in Geraris apud regē Abimelech, quod in Ægypto de coniuge sua fecerat, eiq́ꝫ intacta similiter reddita est. Sequitur, Dixitq́ꝫ ad eum deus, Et ego scio quod simplici corde feceris: & ideo custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi ut tāgeres eam. Nunc igitur redde uxorem uiro suo, quia propheta est, & orabit pro te, & uiues: si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris, tu & omnia quæ tua sunt.) Quod ait deus ad Abimelech propter Saram, & peperci tibi, ut non peccares in me, quando eum admonuit uxorem Abrahæ esse, quam putabat eius esse sororem: aduertendum est & notandum in deum peccari, quando talia committūtur, quæ putāt homines leuiter habenda tanta in carne peccata. Quod autem dixit ei, Ecce tu morieris: etiam hoc notādum est, quomodo dicat deus tanquam prædicens sine dubio futurum, quod admonendo dicit, ut à peccato abstinendo caueatur. Sequitur, Statimq́ꝫ de nocte consurgens Abimelech uocauit omnes seruos suos, & loquutus est uniuersa uerba hęc in auribus eorum, timueruntq́ꝫ omnes uiri ualde. Vocauit autem Abimelech etiā Abraham, & dixit ei, Quid fecisti nobis? Quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? Quæ non debuisti facere, fecisti nobis. Respondit Abraham, Cogitaui mecum, dicens, Forsitā non est timor dei in loco isto, & interficient me propter uxorem meam. Aliàs autem uere soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ.) Quia de patre soror erat Abrahæ, de quo propinqua eius erat, id est, fratris filia erat non sororis. Necdum illo tempore tales nuptiæ lege prohibitæ: uiri sorores suas coniuges acceperunt. Quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente.

De munerib. Abimelech

XXXII

Tulit igitur Abimelech oues & boues, seruos & ancillas, & dedit Abrahā: reddiditq́ꝫ illi Saram uxorem suam, & ait, Terra coram uobis est, ubicūq́ꝫ tibi placuerit, habita. Saræ autem dixit, Ecce dedi mille argēteos fratri tuo. Hoc erit tibi in uelamen oculorū ad omnes qui tecum sunt, & quocūq́ꝫ perrexeris, memētoq́ꝫ te esse deprehensam.) Quod aūt iustū & fidelem uirū matrimonij sui infamossimum

simum nundinatorem appellat Faustus Manichæus: Abraham auaritiæ ac uentris causa duobus regibus Abimelech & Pharaoni diuersis temporibus Saram coniugẽ suam, mentitũ sororem quia erat pulcherrima, ad cõcubitum asserit uenditasse: non ore ueridico à turpitudine separat honestatem, sed ore maledico totum uertit in crimen. Hoc enim Abrahæ factum lenocinio simile uidetur, sed non ualẽtibus ex illius æternæ legis lumine à peccatis recta facta discernere: quibus & constantia pertinacia uideri potest: & uirtus fiduciæ, uitium putatur audaciæ: & quæcunq; similiter obijciũtur, quasi non recte agentibus, à non recte cernentibus. Neq; enim Abraham flagitio consensit uxoris, eiusq; uendidit adulterium: sed sicut illa famulam suam, non libidini mariti permisit, sed officio generandi ultro intulit, nequaquã turbato ordine naturali, ubi eius potestas erat, iubens potius obedienti, quàm cedens concupiscenti: sic & ipse coniugem castam, & casto corde sibi cohærentem, de cuius animo ubi pudicitiæ uirtus habitabat, nullo modo dubitabat: tacuit uxorem, dixit sororem, ne se occiso ab alienigenis atq; impijs captiua possideretur: certus de deo suo, quod nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret, nec eum fides ac spes fefellit. Namq; Pharao territus monstris, multisq; propter eam malis afflictus, ubi eius uxorem diuinitus didicit, illæsam cum honore restituit. Abimelech autem in somno commonitus & edoctus similiter fecit. Iam uero in hac re gesta atq; in diuinis libris posita, fideliterq; narrata, quem non delectet etiam factũ propheticũ perscrutari, & sacramẽti ostium pia fide studioq; pulsare: ut aperiat dominus & ostẽdat, quis tũc in illo figurabatur uiro, & cuius sit uxor, quæ in hac peregrinatione, atq; inter alienigenas pollui macularíq; nõ sinitur, ut sit uiro suo sine macula aut ruga. In gloria quippe Christi recte uiuit ecclesia, ut pulchritudo eius, honor sit uiro eius: sicut Abraham propter Saræ pulchritudinem inter alienigenas honorabatur: eiq; ipsi cui dicitur in Canticis canticorum, O´ pulchra inter mulieres, ipsius pulchritudinis merito reges offerant munera: sicut Saræ obtulit rex Abimelech, plus in ea mirans formæ decus, quod amare potuit, & uiolare non potuit. Est enim & sancta ecclesia, domino Iesu Christo in occulto uxor. Occulte quippe atq; intus in abscondito secreto spiritali, anima humana inhæret uerbo dei: ut sint duo in carne una, quod magnum coniugij sacramentum in Christo & in ecclesia commendat Apostolus. Proinde regnum terrenum seculi huius, cuius figuram gerebant reges, qui Saram polluere permissi non sunt, non expertum est, nec inuenit ecclesiam coniugem Christi, id est, quàm fideliter illi tanquam præcipuo uiro suo cohæret subdita: nisi quum uiolare tentauit, & ut diuino testimonio per fidem matrimoniũ cessit: correctumq; etiam in posterioribus regibus, muneribus hanc honorauit, quam corruptioni suæ subdere in prioribus non eualuit. Nam quod tunc in eodem rege prius & posterius figuratum est, hoc in isto regno prioribus & posterioribus regibus adimpletur.

Quum autem dicitur de patre esse sororem Christi ecclesiam, non de matre: non terrenæ generationis, quæ euacuabitur: sed gratiæ cœlestis, quæ in æternum manebit, cognatio commendatur: secundum quam gratiam genus mortale non erimus, accepta potestate, ut filij dei uocemur, & simus. Neq; enim hanc gratiam de synagoga matre Christi secundum carnem, sed de deo patre accepimus. Hanc uero cognationem terrenam, quæ ad mortem temporaliter generat, uocans in aliam uitam ubi nullus moritur: negare nos Christus docuit, non fateri, quum discipulis ait, Ne uobis dicatis patrem in terra, unus est enim pater uester, qui in cœlis est. Cuius rei præbuit exemplum, quando ipse ait, Quæ mihi mater? aut qui fratres? Et extendens manum super discipulos, ait, Hi sunt fratres mei. Et ne quisquam in hoc uocabulo terrenam cognationem cogitaret, adiunxit, Et quicunq; fecerit uolũtatem patris mei, ipse mihi frater & mater & soror est. Tanquam diceret, de deo patre hanc cognationem appello, non de synagoga matre: ad æternam quippe uitam nunc uoco, ubi immortaliter natus sum: non ad temporalem, ut uocarem, mortalis effectus sum. Quod ergo ecclesia cuius uxor sit, occultatur alienigenis: cuius autem soror, non tacetur: hæc interim causa facile occurrit: quia occultum, & difficile ad intelligendum est: quomodo anima humana uerbo dei copuletur, siue misceatur, siue quid melius & apertius dici potest, quum sit illud deus, ista creatura. Secundum hoc enim sponsus & sponsa, uel uir & uxor, Christus & ecclesia dicuntur. Qua uero cognatione coniũcti sunt Christus & omnes sancti, gratia scilicet diuina, non cõsanguinitate terrena: hoc est, de patre, non de matre: & effabilius dicitur, & cautius auditur. Nam & inter se, omnes sancti per eandem gratiam fratres sunt: sponsus autem in eorum societate nullus illorum est. Proinde Christum quàm excellentissimæ iustitiæ atq; sapientiæ, tamen hominem, multo facilius & procliuius alienigenæ crediderũt, non quidem falsò, quod homo esset: sed quomodo etiam deus esset, ignorauerunt. Hinc & Hieremias, Et homo est, inquit, & quis cognoscet eum? Et homo est, quia proditur, quod frater est: & quis cognoscet eum? quia occultatur quod sponsus est.

CAP. XXI VISITAVIT autem dominus Sarã, sicut promiserat, & impleuit quæ loquutus est. Cõcepitq; & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei deus. Vocauitq; Abrahã filium suum, quem genuit ei Sara, Isaac: & circuncidit eum octaua die, sicut præceperat ei deus, quũ centum esset annorum.) Hac quippe ætate patris, natus est Isaac. Natus est aũt Abrahæ, secundum promissionẽ dei, de Sara filius: eumq; nominauit Isaac. Riserat enim & pater, quando promissus est, admirans in gaudio: riserat & mater, quãdo per illos tres uiros iterũ promissus est, dubitãs in gaudio, quãuis exprobrãte angelo: quod risus ille etiã si gaudij fuit, tamen plenæ fidei non fuit: post, ab eodem angelo in fide etiã confirmatus est. Ex hoc ergo puer nomẽ accepit. Significatum est

De natiuitate Isaac XXXIII

tum est autem magnum sacramentum in duobus filijs Abrahæ, quod unus de ancilla, quæ dicebatur Agar, secundum carnem natus est Ismahel: alter est autem de Sara libera secũdum promissionem natus: uterq; quidem de semine Abrahæ, sed illum genuit demonstrans consuetudo naturæ: illum uero dedit promissio significans gratiã. Ibi humanus usus ostenditur, hic diuinum beneficium commendatur. Sed ubi significandum fuerat dei donum, quod ingratis hominibus gratis gratia largiretur, sic oportuit filium dari, quemadmodum naturæ non debebatur excursus. Negat enim natura iam filios tali commixtione maris & fœminæ, qualis esse poterat Abrahæ & Saræ in illa iam ætate, etiã mulieris accedente sterilitate, quæ nec tunc parere potuit, quando non ætas fœcunditati, sed ætati fœcunditas defuit. Quod ergo naturæ sic affectæ, fructus posteritatis nõ debebatur: significat quod natura generis humani peccato uitiata, ac per hoc iure damnata, nihil ueræ felicitatis in posterum merebatur. Recte igitur significat Isaac per repromissionem natus filios gratiæ, ciues ciuitatis liberæ, socios pacis æternæ. Sequitur, Dixitq; Sara, Risum mihi fecit deus, quicunq; audierit conridebit mihi. Rursumq; ait, Quis auditurus crederet Abrahã, quod Sara lactaret ei filium, quem peperit ei iam seni?) Isaac interpretatur risus, non ad irridendi opprobrium, sed ad celebrandum gaudium pertinebat, quod nato Isaac, & eo nomine uocato Sara monstrauit, ait quippe, Risum mihi fecit dominus, quicũq; enim audierit, congaudebit mihi. Sequitur, Creuit itaq; puer, & ablactatus est, fecitq; Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.) Quur Abraham nec die quo natus est filius, nec die quo circuncisus est, sed die quo ablactatus est, epulum fecit? quod nisi ad aliquam significationem spiritalem referatur, nulla solutio quæstionis est: tunc scilicet esse debere magnum gaudium spiritalis ætatis, quando fuerit factus homo nouus spiritalis, id est, nõ talis qualibus dicit apostolus, Lac uobis potum dedi, non escam: nõdum enim poteratis, sed nec adhuc potestis, adhuc enim estis carnales. Sequitur, Quumq; uidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac, dixit ad Abraham, Eijce ancillam hanc & filium eius, nõ enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit deus, Non tibi uideatur asperum super puerum & super ancillam tuam: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi uocem eius, quia in Isaac uocabitur tibi semen.) Dupliciter itaq; hoc ab Hebræis exponit, siue quod idola de luto fecerit, siue quod aduersum Isaac, quasi maioris ætatis loco sibi & ludo primogenita uendicaret, & ideo apparet illum ludum pugnam fuisse. Quod quidem Sara audiens, non tulit, & hoc ex ipsius approbatur sermone dicentis, Ecce ancillã hanc cum filio suo, nõ enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Quare autẽ contristatus sit Abraham, quum ista fuerint prophetia: quam utiq; magis debuit nosse ipse, quàm Sara? sed intelligendum est, uel ex reuelatione hoc dixisse Saram: quia prius illi fuerat reuelatum, illum uero quem de hoc postea dominus instruit pa-

De ludu Isaac & Ismahelis XXXIIII

terno

terno affectu pro filio fuisse commotum, uel ambos nescisse prius, quidnam illud esset, & per Saram nesciente hac prophetia doctum esse, quum illa mota esset muliebri animo propter ancillæ superbiam. Sequitur, Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.) Notandum quod & Ismahel dictus sit à deo, semẽ Abrahæ: sed aliter Ismahel, aliter Isaac: propter illud quod docet apostolus, quod dictum est, In Isaach uocabitur tibi semen: id est, nõ filij carnis, sed filij promissionis deputabunt᷑ in semine. Sequit᷑,

Surrexit itaq; Abraham mane, & tollens panem & utrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditq; puerum, & dimisit eum.) Quãdo Isaac natus est, XIII annorum erat Ismahel: & post ablactationẽ eius, iste cum matre expellitur, quinto ablactationis anno tempus statutum. Nos igitur post decem & octo annos, Ismahel supputamus eiectum esse cum matre, & non conuenire iam adolescentem iuuenem matris sedisse ceruicibus. Et hoc facto dedit puerum matri, hoc est, in manu eius eum tradidit, uel commendauit, & sic dimisit è domo. Quæ quum abijsset, errabat in solitudine Bersabeæ. Quumq; consumpta esset aqua in utre, abiecit puerum subter unam arborem quæ ibi erat, & abijt, seditq; è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim, Non uidebo morientem puerum. Et sedens contra leuauit uocem, & fleuit. Exaudiuit autem deus uocem pueri.) Solet quæri quomodo quum puer esset annorum octodecim, proiecerit eum mater sub arbore, & ierit longe quantum potest arcus iacere, ne uideret eum moriẽtem? Quasi enim quem portabat, proiecerit, ita uidetur sonare quod dicitur: maxime quia sequit᷑, Fleuit puer. Sed intelligendum est, proiectũ esse non à portante: sed, ut fit, ab animo tanquam moriturum. Neq; enim quod scriptum est, Proiectus sum à facie oculorũ tuorum: portabatur, qui hoc dixit: & est in quotidiano loquendi usu, quum proijci dicitur aliquis ab aliquo cum quo erat, ne ab illo uideatur, aut cum illo maneat. Intelligendum est autem quod scriptura tacuit, ita discessisse matrem à filio, ut puer ignoraret, quò mater abierit: & eam in syluestribus stirpibus latuisse, ne filium morientem siti, deficientemq; uideret. Ille autẽ etiam illa ætate, quid mirum si matre diutius non uisa, & tanquam perdita, eo loco ubi solus remansit, fleuit. Quod ergo postea dicitur, Accipe puerum: non ut eum de terra uelut iacentem tolleret, dictum est: sed ut ei coniũgeretur, & eum manu teneret deinceps comitem sicut erat, quod plerumq; faciunt simul ambulantes cuiuslibet ætatis. Nunc igitur quærendum est, quur antea uoluit Sara maritum de ancilla suscipere filium? aut quur nunc cum matre iubet expelli domo? quod non zelo fecit accensa, sed mysterio prophetiæ cõpulsa. Agar quippe, secundum quod ait Apostolus, in seruitutem genuit populum carnalem: Sara uero libera populum genuit, qui nõ est secundũ carnem, sed in libertate uocatus est: qua libertate, liberauit eum Christus. Hoc igitur mysterio figurabatur, priorem populum in seruitute peccatorum generatum, in domo Israel, id est in ecclesia, non manere in æternum: neq; esse hæredem uel consortem

cultoribus Christi: nec cum filio nobili, id est fideli populo, regnum cœlestis gloriæ possessurum. Quum eijceret igitur Abraham Agar de domo, accepit panes & utrem aquæ dedit Agar, & imposuit super humeros eius infantem, & dimisit eam. Exiens autẽ Agar errabat in solitudine, & quum morientem siti filium proiecisset sub arbore, apparuit ei angelus domini, & demonstrauit ei fontem aquæ, & potauit filium suũ. Quid ergo significat, quod exiens Agar infantem in humeros suos posuit, nisi quod peccator populus & insipiens ceruicem matris suæ synagogæ grauauit. quum dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Panes autem hoc indicabant, quod uetus sacerdotium panes propositionis, sicut scriptum est, portaret secum, & ueterascerent. Vter uero aquæ qui defecit, Iudaica purificatio significabatur defectura: siue doctrina eorum carnalis in pelle mortua clausa, id est in carne ueteris hominis præuaricationis sententia damnata, quæ nec refrigerium præstat, nec satiat sitim, sed æstu tepido uomitum facit. Quod uero errat Agar in solitudine cum filio suo, significat synagogam cum populo suo expulsam de terra sua sine sacerdotio & sacrificio in toto orbe terræ, & uiam quæ est Christus penitus ignorare. Quod filius illius siti deperit, ostendit eundẽ populum nullam habentem spiritualem purificationem. Quod autem filium siti morientẽ sub arbore proiecit, & sic demonstrante angelo aspicit fontem, significat quosdam ex ipso populo ad umbram ligni crucis refugium petituros. Quod exclamat puer plorans, & exaudiuit eum deus, & sic demonstrante angelo aspicit fontem, hoc pro illis dicitur, qui ex Iudæis ad Christum cõuertuntur, ac flentes retroactos errores exaudiũtur, reseratisq; oculis cordis uident fontem aquæ uiuæ, id est Christum filiũ dei, qui dicit: Ego sum fons aquæ uiuæ, qui sitit ueniat & bibat. Vnde Ismahel exauditio interpretatur. Angelus autem iste similitudo est Heliæ, per quem populus iste est crediturus, sicut per Malachiam dicitur: Ecce ego mittam uobis Heliam, qui cõuertat corda patrũ in filios. Verũ quod statim uocauit angelus domini Agar, dicens: Surge, tolle puerum, quia in gentem magnam faciam eum, hoc significabat: siue quod copiosius Iudæorum populus esset regnaturus in seculũ: siue quia cœlestis regni gloriam consecuturi essent qui ex eis credidissent in Christo. Quod autem eundem angelum qui loquitur ad Agar, prius angelum scriptura pronunciat, deinde deum, filium dei eum fuisse credendũ est: qui per legem & prophetas semper locutus est, qui propter obediẽtiam paternę uoluntatis angelus uocatur, deus autem secundum naturã patris, quia uere & ipse deus sicut & pater est. Sequitur, Eodẽ tempore dixit Abimelech & Fichol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in uniuersis quæ agis. Iura ergo per dominũ ne noceas mihi & posteris meis, stirpiq; meæ, sed iuxta misericordiam quam feci tibi facias mihi & terræ in qua uersatus es aduena. Dixitq; Abraham: Ego iurabo. Et increpauit Abimelech propter puteũ aquæ, quem ui abstulerant serui illius. Respond itq; Abi

De eo quod scriptũ est, Dixit Abi. &c. XXXV

melech: Nesciui quis fecerit rem hanc, sed & tu nō indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie. Tulit itaq; Abraham oues & boues, & dedit Abimelech, percusserūtq; ambo fœdus. Et statuit Abrahā septē agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech: Quid sibi uolunt septē agnæ istæ quas stare fecisti seorsum? At ille septē, inquit, agnas has accipies de manu mea, ut sint in testimoniū mihi quoniā ego fodi puteū istum. Idcirco uocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterq; iurauit, & inierūt fœdus pro puteo iuramenti.) Vbi hic legit̃ puteus iuramēti, in Hebræo habet̃ Bersabee. Duplex aūt causa est cur ita appellatus sit: siue quia septē agnas Abimelech de manu Abrahæ susceperit, septē enim dicunt̃ Sabee: siue quod ibi iurauerint, quia iuramētum Sabee similiter appellat̃. Quod si ante hanc causam supra hoc nomen legimus, sciamus per prolepsin dictum esse, sicut & Bethel, & Galgala, quę utiq; usq; ad tēpus q̊ ita appellatæ sunt aliter uocabant̃. Quomodo ergo puteū quē foderat Abraham nesciebat Agar, si ante est ille fossus, q̃ illa expulsa. Valde enim fieri potuit, ut pecorū suorū causa longe à domo in qua cū suis habitabat, puteū foderet quē illa nesciret. Sequit̃. Abrahā uero plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomē domini dei æterni, & fuit colonus terræ Philistinorū diebus multis. Quæri potest, quomodo ad puteū iuramēti nemus plātauerit Abrahā, siue ut alia translatio dicit, agrum, si in terra illa quemadmodum Stephanus dicit, nō acceperat in hæreditatem, nec passum pedis: sed ea intelligenda est hæreditas, quam deus munere suo fuerat daturus, non empta precio. Intelligitur autem spacium circa puteū ad illud emptionis spacium pertinere, in quo fuerant agnæ datæ, quando Abimelech & Abraham sibi etiam iurauerunt. Sequitur,

De nemore quod plantauit Abraham XXXVI

CAP. XXII *De tentatione Abrahæ.* XXXVII

TENTAVIT deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Assum.) Quæri solet quomodo hoc uerum sit, quum dicat in epistola sua Iacobus, quod deus neminē tentet: nisi quia locutioni scripturarum solet dici tentat, pro eo quod est probat. Tentatio uero illa de qua Iacobus dicit, nō intelligit̃, nisi qua quisq; peccato implicat̃. Vnde Apostolus dicit: Ne forte tentet uos is qui tentat. Nā & alibi scriptū est, Tentat uos dominus deus uester, ut sciat si diligatis eum. Etiā hoc genere locutionis, ut sciat dictum est, ac si diceretur, ut scire uos faciat: quoniā uires dilectionis suæ hominem latent, nisi experimento eidem innotescant. Sequitur, Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & uade in terram uisionis, atq; offer eum ibi holocaustum super unum montium quem monstrauero tibi.) Notādum autem & ex prioribus, & ex præsenti loco, quod Isaac non sit natus ad quercum Mambre, sed in Geraris, ubi & Bersabee usq; hodie oppidum est. Huius rei scriptura testis est quæ ait: Et fuit Abrahā colonus terræ Philistinorum diebus multis. Et dixit illi deus: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac. Aiunt Hebræi hunc montem esse Moria, in quo postea templum conditum est in area Orne Iebusei, sicut in Paralipomenon scriptum

est

est: Et cœperunt ædificare templum in mense secundo in secunda die mensis in mõte Moria, qui idcirco illuminans interpretatur & lucens, quia ibi est Dabir, hoc est oraculum dei, & lex & spiritus qui docet hominẽ ueritatem, & inspirat prophetas. Quod uero ait, offer eum in holocaustum, ut ex charitatis admonitione, & nominis recordatione tentationis pondus accumularetur, & paternus affectus torqueretur ex memoria promissionis, dum ante deus dixit ad eum: In Isaac uocabitur tibi semen, quasi si ille occideretur tota spes promissionum frustraretur. Nunquam sanè crederet Abraham, quod uictimis deus delectaretur humanis, quamuis intonante diuino præcepto obediendum sit, non disputandum. Veruntamen Abrahã confestim filium quum fuisset immolaturus, resurrecturum credidisse laudãdus est: quia per hunc oportebant impleri promissiones dei, quem iubebat occidi. Sequitur,
Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinũ suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suũ. Quumq; cõcidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum quem præceperat ei deus. Die autem tertio eleuatis oculis uidit locum procul, dixitq; ad pueros suos: Expectate hic cũ asino, ego & puer illuc usq; properãtes postq; adorauerimus reuertemur ad uos.) Notãdum quod de Geraris usq; ad montẽ Moria, id est sedem templi iter dierũ trium sit, ut consequenter illuc die tertio peruenisse dicatur. Male igitur, qui Abraham putant illo tempore ad quercũ Mambre habitasse, quum inde usq; ad mõtem Moria uix unius diei iter plenũ sit. Qui ideo triduani itineris mora eũ immolaturus secũ ducere iussus est, quatenus lõgitudine tẽporis tentationis quoq; augeretur incrementũ. Nam per triduũ iter protenditur, & per totum triduũ crescentibus curis paterna uiscera cruciantur, ut omni hoc spacio tam prolixo intueretur pater filium, cibũ cum eo sumeret, tot noctibus puer penderet in amplexibus patris, inhęreret pectori, cubitaret in gremio, quatenus per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filij accumularetur. Sequitr, Tulit quoq; ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suũ. Ipse uero portabat ignẽ & gladiũ in manibus suis. Quumq; pergerent duo simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid uis fili? Ecce, inqt, ignis & ligna, ubi est uictima holocausti? Dixit Abrahã: Deus prouidebit sibi uictimã holocausti fili mi. Pergebãt ergo pariter, uenerũtq; ad locũ quẽ ostenderat ei deus, in q̃ ędificauit altare, & desuper ligna cõposuit.) Si Abrahã indubitanter firmo animo cogitabat mactare domino puerũ in holocaustũ, quid est quod dixit pueris suis, Vos expectate hic, ego & puer postq; adorauerimus reuertemur ad uos? Vere indubitãti animo eũ credebat resurrecturũ, & ideo laudandus est, & in cõstantia offerendi, & in fide resuscitãdi. Sciebat certissime deũ falli nõ posse, licet puer occideretr, promissionem tamẽ dei saluã permanere. Vnde & Paulus apostolus per spiritũ dei didicerat, quid animi haberet Abrahã intra se, dum fidem eius laudãdo dicit: Fide Abrahã nõ hæsitauit, quũ unicum offerret in quo acceperat promissio

nes,cogitans quia à mortuis eũ resuscitare potens est deus.Sequit̃, Quũq; colligasset Isaac filiũ suũ,posuit eũ in altari super struem lignorũ, extenditq; manũ,& arripuit gladiũ,ut immolaret filiũ.) Non hæsitauit quod sibi reddi poterat immolatus,qui dari poterat non speratus.Sequit̃, Et ecce angelus domini de cœlo clamauit,dicens:Abrahã,Abrahã. Qui respondit: Assum. Et ait ei:Ne extendas manũ tuã super puerũ, neq; facias illi quicquã. Nunc cognoui quod timeas deũ.)Hoc est enim, nunc cognoui quod timeas dominum,ac si dicat,Nũc te feci cognoscere.Sequit̃, Leuauit Abrahã oculos, uiditq; post tergũ arietẽ inter uepres hærentẽ cornibus,quẽ assumens obtulit holocaustũ pro filio suo,appellauitq; nomen loci illius,Dominus uidet. Vnde usq; hodie dicit̃ in monte,Dominus uidebit.)Hoc autẽ genus locutionis euidenter apparet ubi dicit̃,Et uocauit Abrahã nomen loci illius,Dominus uidet. Vidit pro eo quod est apparuit, hoc est uideri se fecit,significãs p efficientem id quod efficit̃.Sequit̃, Vocauit aũt angelus domini Abrahã secundo de cœlo,dicẽs:Per memetipsum iuraui dicit dominus,quia fecisti rem hanc,& nõ pepercisti filio tuo unigenito propter me,benedicã tibi,& multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, & uelut arenam quæ est in litore maris: possidebit semen tuũ portas inimicorũ suorũ, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.) Nunquid Abrahã propter angelum nõ pepercit filio suo,& nõ potius ꝑpter deũ? Ergo angeli nomine dominus Iesus Christus significatus est,q̃ sine dubio deus est, & manifeste à propheta dictus est magni consilij angelus:aut quod deus erat in angelo, & ex persona dei angelus loquebat̃,sicut in prophetis etiã solet. Nam in cõsequentibus hoc magis uidetur apparere ubi legit̃, Et uocauit angelus domini Abrahã iterũ de cœlo, dicẽs:Per memetipsum iuraui dicit dominus.Sæpe eñ promiserat,sed nunquã iurauerat.Quid est aũt dei ueri ueracisq; iuratio,nisi promissi confirmatio,& infideliũ quædã increpatio? Nunc uideamus quid sub huius sacramẽti lateat mysterio. Iste enim Abrahã quãdo filiũ suũ unicũ perduxit ad immolandũ, habebat personã dei patris. Sed quid est quod eũ senex suscipit. Nõ enim senescit deus, sed ipsa prænunciatio de Christo iam quodãmodo senuerat quãdo natus est Christus. Inchoata est enim ab Adã,ubi dictum est: Erunt duo in carne una: sacramentũ illud magnũ in Christo & ecclesia: & cõpleta est sexta ætate seculi,quæ senecta significat̃ Abrahæ: quia ipsum sacramentũ dei iam longæuũ erat: & senectus Saræ in plebe dei, hoc est in multitudine prophetarũ hoc idẽ significat,quia in fine temporũ ex ipsa plebe sanctarũ animarũ natus est Christus.Sterilitas aũt eius intimat,quod in hoc seculo spe salui facti sumus, & in Christo tanq; in Isaac omnes nati sumus,quẽ partũ ecclesiæ in fine temporũ mirabili dei gratia non naturali fœcunditate prophetauit.Iam deinde sequentis historiæ sacramentũ quid imaginarie portẽdebat inspiciendũ est.Quis ergo in Abrahã,ut prædictũ est,p illã immolationẽ figurabat̃,nisi pater excelsus? Quis in Isaac,nisi Christus?

Nam ſicuti Abraham unicũ & dilectum filiũ deo uictimã obtulit, ita deus pater unicum filiũ ſuum pro nobis omnibus tradidit. Et ſicut Iſaac ipſe ſibi ligna portabat, quibus erat imponendus, ita & Chriſtus geſtabat in humeris lignũ crucis, in q̃ erat crucifigendus. Duo aũt ſerui illi dimiſſi, & nõ perducti ad locũ ſacrificij Iudæos figurabant, qui quũ ſeruiliter uiuerent, & carnaliter ſaperent, nõ intelligebãt humilitatẽ Chriſti, nõ intelligebant paſſionem Chriſti, ideo nõ peruenerunt ad locũ ſacrificij. Quur aũt duo ſerui, niſi quia ipſe in duas partes diuidẽdus erat, quod factũ eſt Salomone peccante, quãdo diuiſus eſt idẽ populus loco regni, nõ errore impietatis, quibus etiã ſæpe per prophetã dicit: Aduerſatrix Iſraël, & præuaricatrix Iuda. Aſinus aũt ille inſenſata eſt ſtultitia Iudæorũ. Iſta inſenſata ſtultitia portabat omnia ſacramẽta, & quod ferebat neſciebat. Iam quod dictũ eſt eis, Expectate hic cum aſino, poſtq̃ adorauerimus reuertemur ad uos, Apoſtolũ audi dicentẽ: Cæcitas, inquit, ex parte facta eſt in Iſraël. Quid cęcitas eſt? Expectate hic cũ aſino, ut plenitudo gentiũ intraret, inquit, hoc eſt poſtq̃ adorauerimus ubi ſacrificiũ crucis dominicæ impletũ per gentes fuerit prædicatũ, hoc eſt ut plenitudo gentiũ intraret. Quid eſt, reuertemur ad uos? Et ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Triduũ aũt illud q̃ uenerũt ad locũ immolationis, tres mũdi ætates ſignificat: una ante legẽ, alia ſub lege, tertia ſub gratia. Ante legẽ ab Abrahã uſq; ad Moſen: ſub lege, à Moſe uſq; ad Ioannẽ: inde iã à domino & quicqd reſtat, tertius dies eſt gratiæ, in qua tertia ætate, quaſi poſt triduũ ſacramentũ ſacrificij Chriſti cõpletũ eſt. Deinde Iſaac ligatis pedibus altari ſuperponit᷑, & dominus in ligno ſuſpẽſus cruci affigit᷑. Sed illud quod figuratũ eſt in Iſaac, translatũ eſt ad arietẽ. Quur hoc, niſi quia Chriſtus ouis: ipſe enim filius, ipſe agnus: filius quia natus, aries quia immolatus. Sed quid eſt quod in uepribus hęrebat aries ille? Crux cornua habet, ſic enim duo ligna cõpingũtur in ſe, quũ ſpeciẽ crucis reddunt. Vnde ſcriptũ eſt de eo: Cornua in manibus eius ſunt. Cornibus ergo hærens aries, Chriſtũ ſignificat crucifixũ. Vepres aũt ſpinæ ſunt. Spinæ iniquos & peccatores ſignificãt, qui ſuſpenderũt dominũ in cruce. Inter ſpinas itaq; peccatorũ Iudæorum ſuſpẽſus eſt dominus, ſicut per Hieremiã idẽ dicit: Spinis peccatorũ ſuorũ circũdedit me populus hic. Alij hunc arietẽ cornibus in uepribus obligatũ, eundẽ ſenſerũt Chriſtum anteq̃ immolaret᷑ ſpinis à Iudæis coronatũ. Peracto igit᷑ ſacrificio dicit᷑ ad Abrahã: In ſemine tuo benedicent᷑ omnes gẽtes. Quãdo enim hoc factum eſt, niſi quãdo dicit ille aries: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Hoc enim quãdo factũ eſt in pſalmis ſacrificium, tunc in ipſo pſalmo dictũ eſt: Cõmemorabunt᷑ & cõuertent᷑ ad dominum uniuerſi fines terræ, & adorabunt in cõſpectu eius omnes patriæ gẽtiũ, quãdo domini eſt r. &c. Immolato igit᷑ Abrahã ariete pro Iſaac filio ſuo, uocauit nomẽ loci illius, Dominus uidet, pro eo quod eſt dominus uideri ſe fecit, utiq; per incarnationẽ. Sequit᷑, His ita geſtis, nũciatũ eſt Abrahã, quod

De eo quod scriptum est, Nunciatũ est Abraham. XXXVIII

Melcha quoq; genuisset filios Nachor fratri suo, Hus primogenitũ, & Buz fratrẽ eius, Camuel quoq; patrẽ Syrorũ, & Chesdet, & Azau, Faldas quoq; & Gethlasach, & Batuel, de q̃ nata est Rebecca. Istos octo genuit Melcha Nachor fratri Abraham.) De Melcha uxore Nachor, filia Aran, natus est Hus, de cuius stirpe Iob descendit, sicut scriptũ est in exordio uoluminis huius. Vir fuit in terra Hus nomine Iob. Male igit quidã æstimant Iob de genere esse Esau: siquidẽ illud quod in fine libri ipsius habet, eo quod de Syro sermone translatus est, & quartus sit ab Esau, & reliqua quæ ibi cõtinentur, in Hebræis uoluminibus nõ habent. Secũdus natus est de Melcha Buz, ex cuius genere fuit Balaam ille diuinus, ut Hebræi tradunt, qui in libro Iob dicit Eliu, primũ uir sanctus, & propheta dei, postea per inobediẽtiã & desiderium munerũ, dum Israël maledicere cupit, diuino uocabulo priuat. Dicitur in eodem libro: Et iratus Heliu filius Barachiel Buzitis. De huius uidelicet Buz radice descẽdit. Camuel uero pater est Damasci: ipsa enim Arã uocat, quæ hic pro Syria scripta est, & ipso nomine legit in Esaia. Nõ utiq; illi qui nuntiauerunt, nuntiare patrẽ Syrorũ potuerunt: ex origine quippe illius Syri Syrorũ genus longe postea propagatũ est: sed dictũ est à persona scribentis, qui post omnia illa tempora hæc scribendo narrauit. Caseth quoq; quartus à quo Casdaim, id est Chaldei postea uocati sunt. Sequitur,

CAP. XXIII De morte Saræ. XXXIX

VIXIT autem Sara CXXVII annis, & mortua est in ciuitate Arbe, quæ est Ebron in terra Chanaan.) Arbe in lingua Hebræa quatuor significat, quia ibi Abrahã, Isaac, & Iacob conditi sunt, & ipse princeps humani generis Adã, ut in Iesu Naue libro apertius demonstratum est. Sequit, Venitq; Abrahã, ut plangeret & fleret eam. Quumq; surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth dicẽs: Aduena sum, & peregrinus apud uos, date mihi ius sepulchri uobiscũ, ut sepeliam mortuũ meum. Responderũtq; filij Heth: Audi nos domine, princeps dei es apud nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuũ tuũ, nullusq; te prohibere poterit quin in monumento eius sepelias mortuum tuum. Surrexitq; Abrahã, & adorauit populũ terræ, filios uidelicet Heth.) Quærit quomodo scriptũ sit, Dominũ deum tuum adorabis, & illi soli seruies, quũ Abrahã quendã populum gentiũ sic honorauerit, ut etiã adoraret. Sed animaduertendum est in eodem præcepto nõ dictum, dominũ deũ tuum solum adorabis, sicut dictũ est, illi soli seruies. Nec moueat quod in alio loco in quadã scriptura ꝓhibet angelus homines adorare se, & admonet ut dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat angelus, ut pro deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator. Tunc emit agrum Abrahã in quo sepeliuit uxorẽ suã Saram. Tũc ergo secundum narrationẽ Stephani in terra illa est collocatus, quãdo cœpit ibi esse possessor, post mortẽ scilicet patris sui Thare, qui colligit biennio ante Sarã fuisse defunctus. Sed quid sibi uult, quod Sara in sepulchro duplici sepelitur: nisi quia anima, quæ seculo moritur ut deo uiuat, gemina uitæ requie suscipitur,

id

id est actione boni operis,& contemplatione diuinitatis.

ERAT autem Abraham senex dierumque multorum, & dominus in cunctis benedixerat ei. Dixitque ad seruum suum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam sub femur meum, ut adiurem te per dominum deum cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananeorum, inter quos habito, sed ad terram & ad cognationem meam proficiscaris.) Tradunt Hebræi, quod in sanctificatione Abrahæ, hoc est in eius circuncisione iurauerit seruus eius: nos autem dicimus iurasse eum in semine Abrahæ, hoc est in Christo, qui ex illo nasciturus erat iuxta Euangelistam Matthæum loquentem, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Sequitur, Domine deus domini mei Abraham occurre mihi obsecro hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego sto super fontem aquę,& filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam,& illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potũ, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac.) Aliud est enim, mirum aliquid petere, quod ipso miraculo signum sit non augurium: aliud, ea obseruare, quæ ita fiunt ut mira non sint, sed à coniectoribus superstitiosa uanitate interpretãtur. Sed hoc ipsum etiam, quod mirum aliquid postulatur, quo significetur quod quisque uult nosse, utrum audiendum sit, nõ parua quæstio est. Eò enim pertinet, quod dicuntur qui hoc nõ recte faciunt tentare dominum. Nam ipse dominus quum à diabolo tentaretur, testimonium de scripturis adhibuit, Non tentabis dominum deum tuum. Suggerebatur enim tãquam homini, ut signo aliquo exploraret ipse quantus esset, id est quàm multum apud deum posset, quod uitiose fit quum fit. Ab hoc autem discernitur quod Gedeon fecit, pugnæ imminente periculo. Consultatio quippe illa magis quàm tentatio fuit. Sequitur, Dominus, ait, in cuius cõspectu ambulo mittet angelum suum tecum,& diriget uiam tuam, accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea,& de domo patris mei. Innocens eris à maledictione mea, quum ueneris ad propinquos meos,& nõ dederint tibi.) Quomodo illa cõiuratio maledictum possit intelligi, nisi maledictus esset, si contra eius coniurationem fecisset. Sequitur, Responderunt Laban & Batuel: A domino egressus est sermo, nõ possumus extra placitum eius aliud quicquam loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam & proficiscere, & sit uxor filij domini tui, sicut loquutus est dominus.) Quæritur quando loquutus est dominus: nisi quia uel prophetam esse Abraham nouerant, & prophetice à domino dictum, quod per illum dictum fuerat agnoscebant: aut signum illud quod sibi datum seruus eius narrauit, loquutionem domini appellauerunt. Sequitur, Dimiserunt ergo eam & nutricem illius, seruumque Abrahã & comites eius.) Decens quippe erat, ut ad nuptias absque parentibus uirgo proficiscens, nutricis auxilio frueretur. Sequitur, Soror nostra

Cap. XXIIII De Abraham iuramentũ à seruo exigente. XL

es, crescas in mille milia, & possideat semen tuum portas inimicorum suo-
rum. Non prophetæ fuerunt, aut uanitate tam magna optauerunt, sed eos
quæ promiserat deus Abrahę latere nō potuit. Quid est quod Abrahā pue
rum iubet sub femore suo manū ponere, & per cœli dominū iurare, nisi quod
illius caro per illud membrū descensura erat, qui & Abrahę filius esset ex hu
manitate, & dominus ex diuinitate. Sic utiq; puero dicit: Pone manum tuā
sub femore meo, & iura per deū cœli. Ac si aperte diceret: Tāge filiū meū, &
iura per dominū meum. Vnde nec super femur, sed sub femore manū pone-
re iubet: quia ex illo femore descensurus erat, qui homo quidē, sed super om-
nes homines ueniret. Vnde dignū nō fuit ut manū sup femur poneret, quia
nulla caro super illā carnē est, quā in redemptionē nostrā sibi patris unigeni
tus uniuit. Quid est quod Isaac dilecto filio uxor de filiabus Chananeorū
duci prohibet, nisi quod illi de quo scriptū est, Hic est filius meus dilectus in
quo mihi cōplacui, nullæ reprobę animę cōiungunt. De cognatione aūt uxo
rem filio deducere seruus præcipit, quia sola sancta electorū ecclesia unige-
nito filio copulāda erat, quā ipse unigenitus ex prædestinatione iam & præ-
sciētia extraneā nō habebat. Quis uero est puer, qui ad deducendā uxorem
mittit, nisi prophetarū ordo atq; apostolorū, omniūq; doctorum, qui dum
uerbū prædicationis bonis mentibus faciunt, ad unāquanq; animā unigeni
to filio cōiungendā quasi prouisores fiunt. Qui pergens de bonis omnibus
domini sui detulit, quia in his quę de domino loquunt in semetipsis uirtutū
diuitias ostendunt: ut tāto citius ad sequendū deum pertrahant, quāto audi
toribus suis in semetipsis monstrāt quę narrāt. Atq; isdē puer iuxta fontem
stetit, atq; ex præfixa sententia quæ puella eligēda esset proposuit: quia præ
dicatores sancti sacri eloquij fluenta cōsiderāt, atq; ex ipsis colligūt q̄ uel qui
bus prædicationis suæ uerba cōmittāt, & ex quibus auditoribus fiduciā certi
tudinis assumant. Potū uero petijt, quia prædicator omnis animā sui audito
ris sitit. Sed Rebecca potū præbuit, quia sancta electorū ecclesia prædicato-
rum suorū desiderio ex uirtutis suæ fide satis fecit. Quia enim deū quē audi-
uit cōfessa est, prædicatori suo aquā refectionis obtulit, eiusq; animū refrige
rauit. Et notādū, quod hydriā ab humeris in ulnas posuit, quia illa est placi
ta cōfessio quæ à bono opere procedit: uel certe aquam præbuit, quia in hoc
quod credidit, uacua nō remansit. Nā mox prædicare studuit quod audiuit,
& docēdo multos ex se prædicatores ꝓtulit. Aqua quippe in hydria est sciē-
tia prædicationis in mensura, quia sancta ecclesia studet non plus sapere q̄
oportet sapere, sed sapere ad sobrietatē. Et hydrię aqua in ulna, est doctrina
prædicationis in opere: quę nō solū eius comitibus, sed potū etiā camelis prę
buit: quia uerbum uitæ non solum prudentibus, sed etiam stultis prædicat,
iuxta Pauli uocem dicentis: Sapientibus & insipientibus debitor sum. Vel
certe aqua etiam iumentis datur, quando quomodo cura carnis sit habenda
disponitur, ut ex uoluptate impendi non debeat, & tamen in necessitatibus
non

nõ negeť, ſicut ſcriptum eſt, Carnis curã ne feceritis in deſiderijs. Qui enim hãc in deſiderijs fieri prohibet, proculdubio in neceſſitate cõcedit, iuxta hoc quod rurſum dicit: Nemo carnẽ ſuã odio habet, ſed nutrit & fouet eã. Puer aũt Rebeccæ inaures & armillas dedit, quia prædicator quiſq; & auditũ ſanctæ eccleſiæ per obediẽtiã, & manus per bonæ operationis meritũ exornat. Sed inaures duorũ ſiclorũ ſunt, armillę aũt ſiclorũ decem, quia prima uirtus obedientiæ in charitate eſt. Quæ uidelicet charitas in duobus præceptis diſtinguiť, ut deus & proximus diligať. Et recta operatio ex decalogi completione perficiť, ut quũ bona agi cœperint, mala iam nulla perpetrenť. Rebecca aũt eſſe in domo patris ſui locũ ſpacioſum ad manendũ perhibuit: quia à priori iam populo naturæ legẽ ſancta eccleſia ſe ſciſſe monſtrauit, & prædicationis uerba in amplo charitatis gremio ſuſcepit. Doctori enim ſpacioſus ad manendũ locus eſt, in auditorũ corde latitudo ueritatis. Vnde & quibuſdam dicit: Capite nos, neminẽ læſimus, neminẽ corrupimus, nõ anguſtamini in nobis, anguſtamini aũt in uiſceribus ueſtris. Ac ſi aperte eis diceret, Ad ſuſcipiendã doctrinã ſpacioſum locũ mentis facite, ſed ad cogitãda carnalia anguſti remanete. Quod palearũ ac fœni plurimũ habere indicauit, ſignificat quia ſancta eccleſia uerba uitæ audiens, terrena ſtipẽdia prædicatoribus reddidit, quæ Paulus quaſi pro nihilo accipere ſe dixit: Si nos, inqt, ſpiritualia uobis ſeminauimus, magnũ eſt ſi à uobis carnalia metamus. Frater autẽ Rebeccæ erat Laban. Qui cõcitus egreſſus, inaures & armillas ſororis aſpiciens intus puerum uocauit: quia ſunt carnales quiq; fidelibus cõiuncti: qui dum ſpiritualiũ dona cõſpiciunt in admiratione poſiti, & ſi nõ uſq; ad opera, tamen in animã uſq; ad ſuſcipiendã fidẽ uerbũ prædicationis admittunt. Quia enim bonos ſæpe miraculis fulgere cõſiderãt, ea quæ de æternitate audiunt nõ recuſant, quãuis ſanctã electorũ eccleſiã moribus non ſequentes in carnali operatione remaneant. Qui Laban paleas, fœnum, aquã, panẽ obtulit, ſed puer niſi cauſam prius cõiugij obtineret, accepturum ſe eſſe recuſauit: quia ſunt pleriq; qui doctores ſuos ex tẽporalibus ſtipendijs cõtinere parati ſunt, ſed prædicatores ſancti recipere nolunt tẽporalia, niſi prius obtineãt æterna. Si enim in animabus fructũ nõ inueniunt, ſumere ſtipendia corporibus cõtemnunt: nec pedes aqua lauant, quia laborem ſui deſiderij nulla conſolatione releuãt. Mox ut cauſam cõiugij domini ſui puer obtinuit, uaſa aurea atq; argentea, ac ueſtes protulit, quas Rebeccæ dedit: quia doctores ſanctæ eccleſiæ tot ornamenta præbent, quot uirtutum dona docuerint. Quæ enim prius inaures atq; armillas acceperat, iam nũc uaſa aurea & argentea ac ueſtes accepit: quia ſancta eccleſia, quæ ante per fidem operationem & obedientiam percepit, excreſcens poſtmodum etiam ad ſpiritualia dona conualeſcit, ut prophetiæ ſpiritu repleta & uirtutum gratia, ampliatis iam muneribus creſcat. Puer uero matri eius ac fratribus dona obtulit, quia gentilitas ex quo eccleſia ad fidẽ uenit, poſt cõuerſionem eius in gloria temporali

conualuit

conualuit,ſicut & nūc cernimus,quia ubiq; Chriſtiani afflictionē ſentiūt, & gentiles quiq; in terrena uirtute glorianť.Sed & fratres eius dona percipiūt, quia ij qui eam fidē uerbotenus tenent, ſed tamen profeſſionē ſuā moribus non ſequentes carnaliter uiuunt, benigne à fidelibus honorari ſolent pro eo quod eſſe fideles uidenť.Mater ergo & fratres dona percipiūt, à ſorte tamē hæreditatis alieni:quia ſiue infideles,ſiue carnales,qui intra fidei profeſſionē tenentur, ad hæreditatis æternæ ſortem nō ueniūt,ſed tamē ſupernę largitatis gloriā temporaliter cōſequunť.Rebecca aūt cū puellis ſuis ſignificat,quia ſancta eccleſia habet ſecū minoris meriti animas ſodales ſuas. Nam & ſi in quibuſdā per ſenſum mentis in toto cōtemplationē non habet,tales animæ quaſi puellæ Rebeccæ ſunt,quā ſequunť moribus:ſed tamen ad contemplationē iſtarum animæ aſcendunt.& ex eiſdem puer quaſdā habuit in comitatu:quia cū ſanctis prophetis fuerunt quidā,qui bene uiuerent, & prophetiæ ſpiritū nō haberent:& cū beatis apoſtolis atq; doctoribus fuere pleriq;, qui uitam moribus tenerent,ſed prędicatoris uerba nō promerent.Feſtinus aūt puer ad domū redit,quia prædicatores ſancti quū prædicando uitā audientium obtinent,illi mox gratias reddunt,de cuius hoc munere perceperūt: & ſibi in ea operatione nihil tribuūt,ſed autori. Eo aūt tēpore Iſaac deambulabat per uiā quæ ducit ad puteū,cuius nomē eſt uiuentis & uidentis.) Quis eſt uiuens & uidens,niſi omnipotens deus,de quo ſcriptum eſt: Viuo ego in æternū dicit dominus.De quo rurſum dicit:Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.Puteus uero uiuentis & uidentis eſt hęc ſacræ ſcripturæ profunditas, quam nobis ad irrigationē mentis præbuit omnipotens deus. Quæ eſt uia quæ ducit ad puteum uiuentis & uidentis,niſi humilitas paſſionis unigeniti, per quam nobis apertū eſt hoc quod prius latenter ſcripturæ ſacræ fluenta loquebantur.Niſi enim unigenitus dei filius incarnatus,tentatus,apprehenſus, colaphis cæſus,ſputis illuſus, crucifixus, ac mortuus fuiſſet, nobis huius putei,id eſt ſcripturæ ſacræ profunditas nō pateret. Quid ergo fidelibus humilitas paſſionis eius facta eſt, niſi clauis apertionis, per quā myſteriorum dei puteum inuenimus,ut aquā ſcientiæ de profundo biberemus. Incarnationem quippe,paſſionem,mortē,reſurrectionem,atq; aſcenſionem illius,ſacri eloquij paginæ teſtantur.Quæ quia facta cognouimus, iam nunc intelligimus audita.Hæc autem legi poterant,ſed quia necdum euenerant,intelligi nō ualebant.Vnde & per Ioannē dicit: Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librū,& ſoluere ſignacula eius.Ipſe enim librū aperuit,& ſignacula eius ſoluit,qui naſcēdo,moriendo,reſurgēdo,atq; ad cœlos aſcēdēdo, ſcripturæ ſacrę nobis arcana patefecit.Et notandū, quod non dicit ambulabat per uiam quæ ducit ad puteum, ſed deambulabat.Deambulat quippe,qui uiā per quā ambulat eundo & redeundo cōculcat:in humilitate paſſionis dominus deambulauit,quādo à Iudæis uerborū cōtumelias,modo cōtra ſe falſum teſtimoniū,modo alapas,modo ſputa,modo ſpineā coronā, modo cru

cem

tem tolerando sustinuit. Deambulasse igitur in humilitate passionis est, tot aduersitates & probra diuersis modis iterando pertulisse. Qui Isaac uenien te Rebecca in terra australi habitabat, quia unigenitus dominus ac redemptor noster ueniente ad se ecclesia in illorũ mentibus mansit, quos ex Iudæa editos non torporis frigus, sed feruor charitatis tenuit. Ex illo quippe populo Anna prophetissa, ex illo Simeon extitit, qui in ulnas dominum accepit. Egressus autem fuerat ad meditandum in agro. Quia ager mundus accipitũ ipse dominus per se exponit, dicens: Ager autẽ est mũdus. Qui in hoc egressus est, eo quod uisibilis apparere dignatus est, sicut scriptũ est: Existi in salutem populi tui, ut saluos facias Christos tuos. Solẽt exercendi iuuenes, in armorũ usu meditari: Isaac ergo ad meditandũ in agro exijt, quia redẽptor noster se sequentibus formã humilitatis præbens, per exercitiũ longanimitatis suæ passionis in se & patiẽtiæ exempla mõstrauit. Meditatio armorũ est frequentatio passionũ. Qui enim uerbera manuũ, lanceam, crucem pertulit, passionem suam usq; ad mortem in se frequẽtare pertulit. Passiones uero arma dicimus, quia per ipsas ab aduersario occulto liberamur. Qui ad meditandũ in agro inclinata iam die exijt, quia passionum exercitia iuxta finem mundi suscepit, sicut per Psalmistam de crucifixionis suæ passione loquitur, dicens: Eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Quid est autem quod Rebecca ad Isaac dorso cameli deducitũ, nisi quod per Rebeccam (sicut præfati sumus) ecclesia: & per camelum cui præsidet, tortis moribus atq; inhonestis idolorum cultibus gentilium populus designatur. Qui enim ex semetipsis sibi inuenerunt deos quos colerent, quasi à semetipsis eis in dorso onus excreuerat quod portarent. Rebecca ergo ad Isaac ueniens, dorso cameli deducitur: quia ad Christũ ex gentilitate ecclesia properans, intortis uitiosisq; uitæ ueteris cõuersationibus inuenitur. Quæ ut Isaac uidit, de camelo descendit: quia sancta ecclesia quanto redemptorem suum subtilius agnoscit, tanto carnalis uitæ studia humilius deserit, atque in semetipsa tortitudini uitiosæ contradicit. Isaac ergo uiso descendit, quia domino cognito uitia sua gentilitas deseruit, & ab elationis celsitudine ima humilitatis petijt. Quid est autem, quod Isaac in camelo sedens Rebecca conspexit, nisi quod redemptorem suum ecclesia ex gentibus ueniens, dum adhuc uitijs esset innixa, & necdum spiritualibus, sed animalibus motibus inhæreret, agnouit. Nec mouere debet, quod puer quoque cum camelis uenerat, in quibus diuitias domini sui ferebat: quia ipsi quoque prædicatores sancti, quamuis iam ad superiora intelligenda atque præferenda intellectu & uita emicent, adhuc tamen in semetipsis contradictionem carnis sentiunt. Nam uident aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, se seducentem in lege peccati: & diuitias in camelis portant, quia ne magnitudo reuelationum extollat eos, datur eis stimulus carnis suæ. Habent enim thesaurum istum in uasis fictilibus, ut sublimitas sit uirtutis dei, & nõ ex ipsis. Qui enim per car-

nem cœlestia loquũnt, & tamen adhuc in carne cõtradictionẽ de uitio sentiunt, quid aliud quàm super tortuosa camelorum dorsa insident? Rebecca uero Isaac uiso quis ille homo sit requisito puero cognoscit, quia quotidie sancta ecclesia adhuc per prophetarum atq; apostolorum dicta, quid de redemptore suo credere debeat intelligit: quæ sese mox pallio operuit, quia quanto subtilius saluatoris sui mysteria penetrat, tanto altius de anteacta uita confunditur, & quia peruerse egerit uerecũdatur: pallio se operire curauit, quia uiso domino infirmitatis suæ actiones erubuit, & illa quæ prius in camelo libere gestabatur, descendens postmodum uerecundia tegitur. Vnde eidem ecclesiæ à priore electione cõuersæ per apostolicam uocem, quasi Rebeccæ de camelo descendenti, sibiq; palliũ superducenti dicitur, Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis. Quam Isaac in tabernaculum suæ matris introduxit, atq; uxorem accepit: quia loco synagogæ dominus, ex qua per carnem natus, sanctam ecclesiam diligit, eamq; sibi in amore & contemplatione coniunxit: ut quæ prius proxima ex cognatione, id est cognata ex prædestinatione fuerat, postmodum iam coniuncta in amore continuo uxor fuit. Quam intantum dilexit, ut dolorem qui ex morte matris accesserat temperaret: quia ex lucro sanctæ ecclesiæ redemptor noster eam quæ ex perditione synagogæ accedere potuit, tristitiã detersit. Dũ enim Rebecca coniungitur, dolor de morte matris amputatur, Quia dum sancta ecclesia ex gentilitate ueniens usq; ad thorum cõtemplationis perducitur, Iudæa pro nihilo habetur. Qui si interpretare ipsa eorum nomina curabimus, Isaac risus, Rebecca autem patientia dicitur. Risus uero ex lætitia est, patientia autem de tribulatione. Et quamuis sancta ecclesia iam in cœlestis sit gaudij contemplatione suspensa, habet tamen adhuc quod triste de mortalis carnis pondere toleret. Isaac uero & Rebecca iungũtur, id est risus & patientia permiscetur: quia fit in sancta ecclesia hoc quod scriptũ est, Spe gaudentes, in tribulatione patientes: ut hanc & prospera de cõtemplatione lætificent, & adhuc aduersa de tribulatione perturbent. Sequitur,

CAP. XXV *De Cethura uxore Abrá.* XLI

ABRAHAM uero aliam duxit uxorem, nomine Cethuram.) Quæstio hic esset, si peccatum esset, maxime in antiquis dantibus operam propagandæ proli. Neq; incontinentia suspicanda est tanti uiri, in illa præsertim iam ætate. Quur autem de hac filios fecerit, qui cum miraculo de Sara iam fecerat, supra dictum est. Quid si enim & hoc prouisum est in ipso patre multarum gentium, post obitum coniugis iterũ coniugari, ut demonstraretur non esse peccatum. Veruntamen hoc factum Abrahę, quod post mortem Saræ de Cethura filios procreauit, non sic accipiendum est, quasi humana consuetudine & cogitatione tantummodo substituendæ numerosioris prolis hoc factum sit. Sic enim possent accipere homines etiam quod de Agar factum est, nisi Apostolus admoneret, illa fuisse facta prophetice in utrisq; personis mulierum: earumq; filios duo testamenta ad futurorum prænunciationem allego-

allegorica significatione figurare. Vnde in ipso quoq; Abrahæ facto aliquid tale quærendum est,& si non facile occurrat. Ergo interim munera quæ acceperunt filij concubinarum,uidentur mihi significare quędam dei dona,uel in sacramentis,uel in quibusq; signis,etiam carnali populo Iudæorum & hæreticis data,uelut filijs concubinarum,quum hæreditatis munus, quod est charitas & uita æterna,non nisi ad Isaac pertineat,hoc est,ad filios promissionis.

Fuerunt autem dies Abrahæ CLXXV anni, & deficiens mortuus est in senectute bona) Annorum ergo LXXV Isaac filium suum dereliquit,quem centenarius genuit.Iam ex hoc per posteros Abrahæ,id est,Isaac & Iacob,ciuitatis dei quò procurrant tempora uideamus. Hæ sunt generationes Ismahel filij Abraham,quem peperit ei Agar Ægyptia famula Saræ,& hæc nomina filiorum eius in uocabulis & generationibus suis) Non enim satis elucet quur additum sit secundum nomina generationum eorum,quum hi soli nominentur quos ille genuit,nō etiam qui ab ipsis geniti sunt: nisi fortè quia nationes ex illis propagatæ eorum nominib. sunt appellatæ, hoc significatū sit, quum dictum est,Secundum nomina generationū eorum:quamuis hoc modo illæ nationes secundum nomina istorum, non ista nomina secundum illas nationes,quia illæ posterius extiterunt. Vnde notanda loquutio est,quia & postea de illis dicitur,duodecim principes secundū gentes eorum, tanquam dixisset, secundum quæ nomina gentes eorum appellatæ sunt.Sequitur, Duodecim principes tribuū suarū. Et facti sunt anni uitæ Ismahel CXXXVII,deficiensq; mortuus est,& appositus ad populum suum. Habitauit autem ab Euila usq; Sur,quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrijs: coram cunctis fratribus suis obijt.) Euila, est regio quam circuit fluuius Physon, exiens de paradiso. Dicta autem Euila, à quodam nepote Noe. Est & alia Euila solitudo contra faciem Ægypti.Sur quoq; solitudo est inter Cades & Barath, extendens desertum usq; ad mare rubrum,& Ægypti confinia.Duodecim filij nati sunt Ismahel,è quibus primogenitus fuit Nabaioth, à quo omnis regio ab Euphrate usq; ad mare rubrum,Nabathea usq; hodie dicitur, quæ pars Arabiæ est. Nam & familiæ eorum oppidaq; ac castella munita, & tribus horum appellatione celebrantur.Quod autem in extremo huius rei capitulo scriptum est, Coram omnibus fratribus suis occubuit:id est,in manibus omnium filiorum suorum mortuus est,superstitibus liberis,& nullo prius morte prærepto.Fratres aūt pro filijs appellari,Iacob quoq; ad Laban demonstrat,dicens,Quod est peccatum meum,quia persequutus es post me,& quia scrutatus es omnia uasa mea, quid inuenisti de uniuersis domus tuæ? Ponatur coram fratribus meis,& fratribus tuis,& dijudicent inter nos. Nec enim possumus credere,ut scriptura cōmemorat, quod Iacob exceptis liberis secum fratres alios habuerit. Sequitur, Deprecatusq; est dominum pro uxore sua,eò quod esset sterilis.Qui exaudiuit eum,& dedit conceptum Rebeccæ.Sed & collidebātur in utero eius paruuli.Quæ ait, Si sic mihi futurum erat,quid necesse fuit concipere? Per-

De morte Abrahæ XLII

De generatiōnibus Ismahel XLIII

De eo qđ scriptū est,Deprecatus est Isaac XLIIII

re: Perrexitq́ ut consuleret dominum.) Quæritur quò ierit: non enim erant tunc prophetæ, aut sacerdotes, secundum ordinem tabernaculi uel templi domini. Quò ergo ierit, merito mouet: nisi fortè ad locum ubi aram construxerat Abraham. Sed illic quomodo responsa dentur, omnino tacet scriptura: utrum per aliquem sacerdotem: quod incredibile est, si erat, non fuisse nominatum: an erant aliqui tales, etiam illo tempore, homines dei, in quibus posset deus interrogari. Quicquid horum est, & si quid aliud quod me fortè commemorare præterierit, mentiri tamen scriptura non potest, quæ dixit Rebeccam isse ad interrogandum deum, eiq́ respondisse, Duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi ex uentre tuo diuidentur, populusq́ populum superabit, & maior seruiet minori.) Spiritali intelligẽtia carnales in populo dei significantur per maiorem filium, & spiritales per minorem: quia sicut dicit Apostolus, Non prius quod spiritale est, sed quod animale: postea uero quod spiritale. Sic solet & hic intelligi hoc quod dictum est, ut in Esau figuratus sit maior populus dei: hoc est, Israeliticus secundum carnem: per Iacob autem figuratus sit ipse Iacob, secundum spiritalem progeniem. Sed & historica proprietate hoc responsum inuenitur esse completum, ubi populus Israel, hoc est, Iacob minor filius, superauit Idumæos, hoc est, gẽtem quam propagauit Esau: eosq́ fecerunt tributarios per Dauid, quãdiu fuerunt usq́ ad regem, sub quo Idumæi rebellauerunt, & iugum Israelitarum Idumæi à ceruice sua deposuerunt, secundum prophetiam ipsius Isaac, quando minorem pro maiore benedixit. Hoc enim dixit eidem maiori, quum & ipsum postea benediceret. Ego puto quod & de singulis nobis hoc dici potest, quia duæ gentes & duo populi intra nos sunt. Nam & uirtutũ populus & uitiorum nihilominus intra nos est. De corde enim nostro procedunt cogitationes malæ, adulteria, furta, falsa testimonia, doli, contentiones, hæreses, inuidiæ, comessationes, & his similia. Vides quantus malorum populus intra nos est. Si uero mereamur illam uocem dicere sanctorum, À timore tuo domine concepimus & peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram: tunc & alius intra nos populus inuenitur, in spiritu generatus. Fructus enim spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, mansuetudo, continentia, castitas, & his similia. Vides alium populum, qui & ipse intra nos est: sed iste minor est, ille maior. Semper enim plures sunt mali, quàm boni, & uitia numerosiora uirtutibus. Sed si tales simus, qualis Rebecca, & mereamur de Isaac, id est, de uerbo dei habere conceptum, etiam in nobis populus populum superabit, & maior seruiet minori: seruiet enim caro spiritui, & uitia uirtutibus cedent. Sequitur,

De dicto ad Rebeccam, Duæ gentes &c. XLV

Iamq́ tempus pariendi uenerat, & ecce gemini in utero reperti sunt.) Hic sermo, id est, temporis completio, nunquam nisi de sanctis mulieribus scribitur, sicut de hac Rebecca, & Elisabeth matre Ioannis, & Maria matre domini nostri Iesu Christi. Vnde eximiũ aliquid & præter cæteros homines huiuscemodi partus ostenditur, & impletio dierum ortum perfectæ sobolis indicat.

De natiuitate Esau & Iacob XLVI

Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, uocatumq; est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellatus est Iacob.) Non ob aliud ante aduentum domini scripta sunt omnia, quę in scripturis sanctis legimus, nisi ut domini commendaretur aduentus, & futura præsignaretur ecclesia, id est, populus dei per omnes gentes, quod est corpus eius, adiunctis atq; adnumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante aduentum eius in hoc seculo uixerunt, ita eum credentes uenturum esse, sicut nos uenisse. Sicut enim Iacob manum prius dum nasceretur emisit ex utero, quæ etiã pedem prænascentis fratris tenebat, deinde utiq; sequutum est caput, tunc demum necessario cætera membra: sed tamẽ caput non tantum ea membra quæ sequuta sunt, sed etiam ipsam manũ quæ in nascendo præcessit, dignitate ac potestate præcedit: & quamuis nõ tempore apparendi, tamẽ naturæ ordine prius est, Ita & dominus Iesus Christus, & si antequã appareret in carne, & quodammodo ex utero secreti sui ad hominũ oculos mediator dei & hominum homo procederet, qui est super omnia deus benedictus in secula, præmisit in sanctis patriarchis & prophetis quandam partem corporis sui, qua uelut manu nasciturum se esse prænũtians, etiam populum superbe præcedentem, uinculis legis tanquam digitis quinq; supplantat: quia & per temporũ quinq; articulos prænũtiari uenturus prophetariq; non destitit: & huic rei consonãtes per quos lex data est, libros quinq; cõscripsit: & superbi carnaliter sapientes, & suam iustitiam uolentes constituere, non aperta manu Christi repleti sunt benedictione, sed constricta atq; conclusa retẽti sunt. Itaq; illi obligati sunt pede, & ceciderũt: nos uero surreximus, & erecti sumus. Quamuis ergo (ut dixi) præmiserit dominus Christus quãdam partem corporis sui in sanctis, qui eum nascendi tempore præcesserunt: tamẽ ipse est caput corporis ecclesiæ, illiq; omnes eidem corpori, cuius ille caput est, cohæserunt, credẽdo in eum quẽ prænũtiabant. Non enim præcurrẽdo diuulsi sunt, sed adiuncti potius obsequẽdo. Nã & si manus à capite præmitti potest, connexio tamen eius sub capite est. Quapropter omnia quæ ante scripta sunt, ut nos doceremur scripta sunt, & figuræ nostræ fuerunt, & in figura cõtingebant illis: scripta sunt aũt propter nos, in quos finis seculorũ obuenit. Qui enim primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, uocatũq; est nomen eius Esau. Protinus alter egrediẽs, plantã fratris tenebat manu, & idcirco appellatus est Iacob. Quod Paulus apostolus magnũ uult intelligi gratiæ documentũ. Quur ille totus rufus & hispidus, nisi quia populus prior prophetarum & Christi fuit cruore pollutus, ac peccati & nequitiæ squalore extitit circũdatus? Cuius ideo minor calcaneũ tenuit: quia mystice, maior minorẽ superaturus erat. Planta enim Esau nouissimũ præsignabat Israelitici populi tempus, in quo dominus noster aduenire dignatus est, ut eis conferret salutẽ. Sed in typo Niniuitarũ gentium populus, ut Iacob Esau, Israel incredulũ condemnauit. Vnde & Iacob, à luctando uel supplantando nomen accepit. Sequitur,

 Sexage-

Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt paruuli.) Sexta enim ætate mundi populum Iudæorum propter superbiam & incredulitatē uidemus esse abiectum, & gentium populū ad fidem Christi reuocatum. Sequitur, Quibus adultis, factus est Esau uir gnarus uenādi & homo agricola: Iacob autem uir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eo quod de uenationibus illius uesceretur, & Rebecca diligebat Iacob.) In typo itaq; Esau, carnalis populus Israel, ut de Nemroth legitur, uenator fuit & agricola: id est, propriū derelinquens deum, externarum gentium dijs cultum sacrilegum exhibuit, & terrenis cupiditatib. ac desiderijs deditus est. Quod uero Iacob in domo simplex habitabat & sine dolo, non per dolum accepit primogeniti benedictionem, nec per fraudem subripuit, sed ut sibi debitam accepit, quam concedēte fratre de lentis mercede comparauit. Sequitur, Coxit autem Iacob pulmentum. Ad quem quū uenisset Esau lassus de agro, ait, Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quamobrem uocatū est nomē eius Edom. Cui dixit Iacob, Vende mihi primogenita tua. At ille respondit, En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob, Iura ergo mihi. Iurauit Esau, & uendidit primogenita, & sic accepto pane & lētis edulio comedit, & bibit, & abijt, paruipendens quod primogenita uendidisset.) Tradunt Hebræi omnes primogenitos functos officio sacerdotali anteq; Aaron in sacerdotiū eligeretur, & habuisse uestimentum sacerdotale, quo induti uictimas deo offerebant: & hæc esse primogenita, hoc est, uestimēta Esau, quæ uendidit Iacob fratri suo. Nam quod iste Esau primogenita sua propter escam fratri suo iuniori uenundauit, ac postmodū paterna benedictione priuatus est: significat eundē Israeliticum populum, qui à deo, ut Exodi indicat liber, primogenitus filius nuncupatus est: qui propter præsentis seculi lucra, non solum primatus sui honorem amisit, uerum etiā & regni cœlestis pręmium præparatū adipisci non meruit: domino quodam modo id eidem exprobrāte, quum dicit, Auferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti faciēti fructum eius. Primogenita autem ipsa, ut iam supra dictum est, uestis erat sacerdotalis, quam maiores natu cum benedictione patris induti, uictimas deo uelut pontifices offerebant: hoc dono terreni amoris desiderio caruerunt Iudæi cum gloria regni futuri. Sequitur,

De diuersitate ingeniorū in geminis XLVII

De uēditis primogenitis ab Esau XLVIII

CAP. XXVI *De peregrinatione Isaac ad Abimelech* XLIX

ORTA autem fame super terram post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abijt Isaac ad Abimelech regem Palæstinorū in Gerara.) Quæritur hoc quando sit factum: utrum postea q; Esau uendidit primogenita sua, post illam quippe narrationē hoc narrare incipit: an ut fieri solet, per recapitulationē narrator ad ea reuersus sit, quū progressus de filijs eius ad eum locum peruenisset, qui de lenticula cōmemoratus est. Mouet autem quia ipse inuenitur Abimelech, qui etiam Saram concupiuerat: ipsius enim paranymphus & princeps militiæ qui ibi cōmemorati sunt, etiam hic commemorātur: utrum uel uiuere potuerint. Quando enim amicus factus est Abrahæ, nondum natus erat Isaac, sed iam promissus. Ponamus ante annū q; nasceretur

Isaac.

Isaac, hoc fuisse factum. Deinde Isaac suscepit filios quũ esset annorum LX. illi aũt iuuenes erant, quando uẽdidit Esau primogenita sua. Ponamus etiam ipsos circa XX annos fuisse. Fiunt anni ætatis Isaac usq; ad illud factum filiorum eius circiter LXXX. Adolescentem accipiamus fuisse Abimelech, quãdo matrem ipsius concupiuit, & Abrahæ amicus est factus. Potuit ergo iam esse quasi centenarius, si post illud factum filiorũ suorum perrexit in eam terram famis necessitate Isaac. Non ergo ex hoc cogit nulla necessitas per recapitulationem putare narratam profectionẽ Isaac in Gerara: sed quia ibi diuturno tẽpore fuisse Isaac scribitur, & puteos fodisse, & de his contendisse, & ditatum fuisse pecunia, mirum nisi recapitulando ista cõmemorant', quæ ideo fuerant prætermissa, ut primũ de filijs eius, usq; ad illum locum de lenticula, narratio perueniret. Sequitur, Apparuitq; ei dominus, & ait, Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroq; tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo uniuersas regiones has, complens iuramentum meum quod spopondi Abraham patri tuo: & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, daboq; posteris tuis uniuersas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham uoci meæ,) Iste patriarcha nec uxorem habuit aliam, nec aliquam cõcubinam, nec ideo tamen istũ patri eius præferre debemus. Erant enim procul dubio paternæ fidei & obedientiæ merita potiora, intãtum ut propter illum dicat deus se huic facere bona quæ facit, quum illi dicat, Ego sum deus Abraham patris tui, noli timere, tecum enim sum, & benedixi te, & multiplicabo semen tuum: ut intelligamus q̃ caste Abraham fecerit, quod hominib. impudicis & nequitiæ suæ de scripturis sanctis patrocinia quærẽtib. uidetur fecisse libidinose. Sequitur, Mãsit itaq; Isaac in Geraris. Qui quum interrogaretur à uiris loci illius super uxore sua, respõdit, Soror mea est. Timuerat enim confiteri, quod sibi esset sociata coniugio, reputans ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem.) Quod Isaac Rebeccam quæ uxor erat, sororẽ finxerit: genus enim Rebeccæ non tacitum est, & eam per notissimã propinquitatem sororem eius fuisse manifestum est. Vt autem taceret uxorem quid mirum, aut quid prauũ si imitatus est patrem, quum eadem iustitia defendatur, qua pater eius de simili obiecto inculpatus inuẽtus est? Sequitur. Quumq; pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abimelech Palæstinorum rex per fenestram, uidit eum iocantem cum Rebecca uxore sua, & accersito eo ait, Perspicuum est quod uxor tua sit. Quur mentitus es, sororem tuam esse? Qui respondit, Timui ne morerer propter eam.) Quæ igitur pro Abraham quod ad hãc rem attinet, eadem etiam pro Isaac filio eius ualent, quæ recensere non est difficile: nisi fortè studiosorum aliquis quærat, in cuius figuræ sacramento accipiendũ sit, quod rex alienigena Rebeccam uiri sui coniugem tunc esse cognouit, quando cum cũ illa ludentẽ uidit, quod non cognouisset, nisi cum coniuge ille sic luderet, quomodo cũ ea quæ coniunx non esset,

ludere non deceret. Quod quum sancti coniugati faciunt, nõ inaniter faciunt, sed prudenter. Descendunt enim quodammodo ad fœminei sexus infirmitatem, ut aliquid blanda hilaritate uel dicant uel faciant, non eneruãtes, sed temperantes uirilem uigorem. Quid autem sibi uelit in sacramento Christi & ecclesiæ, quod tantus patriarcha cum coniuge luserit, coniugiumq́ illud inde sit cognitum: profecto quisquis ne aliquid errando in ecclesia peccet, secretum uiri huius in scripturis sanctis diligenter intuetur, inueniet eum maiestatem suam, qua in forma dei æqualis est, paulisper abscondisse in forma serui: ut eius capax esse humana infirmitas posset, eoq́ modo coniugi se congruẽter aptaret. Quid enim absurdum, immo quid non conuenienter futurorum prænunciationi accommodatũ, si propheta dei carnaliter aliquid lusit, ut eum caperet affectus uxoris, quum ipsum uerbum dei caro factum est, ut habitaret in nobis? Sequitur, Seminauit autem Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum. Benedixitq́ ei dominus, & locupletatus est homo, & ibat proficiens ac succrescens, donec magnus uehementer effectus est.) Secundum terrenam felicitatem dictum Isaac locupletatum, sequentia docent. Exequitur enim narrator easdem eius diuitias, quibus magnus factus est, & hinc motus est Abimelech. Timuit illum ibi esse, ne potentia eius sibi esset infesta. Quanquam ergo spiritale aliquid ista significent, tamen secũdum id quod contigerunt, ideo præmissum est, Benedixit eum dominus: ut sana fide intelligamus etiam ista temporalia dona nec dari posse nec sperari debere, etiam quum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab uno deo tribuantur: & qui in minimis fidelis est, & in magnis fidelis sit: & qui in Mammona iniquo fidelis est inuentus, etiam uerum accipere mereatur: sicut dominus in euãgelio loquitur. Isaac, sermo domini est, qui sermo in lege dei ordeum seminat, in euangelijs triticum. Illum enim cibum perfectioribus & spiritalibus, hunc imperfectiorib. & animalibus parat: quia scriptum est, Homines & iumenta saluos facies domine. Isaac ergo sermo legis, ordeum seminat, & tamen in ipso ordeo inuenit centesimum fructum. Inuenis & in lege martyres, quorum est centesimus fructus. Sed & dominus noster Isaac, euangeliorum perfectiora quæq́ apostolis, turbis autem cõmunia planè loquebatur. Vis autem uidere, quia etiam ipse ordei cibos incipientibus exhibet? Scriptum est in euangelijs, quia secundo pauerit turbas, sed illas quas primum pascit: postea uero quum iam profecissent in uerbo & doctrina, triticeos eis exhibet panes. Sed post hoc dominus, inqt, benedixit Isaac & magnificatus est ualde. Paruus erat Isaac in lege, sed processu temporis fit magnus in prophetis. Nam quum in sola lege est, nondum magnus est, quippe quæ & uelamine tecta est. Crescit ergo in prophetis: iam quum peruenerit usque ad hoc, ut uelamen abijciat literæ, tunc erit magnus ualde, quum cœperit litera legis uelut palea ordei eius secerni, & apparuerit quod spiritalis est lex: tunc magnificabitur Isaac, & fiet magnus ualde. Vide enim quia & dominus in euãgelijs paucos panes frãgit, & quot millia refecit

De prouentu frugum Isaac L.

populorum,

populorum,& quāti cophini reliquiarũ supersunt. Donec integri sunt panes nemo saturatur,nemo reficitur:nec ipsi panes uidentur augeri. Considera ergo nunc,quomodo paucos panes frangimus in scripturis diuinis. Paucos sermones assumimus,& quot millia hominum saturantur? Sequitur, Habuit quoq; possessionem ouium & armentorum & familiæ plurimum,& cœpit fodere puteos,quos foderant pueri patris eius Abrahæ,sed inuidentes eis Philistijm obstruxerunt eos humo. Et reliqua.) Quis est iste Isaac, nisi saluator noster? Quis est iste, qui quum descendisset in istum torrentem Gerara, primo omnium illos puteos fodere uult,quos foderant pueri patris eius: id est, Moyses puteum legis foderat: Dauid, Salomon,& prophetæ,qui libros scripserunt ueteris testamenti:quos tamen terrena & sordida repleuerat intelligentia Iudæorum. Hos quum uellet purgare Isaac: id est,dominus noster,& saluator,cuius ille Isaac figuram gessit:ut ostenderet, quia quæcunq; prophetæ dixerũt,de se dixerunt: rixati sunt cum eo Philistijm, id est Iudæi,à regno dei alieni: sed discedit ab eis: non enim esse potest cũ his,qui in puteis aquam habere noluerũt,sed terram:& dicit eis, Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Fodit ergo Isaac nouum puteum.) Immo pueri Isaac fodiunt. Pueri sunt Isaac,Matthæus,Marcus,Lucas,Ioannes. Pueri eius sunt,Petrus,Iacobus,Iudas:puer eius,apostolus Paulus: qui omnes noui testamenti puteos fodiunt. Sed & pro his altercãtur illi,qui terrena sapiunt,nec noua condi patiuntur,nec uetera purgant, euangelicis puteis contradicunt, & apostolicis aduersantur:& quoniam in omnibus contradicunt, in omnibus litigant, dicitur ad eos,Quoniam indignos uos fecistis gratiæ dei,ex hoc iam ad gentes ibimus. Post hæc fodit tertium puteum Isaac, & appellauit nomen loci illius, Latitudo, dicens, Nunc dilatauit nos dominus, & fecit crescere super terram.) Vere enim nunc dilatatus est Isaac, & auctum est nomen eius super uniuersam terram, quum adimpleuit in nobis scientiam trinitatis. Tunc enim tantum in Iudæa notus erat, & in Israel nomen eius nominabatur: nunc autem in omnem terram exijt sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Exeuntes enim pueri Isaac: hoc est, apostoli domini saluatoris, per uniuersum orbem terræ foderunt puteos, & aquam uiuam omnibus ostenderunt, baptizantes omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Sed quid est, quod puteos quos Abraham aperuit, Isaac sic uocauit eos, sicut & pater eius? Non enim immutauit uocabula puteorum. Et est mirum, quod Moyses,apud nos etiam Moyses appellatur:& propheta unusquisq; suo nomine appellatur. Non enim Christus in eis nomina, sed intelligentiam commutauit. Hæc mystice. Moraliter autem,Isaac apud alienigenam gentem puteos fodisse describitur:quo uidelicet exemplo discimus, ut in hac peregrinationis erumna positi,cogitationum nostrarum profunda penetremus: & quousq; nobis ueræ intelligentiæ aqua respõdeat,nequaquam nostræ inquisitionis manus ad exhaurienda cordis interna torpescat. Quos tamẽ puteos allo-

De puteis LI

phyli,id eſt,immundi ſpiritus inſidiãtes replent,quia nimirum immundi ſpi/ritus, quum nos ſtudioſius fodere conſpiciunt, moleſtas nobis tentationum cogitationes immergunt. Sequitur, Aſcendit autem ab illo loco in Berſabee, ubi apparuit ei dominus in ipſa nocte,dicens, Ego ſum deus Abraham patris tui. Vſq; ad id quod dicit, Surgentes mane iurauerunt ſibi mutuo, dimiſitq; eos pacifice) Huius Iſaac duas nobis figuras expoſuit apoſtolus Paulus: unam qua dixit,quod Iſmahel quidem filius Agar,populi ſecundum carnem: Iſaac uero,populi qui ex fide eſt formã teneret. Aliam qua ait, Non dixit,Et ſeminibus,quaſi in multis:ſed,ſemini tuo,tãquam in uno,qui eſt Chriſtus. Tenet ergo Iſaac & populi figuram & Chriſti. Chriſtũ autem tanquam uerbum dei,non ſolum in euangelijs loqui,ſed & in lege certum eſt,& in prophetis. Verum in lege incipientes, in euangelijs perfectos docet. Iſaac ergo nunc uerbi formam,quod in lege uel prophetis eſt,tenet. Aſcendit igitur Iſaac ad puteum iuramenti,& apparuit illi dominus. Aſcẽſionem legis dicimus ornatum eſſe templi,& eorum quæ ibi diuina gerebantur obſequia. Poteſt & augmentum prophetarum,legis aſcenſio nominari: & propterea forte ad puteum iuramenti dicitur,& ibi apparuiſſe ei dominum:per prophetas enim iurauit dominus,& non pœnitebit,quod ipſe ſit ſacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchiſedech, Ad puteum ergo iuramẽti uiſus eſt ei deus, futura in eum promiſſa confirmans. Et ædificauit ibi altare domino,& inuocato nomine domini extendit ibi tabernaculum,præcepitq; ſeruis ſuis ut foderẽt puteum.) Ædificat quidem Iſaac altare etiam in lege,& figit tabernaculũ ſuum: in euangelijs autem non figit tabernaculũ,ſed domum ædificat,& fundamentum collocat. Audi enim ſapientiã dicentem de eccleſia, Sapientia,inquit,ædificauit ſibi domũ,& ſuppoſuit columnas ſeptem. Audi de hoc etiam & Paulum dicentem, Fundamentũ enim aliud nemo poteſt ponere,præter id quod poſitũ eſt,quod eſt Chriſtus Ieſus. Vbi ergo tabernaculũ eſt, etiam ſi figatur ſine dubio reſoluendũ eſt:ubi uero fundamenta ſunt,& ſupra petram ædificatur domus,nunquã reſoluitur domus illa,fundata eſt enim ſuper petram. Fodit tamen & ibi Iſaac puteum,nec unquam ceſſat puteos fodiẽdo, donec oriatur fons aquæ uiuæ,& fluminis impetus lætificet ciuitatẽ dei. Sequitur, Sed & Abimelech ille qui dudum honorauerat Abraham, uenit nũc cum amicis ſuis de Geraris ad Iſaac. Et dicit illis Iſaac, Quid ueniſtis ad me? Vos enim odiſtis me,& eieciſtis me à uobis. At illi reſpõderunt,dicẽtes, Vidẽtes, inquiũt, uidimus, quia eſt dominus tecum:& diximus, Fiat cõiuratio inter nos & te,& conſtituamus tecum pactũ,ne facias nobis malum) Iſte Abimelech non ſemper pacem cum Iſaac habet, ſed aliquando diſſidet, aliquando pacem requirit. Iſte Abimelech perſonam tenet ſtudioſorum & ſapientium ſeculi, qui per eruditionem philoſophiæ multa etiam ex ueritate comprehenderunt. Intelligere poſſumus quomodo hic cum Iſaac, qui uerbi dei quod in lege eſt tenet figuram,neq; in diſſenſione ſemper poteſt eſſe,neque ſemper in pace. Philo/

ſophia

sophia enim mundi, neq; in omnibus legi dei contraria est, neq; in omnibus consona. Multi enim philosophorum unum esse deum qui cuncta creauerit, scripserunt. In hoc consentiunt legi dei. Aliquanti etiam hoc addiderūt, quod deus cuncta per uerbum suum & fecerit & regat, & uerbum dei sit, quo cūcta moderetur. In hoc non solum legi, sed & euangelijs consona scribunt. Moralis uero & physica quæ dicitur philosophia, penè omnia quæ nostra sunt sentit. Dissidet uero à nobis, quum deo dicit materiā coæternam: dissidet, quum negat deū curare mortalia, sed prouidentiā eius super lunaris globi spatia cohiberi. Dissident à nobis, quum uitam nascentiū stellarum cursibus pēdunt: dissident, quum perpetuum dicunt hunc mundum, & nullo fine claudēdum. Sed & alia plurima sunt, in quibus nobiscum uel dissident uel concordant. Et ideo Abimelech secundum hanc figuram, aliquādo dissidere describitur. Sed & hoc non puto ꝙ otiose spiritui sancto, qui hæc scripsit, curæ fuerit comprehendere, quod duo alij cū Abimelech uenerunt, id est, Ochozat amicus eius, & Phicol dux exercitus eius. Interpretatur autem Ochozat tenens, & Phicol, os omnium: ipse autem Abimelech, pater meus rex. Hi tres imaginem totius philosophiæ tenēt, quæ apud eos in tres partes diuiditur, logicam, physicam, & ethicam, id est, rationalem, naturalem, & moralem. Rationalis est illa, quæ deum patrem omniū cōfitetur, id est, Abimelech. Naturalis illa est, quæ fixa est & tenet omnia, uelut naturæ ipsius uiribus nitens, quam profitetur Ochozat, qui dicitur tenens. Moralis est, quæ in ore est omnium, & ad omnes pertinet, & per communem similitudinem præceptorum in omnium ore uersatur, quam designat iste Phicol, qui os omnium interpretatur. Hi ergo omnes qui in huiusmodi eruditionibus sunt instituti, ueniunt ad legem dei, & dicunt, Videntes uidimus, quia est dominus tecū: & diximus, Sit iuramētum inter nos, & ineamus fœdus, ut non facias nobis quicꝗ mali, sicut & nos nihil tuorū attigimus, nec fecimus quod te læderet: sed cum pace dimisimus, auctū benedictione domini. Possunt quidem hi tres qui pacē requirunt à uerbo dei, & præuenire cupiunt pacto societatem eius, figuram tenere magorum, qui ex orientis partibus ueniūt, eruditi paternis libris & institutione maiorum, & dicunt, quia uidentes uidimus natum regem, & uidimus quia deus est cum ipso, & uenimus adorare eum. Sed & si quis ille est huiuscemodi eruditionibus institutus, uidens quia deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & attonitus operum eius magnitudine dicat, Videntes uidimus, quia est dominus tecum, & diximus, Sit iuramentum inter nos. Accedens enim ad legem dei, necessario dicit, Iuraui, & statui custodire mandata tua. Sed quid petunt? Ne facias nobis quicquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus: nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus, auctum benedictione domini. Remissionem peccatorum per hoc deposcere uidentur, ne recipiant mala, benedictionem postulant, non retributionem. Denique uide quid sequitur, Et fecit illis conuiuium magnum Isaac, & manducauerunt & biberunt, &

post

post cibum & potum surgentes iurauerunt sibi mutuo, dimisitq́ eos Isaac pacifice in locum suum.) Certum est enim quia qui ministrat uerbum, sapientibus & insipientibus debitor est. Quia ergo hic conuiuium sapientibus exhibet, idcirco dicitur, quia non paruum, sed magnum cõuiuium fecit. Sequitur,

Ecce autem uenerunt in ipso die serui Isaac, annũtiantes ei de puteo quem foderant, atq; dicentes, Inuenimus aquam. Vnde appellauit eum Abundantia: & nomen impositum est urbi, Bersabee.) Hoc significat quod inuenerint aquam, & propterea appellatus sit, Puteus saturitatis: & uocata ciuitas, Bersabee, hoc est, puteus saturitatis. Licet enim supra ex uerbo iuramenti, siue ex septenario ouium numero, quod Sabee dicitur, asseueremus Bersabee appellatam: tamen nunc ex eo quod aqua inuẽta est, Isaac ad nomẽ ciuitatis, quæ ita uocabatur, adludens, declinauit paululũ literam, & pro stridulo Hebræorum Sin, à quo Sabee incipitur, Græcum sigma, id est, Hebræum samech, posuit. Alioquin & iuxta allegoriæ legem, post tãtos puteos in fine uirtutum nequaquam congruit, ut Isaac aquam minime reperiret. Sequitur,

CA. XXVII SENVIT autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & uidere non poterat.
De senectute Vocauitq́ Esau filium suum maiorem, & dixit ei, Fili mi. Qui respondit, Ad
Isaac LII sum. Cui pater, Vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras. Quumq́ uenatu aliquid comprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut uelle me nosti, & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.) Plura sunt quàm ut exẽplis debeamus docere, sanctos uiros & deo charos ea tãtummodo scisse, quæ eis à domino reuelata sunt: ignorasse uero quæ reuelata eis nõ fuerũt: sicut & Isaac uir iustus & deo charus, non illi cui uoluit, sed cui noluit deceptus errore benedixit. Vnde non mirũ est, & Isaac in sua maxime utilitate nescisse quid faceret: quum magis eo tempore erraret, quo filium sanguinarium & deditum uoluptati, & eum qui postea uellet fratrẽ occidere, prætermisso illo qui innocẽter habitabat domi, uellet efferre, & suam magis quàm dei facere uoluntatem. Vnde dispẽsationis diuini iudicij fuit, ut oculis cæcaretur: & quũ ipse diceret, Vox, uox Iacob est: manus aũt, manus sunt Esau: tamen intelligeret minorem esse filiũ, qui benedictione fratris prærepta restiterat. Vnde intelligẽdum in hoc factã esse spiritalem admonitionẽ, ut cõfirmaret benedictionẽ suam in filio minore, cui potius irascendũ fuit, quod fefellerit patrem. Isaac portat imaginẽ dei patris, Rebecca spiritus sancti, Esau populi prioris & diaboli, Iacob ecclesiæ siue Christi. Senectus Isaac, consummationẽ orbis ostẽdit: oculi illius qui caligauerũt, fidem defecisse & perijsse de mundo, & religionis lumen antiquũ neglectũ esse significant. Quod filius maior uocatur, acceptio legis est Iudæorũ: quod escas eius atq; capturã diligit pater, homines sunt saluati ab errore, quos per doctrinã iustus quisq; uenatur. Sermo dei, benedictiõis est repromissio, & spes regni futuri, in quo cũ Christo sancti regnaturi sunt, & uerũ sabbatũ celebraturi. Sequitur. Quod quũ audisset Rebecca, & ille abijsset in agro

ut iussionem

ut iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob, Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei, Affer mihi de uenatione tua, & fac cibos, ut comedã, & benedicam tibi coram domino antequàm moriar. Nunc ergo fili mi acquiesce cõsilijs meis, & pergens ad gregem affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter uescitur. Quos quũ intuleris & comederit, benedicat tibi antequàm moriatur.) Rebecca plena spiritu sancto, & sciens quid audisset antequàm pareret, quia maior seruiet minori: magis autem forma spiritus sancti quæ futura nouerat in Christo, in Iacob ante meditabatur. Accipe mihi duos hœdos, inquit: præfigurans carneum saluatoris aduentum, in quo eos uel maxime liberaret, qui peccatis tenebãtur obnoxij. Siquidem in omnibus scripturis, hœdi pro peccatoribus accipiũtur. Quod autem duos iubetur afferre, duorum populorũ significatur assumptio: quod teneros & bonos, dociles & innocentes animo. Siue aliter carnes hœdorum, ex quibus Isaac præparatus est cibus, peccantiũ intelligenda est conuersio, ex duobus populis uenientium, Iudæis uidelicet & nationibus uniuersis. Panes autem, apostolorum accipienda est fides, & illorum qui in pentecoste adueniente spiritu sancto crediderunt de Iudaico populo. In uino autem intelligendus est martyrum cruor. Tali quippe cibo ac potu delectari intelligitur deus. Sequitur, Et uestibus Esau ualde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hœdorum circũdedit manibus, & colli nuda protexit) In hoc loco tradunt Hebræi primogenitos functos officio sacerdotum, & habuisse uestimentum sacerdotale, quo induti deo uictimas offerebant, antequàm Aaron in sacerdotium eligeretur. Vestimẽtum Esau, fides, & scripturæ sunt Hebræorum, quibus gentilium indutus est populus: siue fides intelligenda est patriarcharũ. Pelles hœdorum, quibus manus Iacob opertæ sunt, collumque contectum est, peccata sunt utriusque plebis, quæ Christus in extensione manuum cruci secum affixit. Quod ex eisdem pellibus colli nuda protexit, significat quia quorum suscepit personam, eorum & propria uoce deplorauit infirmitates, & fleuit peccata. Sequitur, Quomodo, inquit, tam cito inuenire potuisti, fili mi? Qui respondit, Voluntas dei fuit, ut cito mihi occurreret quod uolebam.) Quod Isaac quærit ab Iacob, quur tam cito uenerit, admiratur uelocem credentium fidem. Quod cibi delectabiles offeruntur, hostia placens deo, & salus est peccatorum. Sequitur, Dixit Isaac, Accede huc ut tangam te, fili mi: & probem utrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrem, & palpato eo dixit Isaac, Vox quidẽ, uox Iacob est: manus autem, manus sunt Esau. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant.) Hoc in loco Isaac, Iudaicum populum præfigurauit: Iacob filius eius, dominum Iesum Christum. Qui & caligans oculis, & prophetans, in præsenti filium non uidit, cui tam multa in posterum præuidit: quia nimirum Iudaicus populus prophetiæ spiritu plenus & cæcus, eum de quo multa in futuro prædixit, in præsenti positum non agnouit. Sequitur,

Statimque

Statimq́ ut sensit uestimentorum eius fragrantiam, benedicens eum ait, Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit deus. Det tibi deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, uini, & olei: & seruiant tibi populi & adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.) Benedictio Iacob, prædicatio Christi est in omnibus gentibus. Hoc fit, agitur: hoc lex & prophetia est. Isaac significat plebem Iudæorum, à qua Christus benedicitur, uelut à nesciête, quia ab ipsa nescitur: odore nominis Christi, sicut ager, mundus impletur: uel certe odor agri pleni, bonorum operum accipienda sunt gesta. Eius est benedictio de rore cœli, hoc est, de uerborum pluuia diuinorum: & de ubertate terræ, hoc est, de congregatione populorum uel apostolorum doctrina. Eius est multitudo frumenti & uini, hoc est, multitudo quæ colligit frumentum & uinum in sacramento corporis eius & sanguinis. Potest & per abundantiã frumenti & uini, sanctorũ martyrum ac uirginum intelligi multitudo. Ei seruiũt gentes, ipsum adorant principes. Ipse est dominus fratrum suorum, quia populus eius dominatur Iudæis. Ipsum adorant filij patris eius, id est, filij Abrahæ secundum fidem, quia & ipse filius est Abrahæ secundum carnem. Ipsum qui maledixerit, maledictus erit, & qui benedixerit, benedictus est. Christus inquam noster ex ore Iudæorum, quamuis errantium, sed tamen legem prophetasq́ canentium benedicitur, id est, ueraciter dicitur, & alius benedici putatur, qui ab eis errantibus expectatur. Sequitur, Vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foras uenit Esau, coctosq́ de uenatione cibos intulit patri, dicens, Surge pater mi, & comede de uenatione filij tui, ut benedicat mihi anima tua) In præfiguratione quippe horum fratrũ congrue ualde illud aptabitur, quod euangelica indicat lectio, in qua dicitur, Venit quidam princeps synagogæ ad Iesum, & ait illi, Filia mea modo defuncta est: sed ueni, impone manum tuam super illam, & uiuat. Ad quam quum resuscitandã pergeret dominus, ecce (ait) mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur: & typum gestabat ecclesiæ: accessit retro, quasi ignorante domino, & tetigit fimbriam uestimenti eius, & statim sanata est. Cui ait dominus, Vade filia in pace: fides tua te saluam fecit. Sequitur, Dixitq́ illi Isaac, Quis enim es tu? Qui respondit, Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit Isaac stupore uehemẽti, & ultra quàm credi potest admirans ait, Quis igitur ille est, qui dudũ captam uenationem attulit mihi, & comedi ex omnibus, prius quàm tu uenires? Benedixiq́ ei, & erit benedictus.) Ecce benedictionem promissam petente maiore expauescit Isaac, & alium pro alio se benedixisse cognoscens miratur, & quis nam ille sit percontatur: nec tamen se deceptum esse conqueritur, immo confestim reuelato sibi intus in corde magno sacramento deuitat indignationem, cõfirmat benedictionem, non maledictionem. Potius miraretur iratus, si hæc nõ superna inspiratione, sed terreno more gererentur. O res gestas, sed

prophetice:

prophetice: gestas in terra, sed cœlitus: per homines, sed diuinitus. Si excutiantur singula tantis fœcunda mysterijs, multa sunt implenda uolumina. Sed huic operi modus moderate imponendus, nos in alia festinare compellit. Sequitur, Auditis Esau sermonibus patris irrugijt clamore magno, & consternatus ait, Benedic etiam mihi pater. Qui ait, Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. At ille subiunxit, Iuste uocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me en altera uice. Primogenita mea ante tulit, & nunc secundo subripuit benedictionem meam.) Ecce secũdo Iacob supplantator interpretatur. Ab eo igitur quod fratrem arte deceperit, adlusit ad nomen. Qui ideo Iacob ante uocatus est, eo quod in ortu plantam fratris apprehendat. Sequitur, Rursumq́ue ait ad patrem, Nunquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem? Respondit Isaac, Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui. Frumento & uino stabiliui eum: & tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam? Cui Esau, Num unam, inquit, tãtum benedictionem habes, pater? Mihi quoq; obsecro, ut benedicas. Quumq́ue eiulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum, In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper, erit benedictio tua. Viues gladio, & fratri tuo seruies: tempusq́ue ueniet quum excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.) Significat quod Idumæi seruituri essent Iudæis: & tempus esse uenturũ, quando de collo suo iugum seruitutis abijcerent, eorumq́ue imperio contradicerent. Neq; enim maiorem filium penitus uidemus fuisse despectum, sed sicut ait Apostolus, Quum intrauerit plenitudo gẽtium, tunc omnis Israel saluus erit. Cuius tamen secundæ benedictionis prophetatio hæc est, In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper, erit benedictio tua. id est, in fœcunditate rerum, & potentia regni, quæ in illo populo fuit. uel certe, In pinguedine terræ, & rore cœli desuper: hoc est, in confessione dominicæ incarnationis, & fide deitatis illius, erit Israel benedicendus: siue etiam, in rore cœli erit benedictio eius, id est in eloquijs dei. Ipsis enim primum credita sunt eloquia dei, & legis testamenta. Viues gladio: id est, quia sanguini deditus populus ille necem in Christo uel prophetis exercuit. Et fratri tuo seruies: scilicet populo Christiano. Tempusq́ue ueniet, quando excutias & soluas iugum de ceruicibus tuis: dum per cognitionem fidei, ad gratiam Christi conuersus, deposueris onus legis: quando iam non seruus populi minoris, sed per fidem frater uocaberis. Sequitur,

Oderat autem semper Esau Iacob, pro benedictione qua benedixit ei pater: dixitq́ue in corde suo, Venient dies luctus patris mei, ut occidam Iacob fratrem meum.) Quia igitur iniquitas inimica est iustitiæ, Esau in discordiã concitatur, & necem fraudulentus excogitat, dicens in corde suo, Appropinquabunt dies luctus patris mei, ut occidam Iacob fratrem meum. Ita & diabolus fratricidas Iudæos in Cain ante præmeditans, in Esau manifestissime confitetur: tempus quoq; interfectionis ostendens, malitiæ quam Iudæi exercuerunt in Christo. Sequitur, Quæ mittens & uocans Iacob filium suum, dixit

ad eum, Ecce Esau frater tuus minatur, ut occidat te.) Quomodo annuntiata sunt uerba Esau Rebeccæ, quod cominatus est occidere fratrem suum: quum scriptura dicat, hoc eum in sua cogitatione dixisse: nisi quia hinc datur nobis intelligere, quod diuinitus ei reuelabantur omnia? Vnde & ad magnum mysterium pertinet, quod filium suum minorem pro maiore uoluit benedici. Sequitur, Nunc ergo audi fili mi uocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meũ in Aran, habitabisq; cum eo dies paucos, donec quiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscaturq; eorum quæ fecisti in eum, & postea mittam & adducam te inde huc.

CA.XXVIII VOCAVITQVE Isaac Iacob, & benedixit, præcepitq; ei, dicens, Noli accipere coniugem de genere Chanaan: sed uade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban auunculi tui. Deus autem omnipotens benedicat tibi & crescere te faciat atq; multiplicet, ut sis in turbas populorum: & det tibi benedictiones Abraham & semini tuo post te, ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo.) Hinc iam intelligimus segregatum semen Iacob ab alio semine Isaac, quod factum est per Esau. Quando enim dictum est, In Isaac uocabitur tibi semen, pertinens usq; ad ciuitatem dei, separatum est inde aliud semẽ, quod erat in ancillæ filio, & quod futurum erat in filijs Cethuræ. Sed adhuc erat ambiguum de duobus geminis filijs Isaac, an ad utrumq;, an ad unum eorum illa benedictio pertineret: & si ad unum eorum, quis nam esset illorum. Quod nunc declaratum est, quum prophetice à patre benedicitur Iacob, & dicitur ei, Sis in turbas populorum, & possideas benedictiones Abrahæ aui tui. Quomodo itaq; Iacob fratris dolos fugiens Mesopotamiam tendit: ita & Christus, Iudæorum incredulitate compulsus, proficiscitur in Galilæam, inde sibi ex gentibus spõsam sumpturus ecclesiam. Et sicut Iacob dolos fugiens fratris, relicta domo, patria, uel parentibus, abijt in regionem lõginquam, ut acciperet sibi uxorem: ita & Christus, relinquens parentes secundum carnem, id est populum Israel, & patriam, id est Hierosolymam & omnes regiones Iudeæ, abijt in gentes, accipiens sibi ecclesiam, ut impleretur quod dictum est per prophetam, Populus quem non cognoui seruiuit mihi, obauditu auris obaudiuit mihi. Nos autem dicimus, nõ uenisse dominũ nisi ad oues perditas domus Israel: nec uoluisse panem accipere filiorum, & dare canibus: & benedictionem primam Iudæorum populo detulisse, quibus credita sunt eloquia dei, & repromissio, & legis datio, & cõfectio testamenti. Verum quia illi credere noluerunt, ad Iacob, id est minorem populum, benedictionem cernimus esse translatam: neq; tamẽ maiorem filium penitus uidemus esse despectũ: quia quum subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus erit.

INDEX CAPITVM
LIBRI TERTII

FINIS

DIVI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVM IN GENESIM ad Veranium & Salonium fratres episcopos Liber Tertius.



EVS SVMMAE BONITATIS, À QVO EST datum optimum & omne donum perfectum, desursum descendens à patre luminum, à quo & per quem bona uoluntas in homine præparatur, qui huius operis mihi dedit initium, ipse tribuat & bene sonantem sermonem ministrare. Dicamq; domino meo quod & sanctus Iacob patriarcha dixit, Si dominus deus meus fuerit mecum in opus quod nunc adripui, & custodierit me, erit mihi in deum: & hæc sancta scriptura, quam in manibus habeo, in emolumentum: decimas & hostias & primitias offeram ei: id est, & initium bonæ uoluntatis, & perfectionem boni operis, illius sancto nomini consecrabo. Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Aran. Quumq; uenisset ad quendam locum, & uellet in eo requiescere post solis occubitũ, tulit de lapidibus qui ibi iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco: uiditq; in somnis scalam stantẽ super terram, & cacumen illius tangens cœlum, angelos quoq; dei ascendentes & descendentes per eam, & dominum innixum scalæ, & dicentem sibi, Ego sum deus Abraham & deus Isaac patris tui: terram in qua dormis tibi dabo & semini tuo, eritq; semen tuum quasi puluis terræ, dilataberis ad orientem & occidentem, septentrionem & meridiem, & benedicẽtur in te & semine tuo cunctæ tribus terræ: & ero custos tuus quocunq; perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam nisi compleuero uniuersa quæ dixi.) Somnus iste Iacob, mors siue passio Christi est. Lapis ad caput eius, qui nominatim quodã modo dictus est etiam unctus, Christum significat. Caput enim uiri Christus est. Quis enim nesciat Christum ab unctione appellari? Domus autem dei, quia ibi natus est Christus, in Bethlehem. Porta uero cœli, quia ibi in terram descendit, inde iterum ad cœlum ascendit. Erectio autem lapidis, resurrectio Christi est. Porrò scala, Christus est, qui dixit, Ego sum uia. Per hanc ascendunt & descendunt angeli, in quibus significati sunt euangelistæ prædicatores Christi. Possunt & per scalam duo accipi testamenta, aut certe fides & opera, per quæ gẽtes hæredes effectæ sunt regni cœlestis. Per hæc enim ascensus ad deum est, & descensus dei ad homines. Angeli autem, id est, nuntij ecclesiæ sunt accipiendi doctores, ascendentes utiq; quũ ad intelligendã eius supereminentissimam diuinitatem, excedunt uniuersam creaturam: ut eum inueniant in principio uerbum deum apud deum, per quem facta sunt omnia: descendentes autem, ut eum inueniãt factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. In illa enim scala à terra usq; in cœlum, à car

De somnio Iacob I

 ne usq;

ne usq; ad spiritũ, carnales proficiẽdo uelut ascendẽdo spiritales fiũt: ad quos lacte nutriendos, etiam ipsi spiritales descendunt quodam modo, quum eis non possunt loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Ipse est sursum in capite suo: ipse deorsum in corpore suo, quod est ecclesia. Ipsum ergo scalam intelligimus, quia ipse dixit, Nemo potest uenire ad patrem, nisi per me. Ad ipsum ergo ascenditur, ut in excelsis intelligatur: & ad ipsum descẽditur, ut in membris suis paruulus nutriatur: & per illum se erigunt, ut sublimiter expe/ctent: per ipsum etiam se humiliant, ut eum sublimiter ac temperãter annun/tient. Sequitur, Surgens ergo mane tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper: appellauitq; nomen urbis il/lius Bethel, quæ prius Luza uocabatur.) Et uocauit nomen loci illius Bethel, cuius prius Luza, uocabulum erat ciuitatis antiquæ: quod nihil aliud signifi/cat, nisi ante, aut prius, uel uestibulum, siue superliminare, uel postes. Quod uero ait, Dominus est in loco isto, & ego nesciebã: & dixit, quàm terribilis est locus hic: nõ est hic aliud, nisi domus dei, & porta cœli. hæc uerba ad prophe/tiam pertinent, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod constituit deus in hominibus in primo populo suo. Portam autẽ cœli sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus, ad capessendum regnum cœlorum. Quod statuit Iacob lapidem, quem sibi ad caput posuerat, & constituit eum titulum, & perfudit illum oleo, non aliquid idololatriæ simile fecit: non enim uel tunc uel postea frequentauit lapidem, adorando, uel sacrificando ei: sed si/gnum fuit prophetiæ euidẽtissime constitutum, quæ pertinet ad unctionem, unde Christi nomen à chrismate est. Quod autem uouit uotum, si prospera/retur eundo & redeundo, & decimas promisit domui dei futuræ in loco illo, prophetia est domus dei: ubi & ipse rediens deo sacrificauit, non illum lapi/dem deum appellans, sed domum dei: id est, quia in eo loco futura erat do/mus dei. Sequitur,

CA. XXIX *De aduẽtu Ia/cob ad terrã orientalẽ* II

PROFECTUSQUE inde Iacob uenit ad terram orientalem, & uidit puteũ in agro, tresq; greges ouium accubãtes iuxta eum. Nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. Morisq; erat, ut cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent.) Terra orientalis ad quã dominus noster profectus est, illos signifi cat, qui uitiorũ tenebras relinquentes, opera lucis quærebant. Apud Iudæam enim tantũmodo cognitus erat deus. Puteus autẽ quem illic reperit, Mosaica intelligẽda est lex, iuxta quem tres greges accubasse scribitur, scribas uidelicet, Pharisæos & Sadducæos, quos dominus legit arguisse. Oues quoq; Laban, quas ablato lapide grãdi quo os putei claudebatur, dominus adaquauit, tunc uidelicet quando seorsum discipulis & seorsum turbis loquebatur. Tunc amo uit umbras & imagines, quibus legis operiebatur historia, quando uniuersa quæ de se fuerant scripta, in se expleri permisit, uel expleta esse ostẽdit. A passione enim domini, cunctis fidelibus lex spiritali intelligentia patet. Nam an

tea licet

tea licet in scenopegia solennitate concurrentibus undiq; populis, liber Deuteronomij à sacerdotibus recenseretur: tamen rursum claudebatur, quia necdum aduenerat, in quo in ueritate expleta sunt omnia. Sequitur, Et ecce Rachel ueniebat cum ouibus patris sui. Nam gregem ipsa pascebat. Quam quum uidisset Iacob, & sciret consobrinam suam esse, ouesq; Laban auunculi sui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & adaquato grege osculatus est eam: eleuataq; uoce fleuit: & indicauit ei, quod frater esset patris eius, & filius Rebeccæ.) Intelligitur enim, quod illi cum quibus prius loquebatur Iacob, interrogati quæ esset quæ ueniebat cum ouibus, ipsi dixerint, filiam esse Laban, quam utiq; non nouerat Iacob: sed illius interrogationẽ, illorumq; responsionem scriptura præmittens intelligi uoluit. Quod scriptũ est, Osculatus est Iacob Rachel: & exclamans uoce sua fleuit, & indicauit ei, quod frater esset patris eius, & filius Rebeccæ: consuetudinis quidẽ fuit in illa simplicitate antiquorũ, ut propinqui propinquas suas oscularẽtur, & hoc hodie fit in multis locis: sed quæri potest, quomodo ab incognito illa osculũ acceperit, si postea Iacob indicauit propinquitatem suam. Ergo intelligendum est, aut illum qui iam audierat, quæ illa esset, fidenter in eius osculum irruisse: aut postea scripturam narrasse per recapitulationem, quod primo factum erat, id est, ut indicaret quis esset. Sequitur, Auditis autem Laban causis itineris, respondit Iacob, Os meum es, & caro mea. Et postquàm expleti sunt dies mensis unius, dixit ei, Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? Dic quid mercedis accipies. Habebat uero duas filias, nomen maioris, Lia: minor autem appellabatur Rachel. Sed Lia, lippis erat oculis: Rachel, decora facie, & uenusto aspectu. Quam diligens Iacob, ait, Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. Respondit Laban, Melius est ut tibi eam dem, quàm uiro alteri. Seruiuit igitur Iacob pro Rachel septem annis, & uidebantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine) Quærendum est quomodo dictum sit, uidebantur in conspectu eius uelut pauci dies: quum magis etiam breue tempus longum soleat esse amantibus. Dictum est ergo propter laborem seruitutis, quem facilem & leuem amor faciebat. Dixitq; ad Laban, Da mihi uxorem meam, quia iam tempus expletum est, ut ingrediar ad eam. Qui uocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias, & uespere filiam suam Liam introduxit ad eum, dans ancillam filiæ nomine Zelpham. Ad quam quum ex more Iacob fuisset ingressus, facto mane uidit Liam. Et dixit ad socerum, Quid est quod facere uoluisti? Nonne pro Rachel seruiui tibi? Respondit Laban, Non est moris in loco nostro, ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum copulæ huius, & hanc quoq; dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis alijs. Acquieuit placito: & hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem: cui pater seruam Balam dederat. Tandemq; potitus optatis nuptijs, amorem sequentis priori prætulit.) Si parum aduertatur rei huius narratio, putabitur quod posteaquàm Liam

De seruitute Iacob III

Iacob duxit uxorem, deinde seruiuit alios septem annos pro Rachel, & tunc eam duxit. Verum autem nõ ita est, sed Laban ei dixit, Imple hebdomadam dierum copulæ huius, & hanc dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis alijs. Hoc itaq; ait, Imple dies nuptiarum septem, pertinentes ad istam quam duxisti, & dabo tibi & hãc pro eo quod operaberis apud me adhuc septem annos alios. Deinde sequitur, Fecit autem Iacob sic, & impleuit hebdomadã, & Rachel duxit uxorem. Dedit autem Laban Rachel filiæ suæ Balam ancillam suam, & intrauit ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis quàm Liam, & seruiuit illi septẽ annos alios.) Vtiq; apparet, quia postea quàm duxit Rachel, tunc seruiuit pro ea septem annos alios. Nimis enim durũ & ualde iniquum fuit, ut deceptum adhuc differret alios septem annos, & tunc eam traderet quam primo debuit. Septem autem diebus solere nuptias celebrare etiam liber Iudicũ ostendit in Sampson, quando fecit uotum septem diebus: & addidit scriptura, quod sic solerent facere iuuenes. Sequitur, Videns autem dominus quod despiceret Liam, aperuit uuluã eius, sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, uocauitq; nomen eius Ruben, dicens, Vidit deus humilitatem meam, nunc amabit me uir meus.) Ruben interpretatur uisionis filius. Rursumq; concepit, & peperit filium, & ait, Quoniã audiuit me dominus, eo quod odio me haberet uir meus, dedit mihi etiã hunc. Et uocauit nomẽ eius Simeon.) Ab eo quod est exaudita, Simeon nomen filio imposuit. Simeon quippe interpretatur auditio. Concepit tertio, & genuit filium, dixitq;, Nunc quoq; copulabitur mihi uir meus, eo quod pepererim ei tres filios: & idcirco appellauit nomen eius Leui.) Leui interpretatur assumptio. Quarto concepit, & peperit filium, & ait, Modo confitebor domino: & ob hoc uocauit eum Iuda.) Iudas enim, confessio interpretatur. A' confessione itaq;, confessoris nomen eius dictum est. Verum tamen hic confessio pro gratiarum actione, aut pro laude accipitur, ut frequenter in psalmis est: & in euangelio, Confitebor tibi domine pater cœli & terræ, id est, gratias ago tibi, siue glorifico te. Sequitur,

De natiuitate filiorũ Iacob IIII

CAP. XXX

CERNENS autem Rachel quod infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo, Da mihi liberos, alioquin morior, Cui iratus respondit Iacob, Num pro deo ego sum, qui priuauit te fructu uentris tui? At illa, Habeo, inquit, famulam Balam, ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & habeam ex ea filios. Deditq; illi Balam in coniugium. Quæ ingresso ad se uiro, concepit & peperit filium. Dixitq; Rachel, Iudicauit mihi dominus, & exaudiuit uocem meam, dans mihi filium. Et idcirco appellauit nomen eius Dan) Propterea uocauit nomẽ eius Dan. Causam nominis expressit, ut ex eo quod iudicasset dominus, filio ancillæ nomen imponeret. Dan quippe interpretatur iudicium. Rursumq; Bala cõcipiens, peperit filium. Pro quo ait Rachel, Comparauit me deus cum sorore mea, & inualui: uocauitq; eum Neptalim) Causa nominis Neptalim, alia hic exponitur, quàm in libro Hebræorum scripta sit.

pta sit. Vnde? A' conuersatione, siue comparatione: quia utrumq; sonat, comparationem, siue cõuersationem, hoc est Neptalim. Sequitur, Sentiens Lia quod parere cessasset, Zelpham ancillã suam marito tradidit. Qua post conceptum ædente filium dixit, Feliciter: & idcirco uocatum est nomẽ eius Gad.) Nos autẽ dicere possumus Impræcinctum. Gad enim potest & præpositionem sonare, & uenit ab euentu, siue præcinctu, qui Gad dicitur. Peperitq; Zelpha alterum. Dixitq; Lia, Hoc pro beatitudine mea. Beatam quippe me dicent mulieres. Propterea appellauit eũ Aser.) Aser ergo nõ diuitiæ, sed beatus dicitur, dumtaxat in præsenti loco: nam in alijs, secundum ambiguitatem uerbi, possunt & diuitiæ sic uocari. Sequitur, Egressus autẽ Ruben tempore messis triticeæ, in agro reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit. Dixitq; Rachel, Da mihi partem de mandragoris filij tui. At illa respondit, Parum ne tibi uidetur, quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel, Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. Redeuntiq; ad uesperam de agro Iacob, egressa est in occursum Lia, Et ad me, inquit, intrabis, quia mercede cõduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuitq; cum ea nocte illa, & exaudiuit deus preces eius, concepitq; & peperit filium quintum, & ait, Dedit deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam uiro meo. Appellauitq; nomen eius Isachar.) Totum nomen interpretatur, merces est.) Is quippe dicitur est: Sachar, merces. Hoc autem ideo quia mandragoris filij Ruben, introitum qui Racheli debebatur, ad se uiri emeret. Sequitur, Rursum Lia concipiens peperit sextum filium, & ait, Ditauit me deus dote bona, etiam hac uice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios. Et idcirco appellauit nomen huius Zabulon.) Et est sensus: Quia sex filios genui Iacob, propterea iam secura sum, habitabit enim mecum uir meus, unde & filius meus uocetur Habitaculum. Et post hæc peperit filiam, & uocauit nomen eius Dina.) Hæc transfertur in Causam, siue iurgium: iurgij enim in Sychimis causa extitit. Post filios, parentum ponenda sunt nomina. Lia interpretatur laborans: Rachel ouis, cuius filius Ioseph, ab eo quod sibi mater alium addi optauerit. Iam uero Iacob, cui pro ingenti crimine quatuor obijciuntur uxores, generali proloquutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia sunt enim peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præceptum. Quæ quum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus obijcitur sancto uiro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur: si mores, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc uero quur crimen est, si quis hoc faciat: nisi quia & moribus & legibus hoc non licet? Quæ duo si quis contempserit, etiam si tantummodo causa generandi uti possit fœminis pluribus, peccat tamen,

& ipsam

& ipſam uiolat humanam ſocietatem,cui neceſſaria eſt propagatio filiorum. Sed quia homines aliter ſe habentibus iam moribus & legibus, non poſſunt delectari uxorum multitudine,niſi libidinis magnitudine: ideo errant, & putant omnino haberi non potuiſſe uxores multas,niſi flagrantia concupiſcentiæ carnalis & ſordidæ uoluptatis. Comparantes enim non alios,quorum uirtutem animi prorſus noſſe non poſſunt, ſed ſicut ait Apoſtolus, ſemetipſos ſibimetipſis non intelligunt: & quia ipſi,etiam ſi unam habuerint, ad eãdem non ſolum generandi officio ducti uiriliter accedunt, ſed ſæpe coeundi ſtimulo uicti eneruiter pertrahuntur. Sicut ergo ſancti apoſtoli auditoribus admirantibus doctrinam ſuam condelectabantur,non auiditate conſequẽdæ laudis,ſed charitate ſeminandæ ueritatis: ita ſancti patriarchæ coniugibus excipientibus ſemen ſuum miſcebantur, non concupiſcentia percipiendæ uoluptatis,ſed prouidentia propagandæ ſucceſſionis. Nam & illud quod mendaciſſima criminatione Fauſtus obiecit, habuiſſe inter ſe uelut quatuor ſcorta certamen, quæ nam eum ad concubitum raperet: ubi hoc legerit, neſcio: niſi forte in corde ſuo,tãquam in libro nefariarum fallaciarum, ubi uere ipſe ſcortabatur: ſed cum ſerpente illo,de quo Apoſtolus timebat eccleſiæ, quam uirginem caſtam cupiebat uni uiro exhibere Chriſto: ne ſicut Euam deceperat aſtutia ſua, ſic & illorum mentes à Chriſti caſtitate auertendo corrumperet. Ita enim huic ſerpenti amici ſunt iſti, ut eum præſtitiſſe,potius quàm nocuiſſe contendant. Ipſe planè Fauſti perſuaſit pectori adulterato, falſitatis ſemina infundens, ut has male conceptas calumnias ore immundiſſimo pareret, & ſtylo audaciſſimo etiam memoriæ commendaret. Nulla enim ancillarum uirum Iacob ab altera rapuit, nulla de illius concubitu cum altera litigauit. Ideo magis ordo erat,quia libido non erat:& tanto firmius coniugalis ſeruabantur poteſtatis iura, quanto caſtius uitabatur carnalis cupiditatis iniuria. Quod enim & ab uxore conducitur, ibi uera noſtra manifeſtatur aſſertio: ibi pro ſe aduerſum maledicta Manichæorum ipſa ueritas clamat. Quid enim opus erat,ut eum altera cõduceret:niſi quia ordo alterius erat,ut ad eam maritus intraret? Neq; enim ad aliam unquam acceſſiſſet,niſi eum conduxiſſet. Sed utiq; iuſtis ad eam uicibus accedebat, de qua tot filios procreauerat, & cui obedierat,ut etiam de ancilla procrearet,& de qua poſtea non conducente procreauit. Sed tunc Rachel noctem habebat in ordine, ut maneret cum uiro:tunc penes eam poteſtas illa erat, de qua Apoſtolus, uox certe noui teſtamenti, non tacuit dicens, Similiter & uir non habeat poteſtatem ſui corporis,ſed mulier. Ideo iam cum ſorore pacta erat:cui facta debitrix,eam traderet ad debitorem ſuum. Nam hoc nomine id appellat Apoſtolus, Uxori, inquit, uir debitum reddat. Cui ergo uir debitor erat, iam acceperat à ſorore quod elegerat uoluntate,ut ei daret,quod habebat in poteſtate. Hic uero ille, quem Fauſtus tanquam impudicum, clauſis,uel potius extinctis oculis crimi-

lis criminatur, si concupiscentiæ, non iustitiæ seruus esset, nonne per totum diem in uoluptatem illius noctis æstuaret, qui erat cum pulchriore cubiturus, quam certe amplius diligebat, & pro qua bis septenarium annorum laborem gratuitum impenderat. Quum ergo iam die peracto in eius iret amplexus, quando inde auerteretur, si talis esset qualem Manichæi nihil intelligentes opinantur? nonne placito contempto mulierum intraret potius ad speciosam, quæ illi noctem ipsam non solum coniugis more, uerumetiam ordinis iure debebat, uteretur&#; potius ipse potestate maritali: quia & uxor non habet potestatem sui corporis, sed uir: & pro eo tunc seruitutis illarum uicissitudo fiebat. Coniugali ergo potestate multo uincibilius uteretur, si formæ desiderio uinceretur: sed eo meliores fœminæ inuenirentur, si illæ pro cõcipiendis filijs, ipse autem pro concubitu suo & uoluptate certaret. Itaq; uir temperantissimus, ut planè uir: quia tam uiriliter fœminis utebatur, ut delectationi carnali non subijceretur, sed dominaretur: magis quid deberet, quàm quid ei debebatur, attendit. Nec ad propriam uoluntatem sua potestate abuti uoluit, sed illius debiti redditor, quàm exactor esse maluit. Vnde & cõsequens erat, ut ei redderet, quam pro se, ut id acciperet, illa cui debebatur elegit. Qũo earum placito comperto pactoq;, quum repente atq; inopinate à pulcherrima coniuge reuocaretur, & ad minus decoram uocaretur, non ira incanduit, non tristitia nubilatus est, non eneruiter blandus, ut sibi potius Rachel noctem redderet, inter ambas sategit. Sed maritus iustus & prouidus pater, quum illas prolis cũram gerere uideret, & ipse nihil aliud de concubitu quæreret, earum uoluntati obtemperãdum iudicauit, quæ sibi sigillatim filios optabant, sibi nihil minui cui ambæ pariebant, tanquam diceret, Vobis inter uos ut uultis cedite atq; cõcedite, quæ nam uestrum fiat magis mater: ego quid contendam, quando siue inde siue inde nascenti non erit alius pater? Hanc profecto modestiam, hanc concupiscentiæ coercitationẽ, & in commixtione corporum coniugalium solũm appetitum posteritatis hũmanæ, ut erat acutus Faustus in illis literis & intelligeret & laudaret, nisi eius ingeniũ detestabili secta deprauatum & quid reprehenderet quæreret, & unam nuptialis copulationis honestatem maris & fœminæ, qua liberorum procreãdorum causa copulantur, crimen maximum reputaret. Nunc iam defensis patriarchæ moribus, refutatoq; crimine quod nefarius error obiecit, de reliquo ut possumus mysteriorum secreta rimemus: pulsemus fidei pietate, ut nobis aperiatur à domino, quid rerum figurauerint quatuor istæ uxores Iacob, quarũm duæ liberæ, & duæ ancillæ fuerunt. Videmus enim Apostolum in libera & ancilla, quas habuit Abraham, duo testamenta intelligere: sed ibi una & una facilius apparet, quod dicitur, Hic autem duæ sunt & duæ. Deinde ibi ancillæ filius exhæredatur, hic uero ancillarum filij simul cum filijs liberarum terram promissionis accipiunt. Vnde hic proculdubio aliquid aliud significatur. Quanquam enim duas liberas uxores Iacob ad nouum testamentum, per quod in libertatem

libertatem uocati ſumus, exiſtimem pertinere: non tamen fruſtra duæ ſunt, niſi forte quia id quod in ſcripturis aduerti & inueniri poteſt, duæ uitæ nobis in Chriſti corpore prædicantur: una temporalis, in qua laboramus: alia æterna, in qua delectationem dei contemplamur. Iſtam dominus paſſione, illam reſurrectione declarauit. Admonet nos ad hoc intelligendum, illarum etiam nomina fœminarum. Lia enim interpretatur Laborās: Rachel autem Viſum principium, ſiue Verbum, ex quo uidetur principium. Actio ergo humanæ, mortaliſq; uitæ, in qua uiuimus ex fide, multa laborioſa opera faciētes, incerti quo exitu proueniant, ad utilitatem eorum quibus conſulere uolumus, ipſa eſt Lia prior uxor Iacob, ac per hoc & infirmis oculis fuiſſe commemoratur. Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Spes uero æternæ contemplationis dei, habens certam & delectabilem intelligentiam ueritatis, ipſa eſt Rachel, unde etiā pulchra facie & pulchra ſpecie. Hanc enim amat omnis pie ſtudioſus, & propter hanc ſeruit gratiæ dei, qua peccata noſtra & ſi fuerint ſicut phœnicium, tanquam nix dealbabuntur. Laban quippe interpretatur Dealbatio, cui ſeruiuit Iacob pro Rachel. Neq; enim ſe quiſq; conuertit ſub gratia remiſſionis peccatorū ſeruire iuſtitiæ, niſi ut quiete uiuat in uerbo, ex quo uidetur principium, quod eſt deus. Ergo propter Rachel, non propter Liam ſeruitur. Nam quis tandem amauerit in operibus iuſtitiæ laborem actionū atq; paſſionum, quis eam uitam propter ſeipſam expetiuerit, ſicut nec Iacob Liam? Sed tamen ſibi nocte ſuppoſitam in uſum generandi, amplexus & fœcunditatem illius expertus eſt. Dominus enim eam, quia per ſeipſam diligi non poterat, primo ut ad Rachel perueniretur, tolerari fecit: deinde propter filios commendauit. Ita enim unuſquiſq; utilis dei ſeruus ſub dealbationis peccatorum ſuorum gratia cōſtitutus, quid aliud in ſua conuerſatione meditatus eſt, quid aliud in corde geſtauit, quid aliud in corde adamauit, niſi doctrinam ſapientiæ? quam pleriq; ſe adepturos & percepturos putant ſtatim, ut ſe in ſeptem præceptis legis exercuerint, quæ ſunt de dilectione proximi, ne cuiquam homini noceatur: id eſt, Honora patrem & matrem, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces uxorem proximi tui, Non concupiſces rem proximi tui. Quibus quantum potuerit obſeruatis, poſtea quàm pro cōcupita & ſperata pulcherrima delectatione doctrinæ, per tentationes uarias quaſi per huius ſeculi noctem, tolerantiæ laboris adhæſerit: uelut pro Rachel, Liæ inopinate coniungitur: & hanc ſuſtinet, ut ad illam perueniat, ſi perſeueranter amat, acceptis alijs ſeptem præceptis: ac ſi dicatur, Serui alios ſeptem annos pro Rachel: ut ſit pauper ſpiritu, mitis, lugens, eſuriens, ſitienſq; iuſtitiam, miſericors, mundicordis, pacificus. Vellet enim homo, ſi fieri poſſet, ſine ulla tolerantia laboris, quæ in agendo patiendoq; amplectenda eſt, ſtatim ad pulchræ atq; perfectæ ſapientiæ delicias peruenire: ſed hoc non poteſt in terra morientium. Hoc enim ſignificare uidetur quod dictum eſt ad Iacob, Non

eſt moris

est moris in loco nostro, ut minor nubat prius q̃ maior: quia nõ absurde maior appellatur, quæ tempore prior est. Prior est autem in recta hominis eruditione, labor operandi quæ iusta sunt, quàm uoluntas intelligendi quæ uera sunt. Ad hoc ualet quod scriptum est, Concupisti sapientiam, serua mandata, & dominus præbebit illam tibi. Mandata utiq; ad iustitiam pertinentia, iustitiã quæ ex fide est, quæ inter tentationum incerta uersatur: ut pie credendo quod nondum intelligit, etiam intelligentiæ meritum consequatur. Quantum enim ualet, quod modo commemoraui esse scriptum, Concupisti sapientiam, serua mandata, & dominus præbebit illam tibi: tantum & illud ualere arbitror, Nisi credideritis, non intelligetis: ut iustitia ad fidem, ad sapientiam uero intelligentia pertinere monstretur. Proinde in his qui flagrant ingenti amore perspicuæ ueritatis, non est improbandũ studium, sed ad ordinem reuocandum: ut à fide incipiant, & bonis moribus nitantur peruenire quò tendunt. In eo quippe quod aduersatur, uirtus est laboriosa: in eo uero quod appetitur, luminosa sapientia. Quid opus est, inqt, credere? quid non mihi ostenditur manifestũ aliquod uerbum, quo uideam rerum omnium scientiæ principium? Id enim est, in quod maxime ac primitus inardescit, si uel studiosus est animus rationalis. Cui respondeatur, Pulchrum est quidem quod desideras, & amari dignissimum: sed prius nubit Lia, & postea Rachel. Ardor ergo iste ad id ualeat, ut ordo non recusetur, sed potius toleretur: quum autem peruentum fuerit, simul habebitur in hoc seculo, non solum speciosa intelligẽtia, sed etiam laboriosa iustitia. Quàlibet enim acute, synceriterq; cernatur à mortalibus incommutabile bonũ, adhuc corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitãtem. Ad unum ergo tenendum, multa ferenda sunt. Itaq; duæ sunt uxores Iacob liberæ, ambæ quippe sunt filiæ remissionis peccatorum, hoc est dealbationis, quod est Laban. Verum tamen una amatur, & altera toleratur. Sed quæ toleratur, ipsa prius & uberius fœcundatur: ut si non propter seipsam, certe propter filios diligatur. Labor enim iustorum, maximũ fructum habet, in eis quos regno dei generant, inter multas tentationes & tribulationes prædicando euangelium: & eos propter quos sunt, in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: propter quos habent foris pugnas, intus timores, gaudium & coronam suam uocant. Nascũtur autem eis facilius atq; copiosius ex illo sermone fidei, quo prædicant Christum crucifixum, & quicquid humanitatis eius citius humana cogitatione percipitur, & infirmos etiam Liæ oculos non perturbat. Rachel autẽ clara aspectu mente excedit deo, & uidet in principio uerbum deum apud deum, & uult parere & non potest: quia generationem eius quis enarrabit? Proinde uita quæ studio contemplationis competit, ut ea quæ carni sunt inuisibilia, non infirmis oculis mentis, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciat, & sempiternã dei uirtutem ineffabiliter cernat, uacare uult ab omni negotio, & ideo sterilis: affectãdo quippe otium, quo stu

dia contemplationis ignescunt, non cōtemperatur infirmitati hominum, qui in uarijs pressuris sibi desiderant subueniri. Sed quia & ipsa procreandi charitate inardescit, uult docere quod nouit. Neq; enim inuidia tabescit, quū uidet sororem labore agendi atq; patiendi filijs abundantem: sed dolet potius currere homines ad eam uirtutē, qua eorum infirmitatibus necessitatibusq; consulitur, quàm ad illam unde diuinum & incōmutabile aliquid discitur. Hic dolor figuratus uidetur in eo quod scriptū est, Et zelauit Rachel sororem suam. Proinde quia liquidus purusq; intellectus, de illa substantia quæ corpus non est, ad carnis sensum nō pertinet, & uerbis carne editis exprimi nō potest: elegit doctrina sapientiæ per quaslibet corporeas imagines & similitudines, utcunq; cogitanda insinuare diuina, quàm ab officio talia docendi cessare: sicut elegit Rachel ex uiro suo & ancilla suscipere filios, quàm sine filijs omnino remanere. Bala quippe interpretari dicitur Inueterata. Hanc habuit ancillam Rachel. De ueteri quippe uita carnalibus sensibus dedita corporeæ cogitātur imagines: etiam quum aliquid de spiritali & incommutabili substantia diuinitatis auditur. Suscepit & Lia de ancilla sua filios, amore numerosioris prolis accensa. Inuenimus autem Zelpham eius ancillā interpretari, os hians. Quapropter ad prædicatores fidei euangelicæ, quorum os hiat, & cor non hiat, quum in scripturis aduerterimus, hæc intelligit̃ ancilla Liæ. Scriptū est enim de quibusdam, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Et talibus Apostolus dicit, Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis. Verumtamen ut etiam per hanc conditionem libera illa uxor Iacob laborans filios hæredes regni suscipiat, ideo dominus dicit, Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Vnde in labore uinculorū uita apostolica: siue, inquit, occasione, siue ueritate, Christus annunctietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo: tanquam & ancilla pariente de prole numerosiore. Lætatus est quidē Liæ affectus ex beneficio Rachel editus, quū uirum suum secum debita nocte cubiturum, acceptis à filio Liæ mādragoricis malis cum sorore cubitare permisit. De hoc autē pomi genere opinari quosdam scio, quod acceptum in escam sterilibus fœminis fœcunditatem paret: ac per hoc putant omnimodo institisse Rachel, ut hoc à filio sororis acciperet cupiditate pariendi. Quod ego non arbitrarer, nec si tunc concepisset: nunc uero quū post Liæ duos alios ab illa nocte partus dominus ei prolem donauerit, nihil est quur de mandragora tale aliquid suspicemur, quale in nulla fœmina experti sumus. Dicam ergo quid sentiam, dicāt hinc fortè meliora doctiores. Quum enim hæc mala ipse uidissem, & propter istū ipsum sacræ lectionis locum, id mihi obtigisse gratularer, rara enim res est: naturam eorum diligēter quantum potui perscrutatus sum, non aliqua à cōmuni sensu remotiori scientia, quæ docet uirtutes radicum, & potestates herbarum, sed quātum mihi & cuilibet homini renūtiabat uisus, & olfactus, & gustus. Proinde rem comperi pulchram, & suaue olentem, sapore autem insipido: & ideo quur eam mulier

tantopere

tantopere concupiuerit ignorare me fateor: nisi fortè propter pomi raritatem & odoris iocunditatem. Quur uero ipsam rem gestam sancta scriptura tacere noluerit, quæ non utiq; talia desideria muliercularum, nobis pro magno insinuare curaret, nisi aliquid in eis magnum quærere cómoneret: nihil amplius conijcere ualeo, quàm quod ex illo cómuni sensu mihi suggeritur: ut illo mandragorico pomo figurari intelligam famam bonam, non eam quæ confertur quum laudant hominem pauci iusti atq; sapientes, sed illam popularem, qua etiam maior & clarior notitia comparatur: non ipsam per sese expetendã, sed intentioni bonorum, qua generi humano cósulunt, pernecessariam. Vnde dicit Apostolus, Oportet etiam testimoniũ habere bonũ ab eis qui foris sunt. Qui licet parum sapiant, reddunt tamẽ plerumq; labori eorum, per quos sibi consulitur, & splendorẽ laudis, & odorem bonæ opinionis. Nec ad istam gloriam popularem primi perueniunt eorum qui sunt in ecclesia, nisi quicũq; in actionum periculis & labore uersantur. Propterea Liæ filius mala mãdragorica inuenit exiens in agrum, id est, honeste ambulans ad eos qui foris sunt. Doctrina uero illa sapientiæ, quæ à uulgi strepitu remotissima in contemplatione ueritatis dulci delectatione defigitur, hanc popularem gloriam qũantulancunq; non assequeretur, nisi per eos qui in medijs turbis agẽdo ac suadendo populis præsunt: non ut præsint, sed ut prosint: quia dum isti actuosi & negotiosi homines, per quos multitudinis administratur utilitas, & quorum autoritas populis chara est, testimoniũ perhibent: etiam remotiori uitæ propter studium conquirendæ & cótemplandæ ueritatis, otiose quodammodo mala mandragorica per Liam ueniunt ad Rachel. Ad ipsam uero Liam per filium primogenitũ, id est, per honorem fœcunditatis eius, in qua est omnis fructus laboriosæ atq; inter incerta tentationum periclitantis actionis: quam pleriq; bono ingenio præditi, studioq; flagrantes, quamuis idonei regendis populis esse possint, tamen uitant propter turbulentas occupationes: & in doctrinæ otio, tanquam speciosæ Rachel fruuntur amplexibus. Sed quia bonum est, ut etiam hæc uita làtius innotescens popularem gloriam mereatur: iniustum est autem ut eam consequatur, si amatorem suum administrandis ecclesiasticis curis aptum & idoneum in otio detinet, nec gubernationi communis utilitatis impartit: propterea Lia sorori suæ dicit, Parum est tibi, quod uirum meum accepisti, insuper & mandragoras filij mei uis accipere: per unum uirum significans eos omnes, qui quum sint agendi uirtute habiles, & digni quibus regimen ecclesiæ committatur ad dispensandũ fidei sacramentum: illi accensi studio doctrinæ, atq; indagandæ & contemplandæ sapientiæ, se ab omnibus actionum molestijs remouere, atq; in otio discendi atq; docendi recondere uolunt. Ita ergo dictum est, Parum est tibi quod accepisti uirum meum, insuper & mandragoras filij mei uis accipere: ac si diceretur, Parum est quod homines fauore rerum gerendarum necessarios in otio detinet uita studiosorum, insuper & popularem gloriam requirit. Proinde ut eam iuste comparet,

impartit Rachel uirũm suum sorori suæ illa nocte: ut scilicet qua uirtute laboriosa regimini populorum accommodati sunt, etiam si scientiæ uacare deligerent, suscipiant experientiam tentationum curarumq́ sarcinam pro utilitate cõmuni: ne ipsa doctrina sapientiæ, cui uacare statuerunt, blasphemetur, neq́ adipiscatur ab imperitioribus populis existimationem bonam, quod illa poma significant, & quod necessarium est ad exhortationem discentium. Sed plane ut hanc curam suscipiant, ui cogũtur: satis & hoc significatum est, quod quum ueniret de agro Iacob, occurrit ei Lia, eumq́ detinens ait, Ad me intrabis, conduxi enim te pro mandragoris filij mei: tanquam diceret, Doctrinæ quam diligis uis conferre bonam opinionem, noli defugere officij laborem. Hæc in ecclesia geri, quisquis aduerterit, cernit. Experimur in exemplis, quod intelligimus in libris. Quis non uideat geri toto orbe terrarum, uenire omnes ab operibus seculi, & ire in otium agnoscendæ ueritatis, tanquã in amplexum Rachel: & excipi de transuerso ecclesiastica necessitate, atq́ ordinari in labore tanquam Lia dicente, Ad me intrabis: quibus caste mysterium dei dispensantibus, ut in huius seculi nocte deo generent filios dei, laudantur à populis etiam in illa uita, cuius amore cõuersi spem seculi reliquerunt, & ex cuius professione ad ministerium regendæ plebis assumpti sunt. Id enim agunt in omnibus laboribus suis, ut illa professio à qua se conuerterant, quia tales rectores populis dedit, latius & clarius glorificetur: tanquam Iacob non recusante noctem Liæ, ut Rachel pomis suaue olentibus & clare nitentibus potiatur: quæ aliquãdo & ipsa præstante misericordia dei, per seipsam parit, uix tandẽ quidem: quia perrarum est, ut, In principio erat uerbum, & uerbũ erat apud deum, & deus erat uerbum: & quicquid de hac re sapiẽter dicitur, sine phantasmate carnalis cogitationis & salubriter uel ex parte capiatur. Sequitur, Da mihi uxores & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, ut abeam. Tu nosti seruitutem qua seruiui tibi. Ait ei Laban, Inueniã gratiam in conspectu tuo. Experimẽto didici, quod benedixerit mihi deus propter te. Constitue mercedem tuam, quã dem tibi. At ille, Tu nosti, inquit, quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequàm uenirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitq́ tibi deus ad introitum meum.) Satis aduertendum est & notandus scripturarum sensus, ne quum ita quisq́ loquutus fuerit, quasi gloriari uideatur. Multum enim interest, quod adiecit, Benedixit te deus in introitu meo. Ingressum enim uoluit intelligi, gratias hinc agens deo. Sequitur, Dixitq́ Laban, Quid dabo tibi? At ille ait, Nihil uolo. Sed si feceris quod postulo, iterum pascam & custodiã pecora tua. Gira omnes greges tuos, & separa cunctas oues uarias & sparso uellere: & quodcunq́ fuluũ & maculosum uariumq́ fuerit, tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea. Respondebitq́ mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te: & omnia quæ non fuerint uaria & maculosa & fulua, tam in ouibus, quàm in capris furti me arguent. Dixitq́ Laban, Gra

De mercede Iacob V

tum

tum habeo quod petis. Et separauit in die illo capras & oues & hircos & arietes uarios & maculosos: cunctum autem gregem unius coloris, id est albi & nigri uelleris tradidit in manus filiorum suorum, & posuit spatium itineris inter generum & se dierum trium, qui pascebat reliquos greges eius. Tollens ergo Iacob uirgas populeas uirides & amygdalinas & ex platanis ex parte decorticauit eas, detractisq; corticibus in his quæ spoliata fuerant candor apparuit: illa uero quæ integra erant, uiridia permanserunt, atq; in hunc modum color effectus est uarius. Posuitq; eas in canalibus ubi effundebatur aqua, ut quum uenissent greges ad bibendum, ante oculos haberent uirgas, & in aspectu earum conciperent, Factumq; est in ipso calore coitus, ut oues intuerētur uirgas & parerent maculosa & uaria, & diuerso colore sparsa.) In facto Iacob quod uirgas excorticauit, detrahens ut album uarie appareret, sic in conspectu fœtus pecorum uariarentur, quum matres in alueis aquarum biberent, & uisis uirgis illam uarietatem cōciperent: ut ex duplici desiderio dum auide bibunt, & ascenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales umbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Ex uirgis enim in canalibus positis, uarius erat etiam imaginū color. Nec mirum hanc in conspectu fœminarū esse naturam, ut quales perspexerint, siue mente conceperint, in extremo uoluptatis æstu quæ concipiunt, talem sobolem procreent: quum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri. Multa dicuntur similiter fieri in animalium fœtibus, & Quintilianus in ea controuersia in qua accusabatur matrona, quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentatur, hanc concipientium esse naturam quam supra diximus. Sed & mulieri accidisse traditur, & scriptum reperitur in libris antiquissimi & peritissimi medici Hippocratis, quod suspicione adulterij fuerat punienda, quum pulcherrimū peperisset utriq; parenti generiq; dissimilem, nisi memoratus medicus soluisset quæstionē, illos admonens quærere, ne fortè aliqua talis pictura esset in cubiculo. Qua inuenta, mulier à suspicione liberata est. Sed ad hanc rem quam fecit Iacob, uirgarum ex diuersis arboribus trium copulatio quid cōtulerit utilitatis, quod attinet ad uarias pecudes multiplicandas, non apparet omnino: nec aliquid ad hoc cōmodi interest, utrum ex unius generis ligno uarientur uirgæ, an plura sint lignorum genera, quum sola quæratur lignorum uarietas. Ac per hoc cogit inquiri prophetiam aliquam res ista, quam sine dubio ut propheta fecit Iacob, & ideo nec fraudis arguendus est. Non enim tale aliquid, nisi reuelatione spiritali eum fecisse credendum est. Virgæ populeæ & amygdalinæ siue ex platanis, testimonia intelligenda sunt ex lege atq; prophetis & agiographis, quæ dominus noster ex parte decorticauit, & ex parte in proprio colore dimisit. Decorticauit enim quum dicit, Scriptum est oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico uobis, non reddere aduersario omnino talionem: uel quum interrogatus à Iudæis, si deberet uxorem quis iuxta præceptum Moysi quacunq; ex causa

 dimittere,

dimittere:respondisse scribitur,ad duritiam cordis eorum fuisse à Moyse præceptum:nam ab initio non ita fuisse. & iterum,Scriptũ est enim,diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicũ tuum:ego aũt dico uobis,orate pro inimicis uestris,& benefacite his qui uos persequũtur:& cætera.Hunc enim uersiculum ex parte decoriare uisus est,quũ dicit,debere diligi inimicũ:ex parte uero in proprio colore dimisit,illud uidelicet quod de diligẽdo proximo ante præmisit.Oues enim accipiẽdi sunt ij,qui ad fidem ueniunt Christi:arietes uero, beati intelligẽdi sunt apostoli,seu ecclesiarũ ministri:canales aũt aquarũ,euangeliorũ accipiendi sunt libri:uirgæ uero testimonia sunt ueteris testamẽti,quæ euangelijs contexta noscũtur.Primũ aũt tempus cõceptionis,aut pentecostes accipiẽdus est dies,in qua per prædicationem apostolorũ,uelut primitiui tria millia uirorũ scribuntur simul concepisse diuinũ sermonem: aut certe tempus accipiendũ est quadragesimæ aut paschæ,in quo pœnitentibus & catechumenis iuxta intelligentiæ illorum mensurã,aut spiritaliter scripturarũ testimonia proferuntur,aut certe secundũ historiæ textũ:utrisq; uidelicet apta,ex quibus ualeant auditu concipere,& fructus bonorũ operum procreare. Decorticãtur enim simul uirgæ,quum scripturarũ testimonia,quæ secundum historiam nequaquã stare uidentur,spiritaliter à sacerdotibus explanantur,ut de lepra parietis & pelliculæ staminis & subtegminis in Leuitico scriptum est.Quod autem pro mercede sua Iacob uarium & fuluum siue maculosum tam in ouibus quàm in capris sibi dicit dari,hoc significat,quod in euangelio scribis & phariseis legitur respondisse:non ueni uocare iustos, sed peccatores in pœnitentiã. Quod uero ait,Respõdebit mihi cras iustitia mea,iudicij tẽpus indicat:quando fidelibus redditurus est beatitudinis sempiternã mercedem,& infidelibus ac prẹuaricatoribus pœnarum illaturus est ultionem.Intellectus sacri eloquij inter textum & mysteriũ tanta est libratione pẽsandus, ut utriusq; partes lance moderata,hinc neq; nimiæ discussionis pondus deprimat,neq; rursum torpor incuriæ uacuum relinquat. Multæ quippe eius sententiæ iuxta allegoriarum conceptionem sunt grauidæ,ut quisquis eas ad solam historiã tenere nititur, earum notitia per suam incuriam priuetur. Nonnulli uero ita exterioribus præceptis inseruiunt, ut si qui ea subtilius penetrare uoluerint, intus quidem nihil inueniant,sed hoc sibi etiã quod foris loquũtur,abscondant. Vnde bene quoq; narratione historica per significationẽ dicitur,Tollens Iacob uirgas populeas uirides & amygdalinas & ex platanis,ex parte decorticauit eas: & reliqua.Quid est uirgas uirides & amygdalinas & ex platanis ante oculos gregum ponere,nisi per scripturarum seriem antiquorũ patrum uitas atq; sententias in exemplum populis præbere? Quæ nimirũ quia iuxta rationis examen rectæ sunt,uirgæ nominantur.Quibus ex parte corticem subtrahit,ut in his quæ expoliantur intimus candor appareat: & ex parte corticem seruat,ut sicut fuerant exterius in uiriditate permaneant:uariusq; uirgarum color efficitur,dum cortex ex parte subtrahitur & ex parte retinetur.Ante cõsiderationis

enim nostræ oculos,præcedentiũ patrum sententiæ quasi uirgæ uariæ ponuntur. In quibusdam plerũq; intellectũ literæ fugimus,& quasi corticem subtrahimus:& dum plerũq; intellectũ literæ sequimur,quasi corticem reseruamus: dumq́; ab ipsis cortex literæ subducitur,allegoriæ candor interior demonstratur:& dum cortex relinquitur,exterioris intelligentiæ uirentia exempla monstrantur. Quas bene Iacob in aquæ canalibus posuit, quia & redẽptor noster in libris eas sacræ scientiæ,quibus nos intrinsecus infundimur,fixit. Aspicientes arietes,cũ ouibus coeunt:quia rationales nostri spiritus,dum in earũ intentione defixi sunt,singulis quibusq; actionib. permiscentur:ut tales fœtus operum procreent,qualia exẽpla præcedentiũ in uocibus præceptorũ uidẽt, & diuersum colorẽ proles boni operis habeãt: quia & nonnunq; subtracto literæ cortice,altius interna cõsiderat:& reseruato nonnunq; historiæ tegmine,bene se in exterioribus format. Igitur quando primo tẽpore ascẽdebant oues,ponebat Iacob uirgas in canalibus aquarũ ante oculos arietũ & ouium,ut in earum contẽplatione conciperent:usq; in eum locũ ub ,mutasti mercedẽ meam decem uicibus.) Hoc enim quãdo & quomodo factũ sit,scriptura non narrat: sed utiq; factũ est quod iste cõmemorat. Nam dixit & hoc uxorib. suis,quando eas uocauit in campo. Conquerẽs enim de patre illarũ,ait inter cætera, Et mutauit mercedẽ meam decem uicibus:siue decem agnorũ. Intelligitur ergo per singula tempora partus ouium,quũ uideret Laban tales fœtus esse natos quales placuerat ut ad Iacob pertinerẽt,fraude pactũ mutasse:& dixisse,ut futuro fœtu alios pecudũ colores in mercede haberet Iacob. Quũ aũt ille uirgas uarias nõ supponebat,nõ nascebãtur uarij,sed unius coloris,quæ Iacob ex nouo pacto auferebat. Quod quũ uidisset Labã, rursum pactũ fraude mutauit, ut ad Iacob uariæ pertinerẽt. Tunc illarum suppositione uirgarũ,uaria nascebantur. Ergo quod ait Iacob uxorib. suis,Mutauit mercedẽ meam decem uicibus:& postea ipsi Labã similiter:nõ ita dixit,quasi prouenerit socero eius ipsa fraus:ut enim ei nõ proueniret,deum sibi dixit aduersũ illum adfuisse. Decem uero uices pro decem tẽporibus posuit,quibus oues quas pascebat per sexenniũ pepererunt:bis quippe pariebant in anno. Contigerat enim ut primo anno quo inter se pacti sunt, & ad eas pascẽdas placito huius mercedis accessit, semel parerent in fine anni:quia quum accessit,iam semel pepererãt: rursusq́; sexto anno,id est ultimo,quũ semel peperissent, exorta necessitate profectionis,prius recederet,q̃ iterum parerent:ac per hoc quũ primus annus atq; ultimus,duos ouiũ partus sub illo haberent,hoc est singulos,medij uero quatuor anni binos,fiunt omnes decẽ. Nec mirũ quod hæc decẽ tẽpora nomine uicissitudinũ appellauit,quia ijsdẽ temporibus nascebãtur: uelut si quisq; dicat,per tot uindemias aut tot messes,quib. intelligat᷑ numerus annorũ. Pecudum aũt illius regionis fœcũditas,sicut Italicarũ tãta fertur,ut bis in anno pariãt. Seqt᷑,

CA. XXXI De reditu Iacob in terram Chanaan VI

SVRREXIT itaq; Iacob,& impositis liberis & coniugibus super camelos abijt,tulitq́; omnem substantiam & greges,& quicquid in Mesopotamia

acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum ad terram Chanaan. Eo tempore Laban ierat ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui. Noluitq; Iacob confiteri socero suo quod fugeret. Quumq; abijsset tam ipse, quàm omnia quæ iuris eius erant, & amne transmenso pergeret contra montem Galaath.) Non quod eo tēpore Galaath mons diceretur, sed per anticipationē, ut frequenter diximus, illo uocatur nomine quo postea nuncupādus est. Nuntiatū est Laban die tertio quod fugeret Iacob. Qui assumptis fratribus suis, persequutus est eum diebus septem, & comprehēdit eum in monte Galaath, uiditq; in somnis dicentem sibi deum, Caue ne quicquam aspere loquaris contra Iacob. Iamq; Iacob extenderat in monte tabernaculū, quando ille consequutus est eum cum fratribus suis. In eodem monte fixit tentorium, & dixit ad Iacob, Quur ignorante me fugere uoluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio & canticis & tympanis & citharis? Non es passus ut oscularer filios meos & filias? Stulte operatus es. Et nunc ualet quidem manus mea reddere tibi malum: sed deus patris tui heri dixit mihi, Caue ne loquaris cum Iacob quicquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio tibi erat domus patris tui, quur furatus es deos meos?) Notandum est, quod à principio libri nunc primum inuenimus deos gentium, superioribus quippe scripturæ locis deum nominabant. Sequitur, Tulit itaq; lapidem, & erexit illum in titulum.) Diligenter enim aduertēdum est, quomodo istos titulos in rei cuiusq; testimonio cōstituebant, non ut eos pro dijs colerent, sed ut in eis aliquid significaretur. Sequitur, Quem uocauit Laban, tumulus testis, & Iacob, aceruum testimonij: uterq; iuxta proprietatē linguæ suæ.) Traditur ab eis qui & Syram & Hebræam linguā nouerūt, propter proprietates suæ cuiusq; factū. Fieri enim solet, ut alia lingua non dicatur uno uerbo quod alia dicitur, & uicinitate significationis quidq; appelletur. Erat enim Labā Syrus, & antiquam linguam parentū prouinciæ in qua habitabat, sermone non mutauerat. Hoc enim medie positū est, quod utriq; conueniret: & ei qui dixerat, aceruus testimonij, & ei qui dixerat, tumulus testis. Sequitur, Intueatur dominus & iudicet inter nos, quando recesserimus à nobis, si afflixeris filias meas, & si introduxeris uxores alienas super eas. Nullus sermonis nostri testis est, absq; deo qui præsens respicit.) Quod dicit Labā, Nullus sermonis nostri testis est absq; deo, qui præsens respicit: nullus extraneorum præter testificationem dei, quem ita habere deberent, tanquā nemo cum eis esset, quem testimonio eius iungerent. Post longam igitur seruitutē quam Iacob apud socerum suum pro uxoribus uelut mercenarius sustinuit, præcepit ei dominus, ut reuerteretur in patriam suam: tunc ignorāte socero cum uxoribus & comitatu properauit. Laban autem cōsequutus est eum in montē Galaath cum furore, atq; idola quæ Rachel furata erat apud eū requisiuit, nec reperit. Quid igitur ipsum hoc sibi figuraliter uelit, inqramus. Dum Labā superius aliā gerat personam, nunc tamē diaboli typū figurat. Laban quippe interpretat᷑ dealbatio.

Dealbatio

Dealbatio autem diabolus non inconuenienter accipitur, qui quum sit ex merito tenebrosus, transfigurat se in angelum lucis. Huic seruiuit Iacob ex patre reproborum Iudaicus populus, ex cuius carne incarnatus dominus uenit. Potest etiam per Laban mũdus exprimi, qui cum furore Iacob persequitur: quia electos quosq;, qui redemptoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur. Huius filiam, id est, seu mundi, seu diaboli, Iacob abstulit: quũ sibi Christus ecclesiam ex gentilitate coniunxit, quam & de domo patris abstraxit: quia ei per prophetam dicit, Obliuiscere populũ tuum, & domum patris tui. Quid uero in idolis, nisi auaritia, designatur? Vnde per Paulum dicitur, Et auaritia quæ est idolorum seruitus. Laban ergo ueniens apud Iacob, idolum non inuenit: quia ostensis mundi thesauris diabolus, in redemptore nostro uestigia concupiscentiæ terrenæ non reperit. Sed quæ Iacob non habuit, ea Rachel sedendo cooperuit. Per Rachel quippe, quæ & ouis dicitur, ecclesia figuratur. Sedere autem, est humilitatem pœnitẽtiæ appetere: sicut scriptum est, Surgite postquàm sederitis. Rachel ergo idola sedẽdo cooperuit, quia sancta ecclesia Christũ sequens, uitium terrenæ concupiscentiæ per humilitatem pœnitentiæ cooperuit. De hac coopertione per prophetã Dauid dicitur, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Nos quidem Rachel illa significabat, qui idola sedendo premimus, si culpas auaritiæ pœnitendo damnamus. Quæ auaritiæ immũditia, non illos qui uiriliter currunt impedit, quibus dicitur, Viriliter agite & confortetur cor uestrum: sed hos maxime impedit, qui quasi effœminato gressu gradientes, per blandimenta seculi resoluuntur. Vnde illic eiusdem Rachelis hæc uerba sunt, Iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi: id est, quasi muliebria se habere innotuit. Laban autẽ postquàm persequutus esset Iacob, & inuenisset eum, & loquuti essent inter se inientes fœdus, tulit Iacob lapidem, & erexit illum in titulum. Dixitq; fratribus suis, Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, quem uocabat Laban, tumulus testis: & Iacob, aceruum testimonij.) Inter fideles enim tam Iudæos quàm gentes, testis est lapis eminens similitudine Christi, & aceruus lapidum, quod est turba credentium. Sequitur.

IACOB quoq; abijt itinere quo cœperat, fuerũtq; ei obuiam angeli dei. Quos quum uidisset, ait, Castra dei sunt hæc. Et appellauit nomen loci illius Manaim: id est, castra.) Castra dei quæ uidit Iacob in itinere, nulla dubitatio est quod angelorum fuerit multitudo. Ea quippe in scripturis, cœli militia nominatur. Pulchre ad fratrem iturus inimicum, angelorum se comitantium excipitur choris. Misit autem nuntios ante se ad Esau fratrem suum in regionem Edom, præcepitq; eis, dicens, Sic loquimini domino meo, Hæc dicit frater tuus Iacob, Apud Laban peregrinatus sum, & fui usque in præsentem diem. Habeo boues & asinos, oues & seruos atq; ancillas, mittoq; legationem ad dominum meum, ut inueniam gratiam in conspectu tuo. Reuersi sunt ad Iacob nuntij, dicentes, Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat in occursum

CA. XXXII De nuntijs Iacob ad Esau VII

occursum tuum cum quadringentis uiris. Timuit Iacob ualde, & perterritus diuisit populum qui secum erat, greges quoq; & oues & boues & camelos in duas turmas.) Quæri potest quomodo habuerit fidem promissionis dei, quandoquidem dixit, Si uenerit ad turmam primam frater meus, & percusserit eam, alia turma quæ reliqua est, saluabitur. Sed etiam hoc fieri potuit, ut auerteret castra eius Esau: & tamen deus post illam afflictionem adesset, ut liberaret eum, & quæ promisit, impleret. Et admonendi sumus hoc exemplo, ut quamuis credamus in deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis: ne prætermittentes ea, deum tentare uideamur. Deniq; post hæc quæ uerba dicat idem Iacob, considerandum est. Deus, inquit, patris mei Abraham, & deus patris mei Isaac, qui dixisti mihi, Reuertere in terrã tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & bene faciam tibi: minor sum cunctis miserationibus, & ueritate quã explesti seruo tuo: in baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior: erue me de manu fratris mei, quia ualde eum timeo, ne forte ueniens percutiat matrem cum filijs: tu loquutus es, quod bene faceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest.) Satis in his uerbis & humana infirmitas & fides pietatis apparet. Sequitur, Quumq; dormisset ibi nocte illa, separabat de his quæ habebat munera Esau fratri suo, capras CC, hircos uiginti, oues CC, arietes uiginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, uaccas quadraginta, & tauros uiginti, asinas uiginti, & pullos earum decem: & misit per manus seruorum suorum singulos seorsum greges. Dixitq; pueris suis, Antecedite me, & sit spatium inter gregem & gregem. Et præcepit priori, dicens, Si obuium habueris Esau fratrem meum, & interrogauerit te, cuius es? aut, quò uadis? & cuius sunt ista quæ sequeris? respondebis, Serui tui Iacob: munera misit domino meo Esau: ipse quoq; post nos uenit. Similiter mãdata dedit secundo ac tertio, & cunctis qui sequebantur greges, dicens, Iisdem uerbis loquimini ad Esau, quum inueneritis eum: & addetis, Ipse quoque seruus tuus, iter nostrum insequitur. Dixit enim, Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea eum uidebo: forsitan propitiabitur mihi. Præcesserunt itaque munera ante eum: ipse uero mansit nocte illa in castris. Dixit enim, Placabo uultum eius, in muneribus præcedentibus eum.) Scriptor libri narrat de Iacob, Dixit enim, Placabo uultum eius. Hucusque uerba Iacob dixisse intelligitur: cætera uero sua intulisse, quod ait, In muneribus præcedentibus eum: tanquam diceret, In muneribus quæ præcedebant Iacob, placabo uultum fratris mei. Ordo enim uerborum Iacob: Placabo uultum eius, & post hæc uidebo faciem eius, forsitan enim suscipiet faciem meam: interposita autem sunt uerba scriptoris, In muneribus præcedentibus eum. Sequitur, Quumq; mature surrexisset, tulit duas uxores suas & totidem famulas cum undecim filijs, & transiuit torrentem Iaboch: transductisq; omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus: & ecce uir luctabatur

cum eo

cũm eo usq; mane. Qui quum uideret, quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitq; ad eum, Dimitte me. iam enim ascendit aurora. Respondit, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo, Quod nomen est tibi? Respondit, Iacob. At ille, Nequaquã, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniã si contra deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Interrogauit eum Iacob, Dic mihi quo appellaris nomine? Respondit, Quur quæris nomen meum, quod est mirabile? Et benedixit eum in eodem loco. Vocauitq; Iacob nomen loci illius Phanuel, dicẽs, Vidi dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.) Sensus itaq; hic est: Non uocabitur nomen tuum supplantator, hoc est Iacob: sed uocabitur princeps cũ deo, hoc est Israel. Quomodo enim ego princeps sum, sic & tu qui mecũ luctare potuisti princeps uocaberis. Si autem mecum qui deus sum, siue angelus (quoniam pleriq; uarie interpretãtur) pugnare potuisti, quanto magis cum hominibus: hoc est, cum Esau, quem formidare non debes? Illud autem quod in libro nominum interpretatur, Israel, uir uidens deum, siue mens uidens deum, omniũ penè sermone detritum, non tam uere quàm uiolẽter mihi interpretatum uidetur. Quamuis igitur grandis autoritatis sint, & eloquẽtiæ ipsorum nos umbra opprimat, qui Israel, uirum siue mentem uidentem deum, transtulerunt: nos magis scripturæ, & angeli uel dei, qui Israel ipsum uocauit, autoritate ducimur, quàm cuiuslibet eloquentiæ secularis. Hoc autem nomen illi ab angelo impositum, qui cum illo fuit in itinere de Mesopotamia redeunte luctatus, typum Christi euidentissime gerit. Nam quod ei præualuit Iacob utiq; uolenti, ut mysteriũ figuraret, significat passionem Christi, ubi uisi sunt ei præualere Iudæi. Et tamẽ benedictionem ab eodem angelo quem superauerat, impetrauit: ac sic huius nominis impositio, benedictio fuit. Interpretatur autẽ Israel, princeps cum deo: siue ut alij uolunt, uir uidens deum: quod erit in fine, præmium sanctorum omnium. Tetigit porrò illi idem angelus, ueluti præualenti, latitudinem femoris: eumq; isto modo claudum reddidit. Erat itaq; unus atq; idem Iacob, & benedictus, & claudus: benedictus, in eis qui in Christũ ex eodem populo crediderunt, atq; in infidelibus claudus. Nam femoris latitudo, est generis multitudo. Plures quippe sunt in ea stirpe, de quibus prophetice prædictum est, & claudicauerunt à semitis suis. Sequitur,

LEVANS autem Iacob oculos, uidit uenientem Esau, & cum eo quadringentos uiros: diuisitq; filios Liæ & Rachel, ambarumq; famularum: & posuit utramque ancillam & liberos earum in principio, Liam uero & filios eius in secundo loco, Rachel autem & Ioseph nouissimos: & ipse progrediens adorauit pronus in terra septies, donec appropinquaret frater eius. Currens itaq; obuiam Esau fratri suo, amplexatus est eum, stringensq; collum & osculans, fleuit: leuatisq; oculis uidit mulieres & liberos eorum, & ait, Quid sibi uolunt isti, & si ad te pertinent? Respondit, Paruuli sunt, quos donauit mihi deus

Ca. XXXIII De congressu Iacob & Esau VIII

deus seruo tuo. Et appropinquantes ancillæ & filij earum, incuruati sunt. Accessit quoque Lia cum filijs suis, & similiter adorauerunt. Extremi Ioseph & Rachel adorauerunt. Dixitque Esau, Quæ nam sunt istæ turmæ quas obuiam habui? Respōdit, Vt inuenirem gratiam coram domino meo. Et ille ait, Habeo plurima frater mi, sint tua tibi. Dixitque Iacob, Noli ita facere, obsecro: sed si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manu mea. Sic enim uidi faciem tuam, quasi uiderem uultum angeli dei, siue uultum dei.) Quid sibi uult quod Iacob ait fratri suo, Propter hoc uidi faciem tuam, quēadmodum quum uidet aliquis faciem dei? utrum pauētis & perturbati animi uerba usque in hanc adulationem proruperunt? an secundum aliquem intellectū sine peccato dicta accipi possunt? Fortassis enim quia dicti sunt & gentium dij, quæ sunt dæmonia, non præiudicetur ex his uerbis homini dei. Non enim dixit, Quemadmodum si uiderem faciem dei: sed, Quum uidet aliquis. Ipse autem aliquis quem significare possit, incertum est. Atque ita fortasse temperata sunt uerba, ut & ipse Esau sibi delatum tantū honorem grate acciperet: & qui hæc etiam aliter intelligeret, eum à quo dicta sunt nullo crimine impietatis argueret: quod sibi benigno animo dicta hæc uerba fraterna sunt, quoniam & post bonam susceptionem, metus ipse trāsierat. Potuit & sic dici quemadmodum & Moyses Pharaoni deus dictus est, secundum quod dicit Apostolus, Et si sunt qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodum sunt dij multi & domini multi. maxime quia sine articulo in Græco dictum est, quo articulo euidentissime solet ueri dei unius fieri significatio. Non enim dixit, πρόσωπον τοῦ θεοῦ: sed dixit, πρόσωπον θεοῦ. Facile autem hoc intelligunt qua distantia dicatur, qui Græcum eloquium audire atque intelligere solent. Sequitur, Ait Esau ad Iacob, Gradiamur simul, & ero socius itineris tui. Dixit Iacob, Nosti domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues ac boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, moriētur una die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim uestigia eius, sicut uidero posse paruulos meos, donec ueniam ad dominum meum in Seir.) Hoc enim sicut scriptura diuina narrat, Iacob nōn fecit, ut ad Esau perueniret in Seir: sed eo perrexit itinere, quo dirigebat ad suos. An fortè ueraci animo promiserat, sed aliud postea cogitando elegit. Sequitur, Et Iacob uenit in Sochot, ubi ædificata domo, & fixis tentorijs, appellauit nomen loci illius Sochot, id est tabernacula: transiuitque Salem urbē Sycimorum, quæ est in terra Chanaā, postquàm reuersus est de Mesopotamia Syriæ, & habitauit iuxta oppidum, emitque partem agri, in quo fixit tabernacula, à filijs Emor patris Sichem, centum agnis: & erecto ibi altari inuocauit super illud fortissimum deum Israel.) Est autem usque hodie ciuitas trans Iordanem hoc uocabulo, id est Sochot, inter partes Scythopoleos. Et uenit Iacob Salem, ciuitatē Sichem, in terra Chanaan, quum uenisset de Mesopotamia Syriæ. Error oboritur quomodo Salem, Sichē ciuitas appelletur, quum

De aduētu Iacob in Sochot IX

Hieru-

Hierusalem in qua regnauit Melchisedech, Salem ante sit dicta. Aut enim unius nominis urbs utraq; est, quod etiam de pluribus Iudeę locis possumus inuenire, ut idem urbis & loci nomen in alia atq; alia tribu sit: aut certe istam Salem, quæ nunc pro Sichem nominatur, dicimus hic interpretatã Consummatam, atq; perfectam: & illam quæ postea Hierusalem dicta est, pacificam, nostro sermone transferri. Vtrumq; enim accentu paululũ declinato hoc uocabulum sonat. Sequitur,

EGRESSA est autem Dina filia Liæ, ut uideret mulieres regionis illius. Quam quum uidisset Sichem filius Emor Ethei princeps terræ illius, adamauit, rapuit, & dormiuit cum illa, ui opprimens uirginẽ, & conglutinata est anima eius cum ea, tristemq; blanditijs deliniuit: & pergens ad patrem suum ait, Accipe mihi puellam hanc coniugem.) Si iam cum illa dormierat, eamq; humiliauerat, quomodo postea uirginẽ uocat: nisi fortè uirgo nomen ætatis est secundum Hebræum eloquium? an potius per recapitulationem postea commemoratur, quod primo factũ est? Prius enim potuit intendere animę ipsius & adamare uirginem, & loqui secundum sensum uirginis: & deinde cum illa dormire, eamq; humiliare. Dina quippe ut mulieres uideat extraneæ regionis egreditur, quãdo unaquæq; mens sua studia negligens, actiones alienas curans, extra habitum atq; extra ordinẽ proprium euagatur. Quam Sichem princeps terræ uidit & adamauit: quia uidelicet inuentã in curis exterioribus, diabolus corrumpit: & adglutinata est anima eius cum ea, quia unitã sibi per iniquitatem efficit. Et quia quum mens peccare se cõspicit, admissum flere conatur: corrupta autem spes ac securitates uacuas ante oculos uocat, quatinus utilitatem tristitiæ subtrahat: recte illic adiungitur, Tristemq; blanditijs deliniuit. Modo enim aliorũ facta grauiora, modo nihil esse quod perpetratum est, modo misericordem deum loquitur, modo tempus adhuc subsequens ad pœnitentiam pollicetur: ut dum per hoc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur: quatenus tunc bona nulla suscipiat, quam nunc mala nulla cõtristant: & tunc plenius obsidatur supplicijs, quæ nũc gaudet etiam in delictis. Sequitur, Et ecce die tertio quando grauissimus est dolor uulnerum, arreptis duo Iacob filij, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladijs ingressi sunt confidenter: interfectisq; omnibus masculis, Emor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Quibus egressis introierunt super occisos cæteri filij Iacob, & depopulati sunt urbem in ultionem stupri sororis suæ.) Apparet ergo his uerbis, non transeũter sicut uiator solet, illic mansisse Iacob: sed agrum emisse, tabernaculum constituisse, aram instruxisse: ac per hoc diutius in Sichem mãsisse, quæ alio nomine dicitur Salem, quæ est in terra Chanaan. Filiam uero eius quũ in eam uenisset ætatem, ut amicas habere iam posset, uidere uoluisse filias ciuium loci, atq; ita factam esse pro illa cruẽtissimam cædem & deprædationem, quæ iam, ut puto, quæstionem non habet. Multitudo enim non parua fuit, quia plurimum ditatus

C. XXXIIII De stupro Dinæ X

erat. Sed filij eius in hoc facto nominantur, quia eiusdem facti principes atque autores fuerunt. Sequitur,

CA. XXXV INTEREA loquutus est deus ad Iacob, Surge, & ascende Bethel, & habita ibi: facque altare deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas fratrem tuum.) Quare non dixit, Et fac ibi altare mihi, qui apparui tibi: sed deus dicit, Fac ibi aram deo qui apparuit tibi? Vtrũ filius ibi apparuit, & deus pater hoc dicit? an in aliquo genere loquutionis adnumerãdum, sicut est illud, Pluit dominus à domino? Sequitur, Ait, Abijcite deos alienos, qui in medio uestri sunt, & mundamini, & mutate uestimenta uestra. Surgite, & ascẽdamus in Bethel, & faciamus ibi altare domino, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & fuit socius itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebãt, & inaures quæ erãt in auribus eorum. At ille infodit ea subter terebinthũ, quæ est post urbẽ Sichem.) Quæritur quare inaures, quæ ornamenta erant, & ad idolatriam nõ pertinebant; nisi quia intelligendũ est, phylacteria fuisse dæmoniorum? Nam Rebeccã à seruo Abrahæ inaures accepisse, scriptura testatur. Quod non fieret, si ei inaures ornamẽti gratia non licerent. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ sunt, ut dictum est, idolorũ phylacteria fuerunt. Sequitur, Quumque profecti essent, terror domini inuasit omnes circa regiones, & non sunt ausi persequi recedẽtes.) Incipiamus aduertere, quomodo deus operetur in mentibus hominum. A quo enim timor dei factus est in illis ciuitatibus, nisi ab illo qui sua promissa in Iacob filijsque eius tuebatur? Sequit. Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomẽto Bethel, ipse & omnis populus cum illo. Ædificauitque ibi altare, & appellauit nomen loci, domus dei: ibi enim apparuit ei deus, quum fugeret fratrem suum.) Ecce manifestissime comprobatur Bethel, non Vlamau, ut Septuaginta interpretes dixerunt, sed Luzam, id est Amygdalum, ante uocitatam. Nec mirũ debet uideri. Multis enim locis hoc accidit, & in ciuitatibus, & in fluminibus, & in quibusque terrarum locis, ut ex alijs atque alijs causis uel adderentur uel mutarentur uocabula, sicut & hominibus. Sequitur,

De morte Debboræ XI Eodẽ tempore mortua est Debbora nutrix Rebeccæ, & sepulta ad radices Bethel subter quercũ. Vocatumque est nomen loci illius, quercus fletus.) Debbora enim typum gerebat Mosaicę legis, quæ ut apis mella diuinæ cognitionis & cultus populis præbuit, quæ ob hoc etiam domini nutricula fuit: quia ut Apostolus ait, Natus ex muliere, factus est sub lege. Vmbræ igitur & imagines legis tũc mortuæ atque sepultæ noscuntur, quando dominus in passione sua legitur exclamasse, Consummatum est. Quercus uero sub qua Debbora sepulta esse pronuntiatur, crux intelligenda est domini: quæ ob hoc quercus est appellata fletus, quia in ea suspensa est uita, quæ Iudæis incredulis perpetuũ intulit luctũ. Sequitur, Apparuit autem iterũ deus Iacob postque reuersus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei, dicens, Non uocaberis ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuũ. Et appellauit eũ Israel.) Dudum nequaquam ei ab angelo nomen imponitur, sed quod imponendum

nendum à deo sit prædicitur. Quod igitur futurum ibi promittitur, hic docetur expletum. Hoc ergo ei dicit iterũ deus in benedictione, quæ repetitio confirmat magnũ promissum in hoc nomine. Nam hoc mirũ est. Quibus enim semel dictum est, amplius eos non uocari quod uocabantur, sed quod eis nomen nouũ imponebatur, omnino amplius aliquid non uocatos, nisi quod eis impositum sit: istum autem per totam uitam suam appellatum esse Iacob, cui semel deus dixerat, Non iam uocaberis Iacob, sed Israel erit nomẽ tuũ. Nimirum ergo nomen hoc ad illam recte intelligitur pertinere promissionẽ, ubi sic uidebitur deus quomodo non est antea patribus uisus. Ibi enim non erit nomen uetus, qa nihil remanebit uel in ipso corpore uetustatis, & dei uisio summum erit præmiũ. Sequitur, Ego deus omnipotẽs: crescere & multiplicare: gentes & populi nationũ erunt ex te, reges de lumbis tuis egrediẽtur.) Vtrum gentes secundum carnem, congregationes autem gentium secundũ fidem: an utrũq; propter fidem gentium dictum est. Sed gentes appellari nõ possunt, una gens Israel secũdum carnem. Sequitur, Ille uero erexit titulũ lapideum in loco quo loquutus fuerat ei deus, libans super eum libamina, & effundens oleum, uocansq; nomen loci Bethel.) Iterum factũ est hoc loco quod factum fuerat, an iterum commemoratũ est? Sed quodlibet horum sit, super lapidem libauit Iacob, non lapidi libauit: non sicut idololatræ solent, aras ante lapides constituere, & tanquam diis libare lapidibus. Sequitur, Egressus autẽ inde, uenit uerno tempore ad terrã quæ ducit Effrata. In qua quum parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitq; ei obstetrix, Noli timere: quia & hunc habebis filium. Egrediẽte autem anima præ dolore, & imminente iam morte uocauit nomẽ filii sui Benoni, id est, filius doloris mei. Pater uero appellauit eum Beniamin, id est, filius dextræ. Mortua est ergo Rachel, & sepulta in uia, quæ ducit Effrata, hæc est Bethlehem, erexitq; titulum super sepulchrum eius.) Effrata uero & Bethlehem unius urbis uocabulum est, sub interpretatione consimili. Siquidem in frugiferam & in domũ panis uertitur, propter eum panẽ qui de cœlo ibi descẽdisse legitur. Sed quid sibi uult, quod quũ eundẽ Beniamin Rachel pareret, uocauit nomen eius, filius doloris mei: nisi futurũ prophetans ex eius tribu Paulum, qui affligeret filios ecclesiæ persequutionis suæ tempore? Siue aliter per Beniamin terrestris figurabat Hierusalem, quæ est in tribu eiusdem Beniamin, cuius populus graui matrem dolore affecit, effundendo sanguinem prophetarũ, insuper etiam in necem Christi impiis acclamando uocibus, sanguis eius super nos & super filios nostros. Sequitur, Egressus inde, fixit tabernaculum trans torrentem gregis) Quod alia translatio dicit, Trans torrẽtem Hader. Hunc locum esse Hebræi uolunt, ubi postea templum ædificatũ est: & turrim Hader, turrim gregis significari: hoc est, congregationis & cœtus: quod Micheas propheta testatur, dicens, Et tu turris gregis filia Sion, & cætera. illocq; tempore Iacob trans locũ ubi postea templum ædificatũ est, habuisse tentoria. Sed sequamur ordinem. Via pa-

De morte Rachel XII

storum iuxta Bethlehem locus est, ubi uel angelorũ grex in ortu domini cecinit, uel Iacob pecora sua pauit, loco nomen imponens: uel quod uerius est, uaticinio futurum iam tunc mysterium monstrabatur. Sequitur, Quumq́ habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala cõcubina patris sui, quod illum minime latuit.) Ruben concupiscentia motus libidinis, in concubinam patris sui præceps efferbuit. Quod incæsti crimen non scriberetur, nisi futura peruersitas Israelitici populi prænuntiaretur. Quanquã & in illo qui hoc commisit, consideretur esse flagitium, in scripturis tamẽ est prophetia futurorum. Namq́ per Ruben primogenitũ, populus primogenitus Israel ex circũcisione significatur. Qui thorum concubinæ polluit: id est, legem ueteris testamenti sæpe præuaricando commaculauit. Quod autem in concubina lex ueteris testamenti ponatur, Paulus apostolus docuit, dicens, Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: hæc autẽ sunt duo testamenta: & cætera. In quo Agar quæ concubina fuit, ueteris testamẽti ponitur typo: una est enim perfecta colũba genitricis suæ, quæ uirgo casta regina & sponsa Christi ecclesia per euangelium iungitur. Sequitur, Erant autem filij Iacob duodecim. Filij Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Leui, & Iudas, & Isachar, & Zabulon. Filij Rachel: Ioseph, & Beniamin. Filij Balæ ancillæ Rachelis: Dan, & Neptalim. Filij Zelphæ ãcillæ Lię: Gad, & Aser. Hi filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia.) Quomodo XII filij Israel computãtur qui nati sunt, & dicitur, Hi sunt filij Israel, qui nati sunt ei in Mesopotamia: quum Beniamin longe postea natus sit, quum iam transisset Bethel, & appropinquaret Bethlehem? Hinc frustra quidam conãtes istam soluere quæstionẽ dixerunt, non legendum, Nati sunt: sicut Latini pleriq́ codices habent: sed, Facti sunt: Græce enim scriptũ est, ἐγένοντο. Ita uolentes intelligi, etiam Beniamin quãuis ibi natus non fuerit, ibi factum tamen: quia iam fuerat in utero seminatus, ut prægnans inde Rachel exisse credatur. Hoc autem modo etiam si, Nati sunt, legeretur, possent dicere iam in utero natus erat, quia cõceptus erat: sicut & de sancta Maria dictum est ad Ioseph, Quod enim in ea natũ est, de spiritu sancto est. Sed aliud est quod impedit hanc solutionẽ quæstionis huius: quia si iam Beniamin ibi conceptus erat, qui filij Iacob grandes inde exierant, uix annorum XII esse poterant. Viginti namq́ annos illic expleuit, quorum primis VII, sine coniugio fuit, donec seruiẽdo adipisceretur. Vt ergo primo anno quo duxit uxorem, ei filius nasceretur, XII annorum esse poterat primitiuus, quum inde profectus est. Proinde si iam conceptus fuerat Beniamin, intra X menses omnis illa uia peracta est, & quicquid in itinere adscriptum est. Vnde sequitur, ut filij eius tam paruuli, pro sorore sua Dina tantam stragem fecerint, tot homines trucidauerint, ita expugnauerint ciuitatem: in quibus Simeon & Leui, qui primi gladijs accincti intrauerunt ad illos, hominesq́ peremerunt, unus undecim, alius autem decem annorum fuisse reperiatur: etiã si per annos singulos sine intermissione illa pepererat: quod utiq́ incredibile est, ab illius

De concubitu Ruben cũ Bala XIII

Catalogus filiorum Iacob XIIII

illius ætatis pueris, illa omnia fieri potuisse: quando & ipsa Dina uix adhuc sex annorum fuit. Proinde aliter soluenda quæstio est, ut ideo intelligatur dictum esse, cõmemoratis XII filijs, Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ: quia inter omnes, qui tam multi erant, unus tantum erat non ibi natus. Qui tamen inde habuit nascendi causam, quod ibi mater eius patri copulata est. Sed solutio ista quæstionis, aliquo exemplo loquutionis similis firmanda est. Nulla tamen facilior est solutio quæstionis huius, quàm ut per synecdochen accipiatur. Vbi enim pars maior est, aut potior, solet eius nomine etiam illud comprehẽdi, quod ad ipsum nomen pertinet: sicut ad XII apostolos iam non pertinebat Iudas, qui etiam mortuus fuit, quũ dominus resurrexit à mortuis: & tamen ipsius duodenarij numeri nomen, Apostolus in epistola sua tenuit, ubi ait, Quum apparuisset illis duodecim. Cum articulo enim hoc Græci codices habent, ut non possent intelligi quicunq; XII: sed illi, in eo numero insignes. Eo modo loqutionis puto & illud à domino dictũ, Nonne ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus est: ut non ad electionem ipse pertinere uideretur. Sic quia aptior erat numerus XII filiorum Iacob, qui nati fuerant in Mesopotamia, ipsorum cõmemoratione scriptura cõplexa est etiam Beniamin, qui non erat ibi natus, & dictum est, Hi filij Iacob qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. Sequitur,

HAE SVNT autem generationes Esau: ipse est Edom. Esau accepit uxores de filiabus Chanaan: Ada, filiam Elom Ethæi: & Olibama, filiã Maneæ filij Esebon Euæi: Basemath quoq;, filiam Ismahel, sororem Nabaioth. Peperit autem Ada, Eliphaz: Basemath genuit Raguel: Olibama ædidit Hieus, & Elom, & Chore. Hi filij Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan.) Quod post narrationẽ mortis Isaac, narratur quas uxores acceperit Esau, & qui ei filij nati sint, recapitulatio intelligẽda est. Neq; enim post mortem Isaac fieri cœpit, quum iam essent Esau & Iacob CXX annorum. Nam eos sexagenarius suscepit, & per omnes annos uitę suæ CLXXXV. Iste est Eliphaz, cuius scriptura in Iob uolumine recordatur. Sequitur, Tulit autem Esau uxores suas, & filios & filias, & omnem animã domus suæ, & substãtiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan, & abijt in alterã regionem, recessitq; à fratre suo Iacob. Diuites enim erant ualde, & simul habitare non poterãt, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. Habitauitq; Esau in monte Seir, ipse est Edom.) Esau & Edom & Seir, unius nomen est hominis: & quare uarie nuncupetur, supra dictũ est. Sed quæstio est, quomodo scriptura dicat, post mortem Isaac patris sui, Esau abscessisse de terra Chanaan, & habitasse in monte Seir: quum ueniẽte de Mesopotamia Iacob fratre eius, legat͛ quod iam illic habitabat. Proinde quid fieri potuerit, ut scriptura falli, uel fallere non credatur: in promptu est cogitare, quod scilicet Esau postea quàm in Mesopotamiam frater eius abscessit, noluit habitare cum parentibus suis: siue ex illa cõmotione, qua dolebat se benedictione fraudatum,

Ca. XXXVI De generationibus Esau XV

siue alia aliqua causa, uel uxorũ suarum quas odiosas uidebat esse parẽtibus, uel qualibet alia, & cœperat habitare in monte Seir: deinde post reditũ Iacob fratris sui, facta inter eos cõcordia, reuersus est & ipse ad parentes: & quũ mortuum patrem simul sepelissent, quia eos plurimum ditatos terra illa, sicut scriptum est, minime capiebat, abscessit rursus in Seir, & ibi propagauit gentem Idumæorũ. Sequitur, Reges autem qui regnauerunt in terra Edom, anteꝗ haberent regem filij Israel, fuerunt hi: Bahale filius Beor, nomenq; urbis eius Denaba. Mortuus est autem Bahale, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra.) Hunc quidam suspicantur esse Iob, ut in fine uoluminis ipsius additum est. Contrà Hebræi de Nachor eum stirpe generatũ affirmant, ut iam supra dictum est. Quod aũt scriptum est, Hi reges qui regnauerunt in Edom antequàm regnaret rex in Israel, non sic accipiẽdum est, tanquã omnes reges nominati sint, usq; ad ea tempora quib. cœperunt reges Israel, quorũ primus fuit Saul. Multi enim fuerunt in Edom usq; ad tempora Saul, sub tẽporibus etiam iudicum, quorum tempora fuerunt ante reges. Sed ex his multis, eos solos potuit commemorare Moyses, qui fuerunt anteꝗ ipse moreretur. Nec mirum est, quod numerantibus ab Abraham per Esau patrem gentis Idumæorum, atque per Raguel filium Esau, & Zara filium Raguel, & Iobab filium Zaræ, cui Iobab successit in regnũ Balach, qui primus in terra Edom rex fuisse commemoratur, usq; ad ultimum regem quem potuit nominare Moyses plures generationes inueniuntur, quàm numerantur ab Abraham per Iacob usq; ad Moysen. Nam illic inueniuntur ferè undecim, hic autẽ usq; ad Moysen fermè septem. Fieri enim potuit, ut ideo ibi plures nominarentur, quia citius moriendo plures alter alteri successerunt. Sic etiam contigit, ut alium ordinem sequens Matthæus, ab Abrahã usq; ad Ioseph quadragintaduas generationes numeret: Lucas autem in ordine alio numerãs generationes, non per Salomonẽ sicut ille, sed per Nathan, ab Abraham usq; ad Ioseph quinquagintaquinq; commemoret. In illo quippe ordine ubi plures numerãtur, citius mortui sunt, quàm hic, ubi pauciores. Ne fortè autem moueat aliquem, quod inter reges Edom commemoratur Balach filius Beor, & de similitudine nominis existimet illum esse Balaach qui restitit Moysi ducenti populum Israel: sciat illum Balaach Moabiten fuisse, non Idumęum: fuisseq; filium Sephor, non filium Beor: fuisse etiã ibi tunc filium Beor, Balaam, non Balaach: quem Balaam conduxerat idem Balaach, ad maledicendũ populum Israel.

De regibus Edom XVI

C. XXXVII *De odio fratrũ in Ioseph* XVII

IOSEPH quum sexdecim esset annorũ, pascebat gregem cum fratribus suis, adhuc puer, & erat cum filijs Balæ, & Zelphæ, uxorum patris sui: accusauitq; fratres suos apud patrem, crimine pessimo. Israel autẽ diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eũ, fecitq; ei tunicã polymitam. Videntes autẽ fratres eius, quod à patre plus cunctis fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui.) Si sextodecimo anno Ioseph in Ægyptum est uenditus, ante XIII annos ꝗ moreretur auus

eius

eius uenditus inuenitur: XVI enim annorum esse non potuit, nisi ante XIII annos mortis Isaac, CVII anno uitæ patris sui Iacob. His enim quũ adiecerimus XXIII, quibus Ioseph usq; ad aduentum patris sui fuit in Ægypto, fient anni ætatis Ioseph XXXIX, & Iacob CXXX, & nulla erit quæstio. Sed quoniam scriptura post mortẽ Isaac ista narrauit, putatur Ioseph post eiusdẽ patris sui mortem XVI annorũ fuisse. Quapropter intelligamus de uita Isaac tanquam multum decrepiti senis tacuisse scripturam, quum de Iacob & eius filijs loqueretur. Viuo tamen Isaac, XVI annorum esse cœpit Ioseph. Accidit quoq; ut uisum somnium referret fratribus suis, quæ causa maioris odij seminariũ fuit. Dixitq; ad eos, Audite somniũ meum, quod uidi. Putabam nos manipulos ligare in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, uestrosq; manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt ei fratres eius. Nunqd rex noster eris, aut subijciemur ditioni tuæ? Hęc ergo causa somniorum atq; sermonum, inuidiæ & odij fomitem ministrauit. Aliud quoq; uidit somnium, quod narrãs fratribus, ait, Vidi per somnium, quasi solem & lunam & stellas undecim adorare me. Quod cũ patri suo & fratribus retulisset, increpauit eum pater, & dixit, Quid sibi uult hoc somniũ, quod uidisti? Num ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebãt igitur ei fratres sui, pater uero rem tacitus cõsiderabat) Quod dicit Iacob ad Ioseph Quod est somnium hoc quod somniasti? nunquid uenietes ueniemus, ego & mater tua & fratres tui adorare te super terrã? nisi in aliquo mysterio dictum accipiatur, quomodo intelligit de matre Ioseph, quę iam erat mortua? Vnde nec in Ægypto quum sublimaretur putãdum est hoc esse completũ: quia nec pater eum adorauit, quando ad eum uenit in Ægyptũ, nec mater olim defuncta potuit. In Christi ergo persona facile intelligi potest etiam de mortuis, secundum quod dicit Apostolus, Quia donauit ei nomẽ, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum. Sequit, Perrexit ergo Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothaim. Qui quum uidissent eum procul antequàm accederet ad eos, cogitauerunt eum occidere, & mutuo loquebantur, Ecce somniator uenit, uenite, occidamus eum, & mittamus in cisternam ueterem, dicemusq;, fera pessima deuorauit eum: & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat, Non interficiamus animam eius, neq; effundamus eius sanguinem, sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusq; uestras seruate innoxias. Hoc autem dicebat, uolens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo. Confestim igitur ut peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita, miseruntq; in cisternam quæ non habebat aquam. Et sedentes, ut comederent panem, uiderunt Ismahelitas uenire de Galaath, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum. Dixit ergo Iudas fratribus suis, Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum,

De somnijs Ioseph & uenditione XVIII

ſtrum,& celauerimus ſanguinem illius? Melius eſt, ut uenūdetur Iſmahelitis, & manus noſtræ non polluātur: frater enim & caro noſtra eſt. Acquieuerunt fratres ſermonibus eius, & prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, uendiderūt Iſmahelitis triginta argenteis.) Quæritur quare Iſmahelitas ſcriptura, quibus à fratribus uenditus eſt Ioſeph, etiā Madianitas uocet: quum Iſmahel ſit de Agar filius Abrahæ, Madianitæ uero de Cethura? An quia ſcriptura dixerat de Abrahā, quod munera dederit filijs cōcubinarum ſuarum Agar ſcilicet, & Cethuræ, & dimiſerit eos ab Iſaac filio ſuo in terram orientis, unam gentem feciſſe intelligēdi ſunt? Sequitur, Qui duxerunt eum in Ægyptum. Reuerſusq; Ruben ad ciſternā non inuenit puerum, & ſciſſis ueſtibus pergens ad fratres, ait, Puer non comparet, & ego quò ibo? Tulerunt autem tunicam eius, & in ſanguine hœdi quem occiderant, tinxerunt, mittētes qui ferret ad patrem, & diceret, Hanc inuenimus: uide utrum tunica filij tui ſit, an non? Quam quum cognouiſſet pater eius, ait, Tunica filij mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph. Sciſſisq; ueſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium multo tempore. Congregatis autem liberis eius, ut lenirent dolorem patris, noluit conſolationem recipere: ſed ait, Deſcendam ad filium meum lugens in infernū.) Solet eſſe magna quæſtio quomodo intelligatur eſſe infernum: utrum illic mali tantum, an etiam boni, mortui deſcendere ſoleant. Si ergo tantum mali, quomodo iſte ad filium ſuum ſe dicit, lugendo uelle deſcendere? Non enim in pœnis inferni eum eſſe credebat, ſed perturbati & dolentis uerba ſunt, mala ſua etiam hinc exaggerantis. Sequitur, Madianitæ uero uēdiderunt Ioſeph in Ægyptum Putiphari eunucho Pharaonis, magiſtro militiæ.) Quæritur quomodo poſtea iſdem Eunuchus uxorem habere dicatur. Tradunt Hebræi emptū ab hoc Ioſeph, ob nimiam pulchritudinem in turpe miniſterium, & à domino uirilibus arefactis poſtea electum eſſe, iuxta morem Hierophantarū, in pontificatum Heliopoleos: & huius filiam eſſe Aſſenez, quam poſtea Ioſeph uxorem acceperit. Ioſeph unus ex XII filijs Iacob, quem pater præ cæteris filijs dilexit, Chriſtū dominum figurauit: quem deus pater, ſecundū carnem natum, cæteris fratribus ex Abraham ſtirpe genitis prętulit. Vnde & ibi dicitur, Amabat eum Iacob, eo quod in ſenectute genuiſſet eum. Seneſcente enim mūdo, illuceſcens dei filius per Mariæ uirginis partum, ſerus aduenit, tanquā filius ſenectutis, ſecundum ſacramentum ſuſcepti corporis, qui erat ante per ſubſtantiam deitatis ſemper cum patre. Tunica uero polymita, quam fecit ei pater, uarietatem populorum ex omnibus gentibus in corpore Chriſti congregatam ſignificauit. Somnium uero illud, per quod fratrum manipuli adorauerunt manipulum eius, illud eſt quod in Chriſto completū eſt, Adorabūt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei: ſcilicet per fidem, fructū bonorū operum afferentes. Ipſe eſt, quem ſol & luna adorant, & ſtellæ. de quo ſole dictū eſt, Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ. Ipſum enim excellētia ſanctorū in

solis nomine, & ecclesiæ claritas sub imagine lunæ & omnium populorũ numerositas in figura stellarũ adorant. Vnde pater suus increpauit eum, dicens, Nunquid ego & mater tua & fratres tui adorabimus te? Obiurgatio ista patris, duritiam populi Israel significat: pro eo quod ex se natum Christum esse cognoscunt, & adorare contẽnunt. Iacob mittit Ioseph filium suum, ut de fratribus sollicitudinem gereret: & deus pater misit filium suum unigenitũ, ut genus humanũ peccatis lãguidum uisitaret. Mittitur ab illo utiq; patre, de quo scriptum est, Misit deus filium suum in similitudine carnis peccati, ut uideret si recte agerẽtur oues. Et dominus ait in euãgelio, Non ueni, nisi ad oues perditas domus Israel. Inuenit ergo Ioseph fratres suos in Dotaim. Dotaim interpretatur, defectio. Vere in grandi defectione erant, qui de paricidio fratris cogitabant. Quumq; uidissent Ioseph fratres sui procul, occidere eum cogitauerunt: & Iudæi uidentes uerum Ioseph, dominum Iesum Christum, ut eum crucifigerent, unum omnes cõsilium statuerunt, dicentes, Crucifige eum. Fera pessima deuorauit eum: id est, plebs Iudaica interfecit eum: de qua dominus in euangelio dicit, Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum. Nudauerunt Ioseph fratres sui tunica polymita & talari, & Iudæi Christum per mortem crucis expoliauerũt tunicam corporalem. Polymitam autem, id est, decoratam omnium uirtutum diuersitate. Resparserũt autem tunicam hœdi sanguine, quia falsis eum testimonijs accusantes, in inuidiã deduxere populi, peccata donantem omnium. Mittitur dehinc in cisternã, id est, in lacum: & Christus expoliatus carne humana descendit in infernum. De cisterna quoq; leuatus ille Ismahelitis, id est, gentilibus uenditur: & Christus postquàm de inferno egreditur, ab omnibus gentibus fidei cõmercio comparatur. Ille per Iudæ consilium, triginta argenteis distrahitur: & hic Christus per consilium Iudæ Scariotis eodem numero uenundatus est. Dehinc Iacob posteritatis suæ deplorans d[illegible]ẽdia, quasi pater lugebat filium amissum, quasi propheta flebat interitum Iudæorum. Deniq; scidit uestimẽtum suum, quod in passione legimus factum à principe sacerdotũ: sed & uelum templi scissum est: ut propheta & nudatum suum populum, & diuisum ostenderet regnum.

CAPUT XXXVIII *De uxore & liberis Iudæ* XIX

EO TEMPORE descendens Iudas à fratribus suis diuertit ad uirum Odollamitem nomine Hiram, uiditq; ibi filiam hominis Chananæi uocabulo Sue, & uxore accepta ingressus est ad eam. Quæ concepit & peperit filium, uocauitq; nomen eius Her. Rursus concepto fœtu, natum filium nominauit Onan. Tertium quoq; peperit, quem appellauit Sela. Quo nato, parere ultra cessauit. Dedit autem Iudas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuitq; Her primogenitus Iudæ nequam in cõspectu domini, & ab eo occisus est. Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum, Ingredere ad uxorem fratris tui, ut suscites semen fratri tuo. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum dominus, quod rem detestabilem fecisset.

Quam-

Quamobrem dixit Iudas nurui suę, Esto uidua in domo patris tui, donec cre scat Sela filius meus. Timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius.) Quæritur quomodo ista fieri potuerint. Si enim postea quàm Ioseph deue-nit in Ægyptum, quomodo intra uiginti fermè & tres annos? nam post tan-tum temporis colligitur eos uenisse ad eũdem Ioseph fratrem suum in Ægy-ptum cũ patre suo. Fieri enim potuit, ut Iudas & filij eius iuxta ætatis annos possent ducere uxores. Nam Thamar nurũ suam, mortuo primogenito suo alteri filio dedit: quo etiã mortuo, expectauit ut cresceret tertius: & quum cre-uisset, nec illi eam dedit, timens ne & ipse moreretur. Vnde factum est, ut ei-dem socero suo se illa supponeret. Quomodo ergo hæc omnia intra tam pau cos annos fieri potuerint, merito mouet: nisi ut fortè solet scriptura per recapi-tulationem aliquos annos ante uenditũ Ioseph, hoc fieri cœpisse intelligi ue-lit: quoniam sic positũ est, ut diceretur, factum est in illo tempore. Vbi tamen quæritur, si XVI annorum erat Ioseph quando uenditus est, quot annorũ esse Iudas potuerit quartus filius Iacob, quandoquidẽ ipse primogenitus Ruben ut plurimũ fratrem suum Ioseph quinq; aut sex annos potuerit ætate præce-dere. Euidenter autem scriptura dicit XXX annorum fuisse Ioseph, quãdo in-notuit Pharaoni. Quum ergo ipse anno XVI ætatis suæ uenditus fuisse creda tur, XIIII annos peregerat in Ægypto ignotus Pharaoni. Ad hos autẽ XIIII annos accesserũt VII anni ubertatis, & facti sunt anni XXI. His addũtur duo, quia secũdo anno famis intrauit Iacob in Ægyptũ cum filijs suis, & inueniun tur XXIII anni, quibus abfuit Ioseph à patre & à fratrib. suis. Quo medio tem pore quomodo fieri potuerint de uxore & filijs & nuru Iudæ omnia quæ nar rant, indagare difficile est: nisi fortè ut credamus, & hoc enim fieri potuit, mox ut adolescere Iudas cœpit, eum incidisse in amorẽ eius quam duxit uxorem, nondum uendito Ioseph in Ægyptum. Sequitur, Euolutis autẽ multis die-bus, mortua est Sue uxor Iudæ. Qui post luctum consolatione recepta, ascen-debat ad tonsores ouium suarum, ipse, & Hiras opilio gregis Odollamita, in Thamnas. Nuntiatũq; est Thamar, quod socer eius ascenderet in Thamnas ad tondẽdas oues. Quæ depositis uiduitatis uestibus, assumpsit theristrũ, & mutato habitu sedit in biuio itineris quod ducit Thãna, eo quod creuisset Se la & non eum accepisset maritum. Quam quum uidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim uultum suum ne cognosceretur. Ingrediẽsq; ad eam ait, Dimitte me ut coeam tecum. Nesciebat enim quod nurus sua es-set. Qua respondente, Quid mihi dabis, ut fruaris concubitu meo, dixit, Mit-tam tibi hœdum de gregibus. Rursum illa dicente, Patiar quod uis si de-deris mihi arrabonem, donec mittas quod polliceris, Ait Iudas, Quid uis tibi pro arrabone dari? Respõdit, Anulum tuum & armillam, & baculum quem manu tenes. Ad unum igitur coitum concepit mulier, ac surgens abijt, deposi toq; habitu quem assumpserat, induta est uiduitatis uestibus.) Si enim uir & uxor, sicut dominus dicit, non iam duo sed una caro est: non aliter nurus est, quàm

quàm filia deputanda: tamen eum quantũ in ipso erat deformiter cum meretrice cubasse, non dubium est. At illa quæ socerum fefellit, non carnis eius concupiscentia, nec meretriciæ mercedis cupiditate peccauit: sed ex ipso sanguine prolem requirens, ex quo duobus etiam fratribus nupta, tertio quoq; denegato habere non potuit, patri eorum socero suo fœtandum corpus fraude subiecit. Melius quidem sine filijs remaneret, quàm sine iure matrimonij mater fieret. Longe tamen alia intentione peccauit, quod filijs suis patrem prouidit socerum suũ, quàm si eum sibi concupisset adulterũ. Deniq; cum iussu eius produceretur ad mortem, & uirgam monile atq; anulum protulisset, dicens ab eo se grauidatã cuius pignora illa essent: ubi ea quæ dederat ille cognouit, istam magis quàm se iustificatam esse, respondit, quod ei maritum suum coniũgere noluisset: qua destitutione compulsa, illo modo potius quàm nullo modo, posteritatem non aliunde q̃ ab eadem stirpe conquireret. In qua sententia non eam iustificatam, sed eam plus quàm se iustificatam dicens, nec ipsam laudauit, sed in sui comparatione præposuit: desiderium scilicet habẽdæ prolis, quo ducta illa se socero supposuerat, minus culpans, quàm libidinosi concubitus ardorem, quo ipse uelut ad meretricem uictus intrauerat: sicut quibusdam dicitur iustificastis Sodomam, id est tantũ peccastis ut uobis Sodoma comparata iusta uideatur: quanquam etiam hæc mulier non in peioris facti comparatione minus culpata, sed omnino à socero laudata intelligatur. Quæ tamen consulta illa æterna lege iustitiæ, quæ naturalẽ ordinem perturbari uetat, non utiq; tantummodo corporum, sed maxime ac primitus animorũ, quia in procreandis filijs ordinatam societatem non custodiuit, merito culpabilis inuenitur. Quid mirum si peccatrix à peccatore laudatur? quod ita nobis Faustus, uel ipsa Manichea peruersitas arbitratur aduersum esse, quasi nobis in huius scripturæ uera ratione dignoq; præconio uitia hominum, quæ ista commemorat, necesse sit approbare. Quin potius necesse est, ut quanto istam religiosius accipimus, tanto fidentius illa culpemus, quæ per eius ueritatem certius culpanda didicimus. Ibi enim fornicatio & omnis illicitus concubitus, diuino iure damnatur. Ac per hoc quum talia quorundam facta commemorat, de quibus eo loco suam taceat sententiã, iudicanda nobis permittit, non laudanda perscribit. Vnde hic expressius apparet, nõ ad ipsum Iudam, sed ad Christum, qui ex eius tribu prænũtiabatur in carne uenturus, illam pertinere prophetiam, qua Iacob patriarcha sub nomine illius Iudæ taxatus est. Et ideo magis flagitiũ eius diuina scriptura tacere non debuit, sicut non tacuit in uerbis patris eius, quibus post illud dedecus ita laudatur. Quia ipse in prophetia non agnoscitur, alius requiratur. Neq; enim Iudas, quum ad Thamar concupiscentia uictus intraret, hanc suæ libidinis intẽtionem gerebat, ut inde aliquid significaretur, quod ad salutem hominum pertineret: sicut nec Iudas ille qui deũ tradidit, hoc intendit, ut aliquid inde gereretur quod ad eandem salutem hominũ pertineret. Porrò si de tã malo opere Iudæ illius, tam bonũ opus

dominus

dominus fecit, ut eiusdem suæ passionis sanguine nos redimeret: quid mirum si propheta eius, de quo ipse ait, De me enim ille scripsit, ex malefacto Iudæ istius boni aliquid significauit, ut suo mysterio nos doceret? Ea quippe hominum facta, sancto spiritu disponente atque inspirante collegit propheta narrator, quorum interpositio non uacaret, ad præsignationem rerum quas intenderat prophetare. Ad significanda autē aliqua bona, nihil interest si facta illa quibus ea significātur, seu bona, seu mala sint. Quid enim interest quum uolo aliquid legendo cognoscere, utrum ex minio reperiam scriptos nigros Æthiopes, & ex atramento, candidos Gallos? Verūtamen si non scripta, sed scripturam talem uiderem, sine dubitatione reprehenderem. Ita in factis hominum, quæ ad imitandum uitandum'ue proponuntur, magnum interest bona'ne an mala sint: quæ autem ad significandum scribuntur, siue dicuntur, nihil refert in moribus facientiū, quam laudem reprehensionem'ue mereantur: si modo habent aliquam rei, qua de re agitur, necessariam præfigurandi congruentiam. Sicut enim Caiphæ uerba in euāgelio, quantum ad eius noxium perniciosumque animum pertinebat, quantū denique ad ipsa uerba, si in eis uoluntatem dicentis attendas, quibus aiebat, ut iustus iniuste necaretur, utique mala erant: tamen magnum bonum illo nesciente significabant, quando ait, Expedit uobis ut unus moriatur homo, & nō tota gens pereat: dictumque est de illo: hoc autem non à se dixit, sed quum esset pontifex, prophetauit: quia oportebat Iesum mori pro gente: ita factum Iudæ, secundum illius libidinem malum fuit: sed illo nesciente, magnum bonum significauit. A' seipso quippe malum fecit, sed non à seipso bonū significauit. Hoc autem quod necessario præloquendum putaui, non ad hoc tantum Iudæ factum, sed etiam ad cætera ualeat, si qua occurrerint mala facta hominum, quibus bonum aliquid à narrante prophetatum est. In Thamar ergo nuru Iudæ intelligitur plebs regni Iudæorum, cui de tribu Iuda reges tanquam mariti adhibebantur. Merito nomen eius amaritudo interpretatur, ipsa enim domino fellis poculum dedit. Duo autem genera principū, qui non recte operabantur in plebe, unū eorum qui male operabantur, alterū eorum qui nihil proderant, significantur in duobus filijs Iudæ: quorum unus erat uir sæuus ante dominū, alter in terram fundebat, ne semen daret ad fœcundandam Thamar. Nec sunt amplius quàm duo genera hominū inutilia generi humano: unum nocentium, alterum præstare nolentium: & si quid boni habent in hac terrena uita perdentium, tanquam in terra fundentium. Et quoniam in malo prior est qui nocet, quàm ille qui non prodest, ideo maior dicitur malignus: & ille sequens, qui fundebat semen in terram, mœror eorum. Nomen quoque maioris qui uocabatur Her, interpretatur pelliceus, qualib. tunicis induti sunt primi homines in pœna damnationis suæ, dimissi ex paradiso. Sequentis aūt nomē qui uocabatur Onan, interpretatur mœror eorum. Quorū, nisi quibus nihil prodest, quum habeat unde prodesse possit, atque id perdat in terra? Porrò maius malum est ablatæ

uitæ,quod significat pellis:quam non habitæ,quod significat mœror eorum. Deus tamen ambos occidisse dictus est, ubi figuratur regnum talibus hominibus abstulisse. Tertius uero filius Iudæ quod illi mulieri non iungitur,significat tempus ex quo reges plebis Iudæorum cœperunt de tribu Iuda non fieri. Et ideo erat quidem filius Iudæ, sed eum maritum Thamar nõ accipiebat: quia erat eadem tribus Iuda, sed iam in populo inde nemo regnabat. Vnde & nomen eius,id est Sela,interpretatur dimissio eius. Non pertinent sane ad hanc significationẽ uiri sancti & iusti,qui licet illo tempore fuerint,ad nouum tamen pertinebant testamentũ:cui prophetando scienter utiles fuerunt, quales Dauid fuit. Eo namq; tempore quo iam Iudæi ex tribu Iuda cœperant reges non habere,non est computandus Herodes maior in regibus eius, tanq̃ maritus Thamar,erat enim alienigena. Nec enim sacramẽto illo mysticæ unctionis tanquam coniugali fœdere cohærebat, sed tanquam extraneus dominabatur, quam potestatẽ à Romanis & à Cæsare acceperat: sic & filij eius tetrarchæ,quorum erat unus Herodes patris nomine appellatus, qui cum Pilato in passione concordauit. Isti ergo alienigenæ usq; adeo non deputabantur in regno illo mystico Iudæorum, ut ipsi Iudæi publice clamarent, frendentes aduersus Christum, Nõ habemus regem nisi Cæsarem: neq; hoc uerum nisi illa uniuersali dominatione Romanorum, quippe Cæsar etiam rex erat non proprie Iudæorũ:sed ut Christũ negarent,& huic adularentur,ideo se tali uoce damnauerũt. Illo ergo tempore quo iam de tribu Iuda regnum defecerat, ueniẽdum erat ad Christum uerum saluatorem dominum nostrum,qui non obesset,multumq; prodesset. Sic enim fuerat prophetatũ, Non deficiet princeps ex Iuda,neq; dux de fœmoribus eius,donec ueniat cui repromissum est, & ipse erit expectatio gentium. Iam isto tempore omne quoq; magisterium Iudæorum,& mystica unde Christi uocabantur unctio,ipsa defecerat secundum prophetiã etiam Danielis:tunc uenit cui repromissum erat,qui est expectatio gentium,& unctus est sanctus sanctorum oleo exultationis præ participibus suis. Natus est enim maioris Herodis tempore,passus est autem Herodis minoris tempore. Huius itaq; uenientis ad oues quæ perierant domus Israel, figuram gessit ipse Iudas, quum iret ad tondendas oues in Thamna, quod interpretatur deficiens. Iam enim defecerat princeps ex Iuda, & omne magisterium atq; unctio Iudæorum, ut ueniret cui repositum erat. Venit autem cũ suo pastore Odollamite,cui nomẽ erat Hiras. Et interpretatur Odollamites Testimonium in aqua. Cum hoc plane testimonio dominus uenit, habens quidem testimoniũ maius Ioanne:sed tamen propter oues infirmas hoc testimonio est usus in aqua. Nam & ipse Hiras,quod nomen illius pastoris fuit, interpretatur Fratris mei uisio. Vidit omnino fratrem suum Ioannes: fratrem secundum semen Abrahæ,secundũ cognationem Mariæ matris eius & Elisabeth matris suæ:eundemq; dominũ & deum suum,quia sicut ipse ait, de plenitudine eius accepit. Vidit omnino, & ideo in natis mulierum maior

illo non exsurrexit, quia ex omnibus prænuntiantibus Christum ipse uidit, quod multi iusti & prophetæ cupierunt uidere, & non uiderunt. Salutauit ex utero, agnouit perfectus ex columba, & ideo tanquam Odollamites uere testimonium perhibuit in aqua. Venit autem dominus ad oues tondēdas: hoc est, ad exonerandas sarcinis laboriosis, ex quibus ecclesiæ in Canticis canticorum, dentes essent uelut grex detonsarum. Iam Thamar habitũ mutet. Nam & Commutans interpretatur Thamar: sed in ea prorsus nomẽ amaritudinis maneat: non illius in qua domino fel ministrauit, sed illius in qua Petrus amarè fleuit. Nam & Iudas, Latine Confessio est. Cõfessioni ergo amaritudo misceatur, ut uera pœnitentia præsignetur. Hac pœnitentia fœcundatur ecclesia, in omnibus gentibus constituta. Oportebat enim Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalẽ. Nam & ipse habitus meretricius, cõfessio peccatorum est. Typum quippe iam ecclesiæ gerit Thamar, ex gentibus euocatæ, sedens cum hoc habitu ad portam Ahenã, uel Henaim, quod interpretatur Fontes. Cucurrit enim uelut ceruus ad fontes aquarũ peruenire ad semen Abrahæ: illic à non agnoscente fœtatur, quia de illa prædictum est, Populus quem non cognoui, seruiuit mihi. Accipit in occulto anulum, monile, & uirgam: quia uocatione signatur, iustificatione decoratur, glorificatione exaltatur. Quos enim prædestinauit, illos & uocauit: quos autẽ uocauit, illos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & glorificauit: sed hæc, ut dixi, adhuc in occulto, ubi fit & conceptio sanctæ ubertatis. Mittitur autem promissus hœdus, tanquam meretrici: hœdus exprobratio peccati per eundem Odollamitam, tanquam increpãtem & dicentem, Generatio uiperarum: sed non eam inuenit peccati exprobratio, quam mutauit cõfessionis amaritudo. Post uero iam publicatis signis, anuli, monilis, & uirgæ, uicit temere iudicãtes Iudæos, quorum iam personam ipse Iudas gestabat, qui hodieq; dicunt, non hunc esse populum Christi, nec habere nos semen Abrahæ: sed prolatis certissimis documẽtis nostræ uocationis, iustificationis, & glorificationis, sine dubio confunduntur, & nos magis quàm se iustificatos esse fatebuntur. Instante autem partu apparuerunt gemini in utero, atq; in ipsa effusione infantum unus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicẽs, Iste egredietur prior. Illo uero retrahente manum, egressus est alter. Dixitq; mulier, Quare propter te diuisa est maceria? Et ob hanc causam uocauit nomen eius Phares. Postea egressus est alter, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara.) Quur patriarcha Iudas propriæ nurus post mortem filij sui legitur expetisse concubitum, quo geminorũ partus est æditus: nisi ut figura præcederet de utroq; Iesu domini testamento, quorum alterum in typo futuræ mortis eius est conditum, alterum in euangelij ueritate, duos esse populos generandos, quorum posterior in crucis signo sæpe omnem munitionem populi superioris incideret? Hic est populus manu prior, ortu posterior, de quo ipse

dominus

dominus Iesus natus ex tribu Iuda, opera sua ante præmisit, quàm nobis ex uirgine nasceretur. Siue aliter, per manum significantur opera. Zara quippe interpretatur, oriens: significauit antiquum Israeliticũ populum, sub lege constitutum, qui prior quasi manum misit, quãdo dictis propheticis, & legalibus sacrificijs, natiuitatem & passionem domini in carne prænuntiauit: sed instante partu manum subtraxit: quia adueniente plenitudine temporum, credere in dei filium noluit, & eum in præsenti positum despexit, de quo tam multa in postmodum prędixit. Phares uero qui interpretatur diuidens, prior egressus est: quia postquàm cæcitas in Israel facta est, plenitudo gẽtium introiuit, & sic postmodum Israel saluus erit.

IGITVR Ioseph ductus est in Ægyptum.) Ad ordinem redit scriptura, unde recesserat ut illa narraret quæ supra digesta sunt. Emitq; eum Putiphar, eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, uir Ægyptius, de manu Ismahelitarum, à quibus perductus erat: fuitq; dominus cum eo, & erat uir in cunctis prospere agens.) Sicut enim Ioseph descendit in Ægyptum, ita & Christus in mundum: emitq; eum eunuchus, id est castus in disciplinis euangelicis populus Christianus. Erat autem Ioseph pulchra facie & decorus aspectu.) Sic & de Christo Dauid ait, Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis. Post multos itaq; dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait, Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam, Ecce, dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, uel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor eius es. Quomodo ergo possum malum hoc facere, & peccare in dominum meum?) Huiuscemodi uerbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. Quisquis mundi huius successibus eleuatur, lenocinante cordis lætitia, tentari se luxuriæ stimulis sentit, Ioseph factum ad memoriam reuocet, & in arce se castitatis seruet: qui dum sibi à domina conspiceret pudicitiæ damna suaderi, ait ei, Ecce, dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quicquã est, quod non in mea sit potestate, uel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor eius es. Quomodo ergo possum malum hoc facere, & peccare in dominum meum? Quibus uerbis ostenditur, quia bona quæ assequutus fuerat, repente memoria reuoluit: & malum quod se pulsabat, eijcit: & quia perceptæ gratiæ meminit, uim culpæ imminentis fregit. Quum enim uoluptas lubrica tentat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo aduersitatis premenda: ut eo erubescamus praua committere, quo nos à deo meminimus gratuita bona percepisse: & illatam gratiam exteriorũ, uertamus in arma uirtutum: ut sint ante oculos quæ percepimus, & quæcunq; nos illiciunt subigamus. Quia enim uoluptas ex prosperitate nascitur, eiusdem prosperitatis est consideratione ferienda, quatinus hostis noster unde oritur, inde moriatur. Considerandum quippe est, ne acceptum munus uertamus in uitium, ne per

C. XXXIX
De hero Ioseph XX

fauorem uitæ nos absorbeat uorago nequitiæ. Iram namq; contra nos superni iudicis inextinguibiliter accendimus, si contra benignitatem illius, etiam ex ipsa sua largitate pugnemus. Sequitur, Accidit autem, ut quadam die intraret Ioseph domum, & operis quippiam absq; arbitris faceret, & illa apprehensa lacinia uestimẽti eius, diceret, Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.) Dum mulier adultera Ioseph male uti uoluisset, relicto pallio fugit foras: quia dum synagoga dominum, purum hominem credens, quasi adulterino cõplexu constringere uoluit, ipse tantũ literã legis eius oculis reliquit: & ad cognoscendã suæ diuinitatis potentiã, cõspicuum se gentibus præbuit. Vnde & Paulus dicit, Vsq; hodie dum legitur Moyses, uelamẽ est super cor eorum. Quæ uidelicet adultera mulier apud semetipsam pallium retinuit: & quem male tenebat, nudum amisit. Sequitur, Quumq; uidisset pallium mulier in manibus suis, & se esse contemptam, uocauit homines domus suæ, & dixit ad eos. En introduxit ad me uirum Hebræum, ut illuderet mihi. Quumq; ego subclamassem, & audisset uocẽ meam, reliquit pallium quod tenebat, & fugit foras.) In argumentũ fidei, retentũ pallium, ostendit marito reuertenti domum. Ista mulier, ut iam dixi, figura erat synagogæ, quæ sæpe, sicut scriptum est, mœchata est post deos alienos. Similiter uolebat & Christũ in adulterij sui scelere retinere, ut negaret se esse deum, & pharisæorum magis & scribarum, quàm legis præcepta seruaret, quæ illi uelut maritus erat. Christus autem non acquiescens illicitæ doctrinæ, id est, adulterio adulterinæ synagogæ, manu ueste corporis apprehensus, carne se exuit, & liber mortis ascendit ad cœlos. His auditis dominus, & nimium credulus uerbis coniugis, iratus est ualde: tradiditq; Ioseph in carcerem, ubi uincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus. Fuit autem dominus cum Ioseph, & misertus est illius: deditq; ei gratiam in conspectu principis carceris, qui tradidit in manu eius uniuersos uinctos. Dominus enim erat cum illo, & omnia eius opera dirigebat.) Vxor Putiphar, plebem Iudaicam præsignabat, quam regendam à Romanis principibus Pilatus susceperat: quæ plebs legis traditionibus, sibi pro tempore traditis, dominum uolebat præbere consensum: ut sabbati otiũ custodiri, confirmaret: uxorem à uiro dimittendam quacunque ex causa, permitteret. Pro quibus, quum à domino fuisset certis responsionibus refutata, Pilato præsidi eum tradiderunt, malefactorem eum quodammodo proclamantes, & secundum legem debere puniri: eo quod se filium dei diceret, & æqualem patri pronuntiaret: à quibus obiectionibus Pilato traditus carceri mortis est: sed illum non carcer terruit, non inferna tenuerunt, quum etiam ubi ueluti puniendus descenderat, inde alios liberauit. Sequitur,

De Ioseph misso in carcerẽ XXI

CAP. XL *De somnio eunuchorum* XXII

HIS ITA gestis, accidit ut peccarẽt duo eunuchi, pincerna regis Ægypti & pistor, domino suo. Iratusq; Pharao contra eos: nam alter pincernis præerat, alter pistoribus: misit eos in carcerem principis militum, in quo erat Ioseph.

Ioseph. At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis.) Deni-
que inuenit Ioseph duos eunuchos de domo regis in carcere uinctos, duorum
populorum credentium uel incredulorum figuram gestantes, qui cóclusi sub
peccato Adæ, transgressione obnoxij tenebantur. Hi ergo siue pro originali
peccato, seu pro delictis proprijs, quia omnes debitores sunt deo, & nullus ex
ceptus est, qui nó illius, iuxta Apostoli dictum, indigeat gratia: Omnes enim
peccauerunt, & egent gratia dei: ob quod etiam omnes sancti conditione ob-
noxij fuerunt debito mortis, hoc ipsum Apostolo prædicãte, quum dicit, Re-
gnauit mors ab Adam usque Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt, in si-
militudinem præuaricationis Adæ. Qui ideo uterque populus eunuchi dicun-
tur, uel intelliguntur, quia castam acceperant regulam disciplinæ. Eloquia, in-
quit, domini, eloquia casta. Sequitur, Aliquantum autem temporis fluxe-
rat, & illi in custodia tenebantur, uideruntque somnium nocte una iuxta inter-
pretationem congruam sibi. Ad quos quum introisset Ioseph mane, & uidis-
set eos tristes, sciscitatus est, dicẽs, Quur tristior est hodie solito facies uestra?
Qui responderunt, Somniũ uidimus, nec est qui interpretetur nobis. Dixitque
ad eos Ioseph, Referte mihi quid uideritis. Respondit præpositus pincerna-
rum. Videbã corã me uitem, in qua erãt tres propagines, crescere paulatim in
gẽmas, & post flores uuas maturescere, calicemque Pharaonis in manu mea.
Tuli ergo uuas & expressi in calicem quem tenebam, & dedi poculum Pha-
raoni.) Tres uero dies aut dominicæ passionis & resurrectionis accipiendum
est tempus, in quo animæ sanctorum eductæ ab inferis leguntur à domino:
aut certe tria intelligenda sunt tempora, ante legem, & sub lege, & sub euan-
gelica gratia. In primo enim tempore clausæ fuerunt gẽmæ, quia ut de Abel,
Seth, Enos, & Enoch, ac Noe, atque Melchisedech legitur, qui alij fuerint deo
placentes scriptura minime refert. In secundo uero tempore, id est, sub lege,
flores eruperunt sanctorum: quia qui sub lege deo placuerunt, sacris uolumi-
nibus ostenduntur. Tertio uero tempore sub euangelica quodammodo præ-
dicatione, uuæ ad maturitatem peruenerunt, quando credentium in Christo
fides proficiendo in tantum roborata est, ut pro diuini nominis confessione
cruorem suum effundi à persequutoribus minime detrectauerint: aut certe
pro Christi amore, sæua castigatione membra sui corporis crucifigunt cum
uitijs & concupiscentijs, castrantes se uidelicet à mundi delectationibus & car
nalibus desiderijs, calicem uidelicet dominicæ passionis in memoria semper
habentes, & sermonibus in mundo prædicantes poculum porrigunt Pharao
ni. Sequitur, Hæc est interpretatio somnij: Tres propagines, tres adhuc di-
es sunt, post quos recordabit Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum
pristinum, dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut facere ante consueue-
ras.) Post trinam enim lucem domino ab inferis resurgente, & legis obscura,
ut Ioseph somnia, reuelante: solutus est à peccatis credentium populus, & de
inferni carcere, uel potestate dæmonum liberatus, redditusque est in ministerio

legis diuinæ. Sicut enim in pincerna, qui eductus de carcere & suo restitutus est ministerio, gentilis significatus est populus: ita in principe pistorũ, sine dubio, gens intelligenda Iudaica est. Tria canistra super caput eius, & in uno canistro quod erat excelsius portare omnes cibos qui fiunt arte pistoria, auesq; comedere ex eo, quid aliud significat, nisi tripartita ipsi populo concessa diuinæ legis eloquia, legẽ uidelicet, & prophetas, & agiographa? Quæ omnia super caput portabat, quia mẽtem illorum excesserat spiritalis scientiæ plenitudo. Arte pistoria panes cocti, quid aliud significãt, nisi quod lex ueteris testamenti, non est humana inuenta astutia, sicut impij astruunt Marcionistæ, & hæretici Manichæi: sed spiritus sancti autoritate, antiquis patriarchis & sanctis prophetis est credita? Spiritum enim sanctum per ignem significari, multis locis in diuina legimus scriptura. Vnum enim canistrum, quod altius cæteris erat, nimirum lex intelligenda Mosaica est, propter densitatem mysteriorum & umbraticas significationes: ex q̃uo cibũ uolucres cœli percipiunt, dum animæ sanctæ, quæ per cœli significantur aues, spiritaliter aluntur, dum in lege domini meditãtur die ac nocte, qui possunt dicere cum Apostolo, Nostra autẽ conuersatio in cœlis est. Pharaonẽ, qui eduxit Ioseph de carcere, eiq; potestatem in omni terra dedit Ægypti, prioriq; ministerio suum pincernam restituit, & pistorem suum die tertia patibulo suspẽdit, dei patris habuisse figuram, nõ dubium est: qui Iesum Christum dominum nostrum resuscitauit ab inferis, & fidelem noui testamẽti populum à nexibus primæ præuaricationis & cæterorum omnium eripuit uinculis. Infidelem uero capite absciso, id est, Christo, qui est caput legis & prophetarum: & die tertia, hoc est tertio suspendit tempore: quia in cruce nostri saluatoris, ubi fideles sunt à peccatorum uinculis absoluti, ibi ipsi impij Iudæi atq; cæteri ethnici, quorum ipse Pharaonis pistor figuram tenuit, sunt condemnati, qui in humilitate carnis positum, dominum despexerunt. Quod uero uolucres cœli lacerauerũt carnes eius, huius rei præsagium fuit, quod quadragesimosecundo anno post domini resurrectionem & ascẽsionem in cœlos, ex omni orbe terrarum populi ueniẽtes cum ducibus Romanorum Tito & Vespasiano, eos non solum uastitate & fame cruciauerunt, sed etiam multa in eis ludibria exercuerunt: digni quippe erant talia perpeti, qui talia in dei prophetis, & in ipso exercuerunt domino: & eos qui ex eis famem & gladium euaserunt, in toto mundo diuiserunt, atq; sibi suisq; posteris in famulis iure perpetuo reliquerunt, usq; dum plenitudo gentium introeat, & sic postmodum & ipsi, non proprio merito, sed dei gratia salui fiant: qui in primo nostri saluatoris aduentu, ignorãtes dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ dei non fuerunt subiecti: & impleatur illud quod beatus Iacob patriarcha ex eorum persona, Esau filio suo prædixit, Viues gladio, & fratri tuo seruies, tempusq; ueniet quãdo soluas & excutias iugum de ceruicibus tuis. Sequitur,

POST duos annos uidit Pharao somniũ. Putabat se stare super fluuium de quo ascendebant septem boues pulchræ & crassæ nimis, & pascebantur in locis palustribus. Aliæ quoque septem emergebant de flumine fœdæ confe/ctæq; maciæ, & pascebantur in ipsa amnis ripa, in locis uirentibus: deuoraue/runtq; eas, quarum mira species & habitudo corporis erat.) Quod putabat se stare Pharao super flumẽ, quemadmodum seruus Abrahæ dixit, Ecce ego sto super fontem aquæ: hæc loquutio si intelligatur, ita est ut in Psalmo scri/ptum est, Qui fundauit terram super aquas. Secundum hanc enim loquutio/nem recte intelligitur, quod altior sit terra, quàm aqua: altius quippe ab aquis sustollitur, ubi habitant terrena animalia. Sequitur, Expergefactus Pha/rao, rursum dormiuit, & uidit alterum somnium. Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atq; formosæ. Aliæ quoq; totidem spicæ, tenues, & per/cussæ uredine oriebantur, deuorantes omnem priorum pulchritudinem. Eui/gilans post quietem, & facto mane, pauore perterritus, misit ad coniectores Ægypti, cunctosq; sapientes: & accersitis, narrauit somnium, nec erat qui in/terpretaretur. Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait, Iratus rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum, ubi una nocte uterq; uidimus somnium præsagiũ futurorum: eratq; ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus, cui narrantes somnia, au/diuimus quicquid postea rei probauit euentus. Ego enim redditus sum offi/cio meo, & ille suspensus est in cruce.) Somnium Pharaonis, legis & prophe/tarum præsignabat figuras, in quibus de conuersione omnium gentium, & antichristi persequutionibus, sancto spiritu reuelante loquuti sunt. Qui in se/ptem spicis plenis, seu in septem uaccis pinguibus ostendebatur: quia sunt se/ptem charismatum spiritalium dona, quibus ubertas fidei diuinæ, in gratia noui testamenti larga pietate redundat. Fertilitatis autem hebdomada, tem/pus accipiendum est, quo ab uniuersis gentibus, fides confessionis nominis Christi, uel scientia trinitatis suscepta est: de qua ait propheta, Repleta est terra scientia domini, sicut aquis maris operientis. Intantum enim prædica/tionis diuinæ uerbum per totas orbis regiones in uniuersis gentibus fecit pro ficere, & suscepta fidei suæ gratia, per sanctam conuersationem ad perfectio/nem contendere, ut non solum cœlesti horreo fierent apti, uerum etiam & ex emplo suo ad imitandum cæteros prouocarent. At contrà, septem sterilita/tis anni, famem ueritatis & iustitiæ nouissimis temporibus significabãt, quæ fidelium consumptura est multitudinem temporibus antichristi. Sequitur,

Ecce anni septem ueniẽt fertilitatis magnæ in uniuersa terra Ægypti, quos sequentur septem anni alij tantæ sterilitatis, ut cuncta obliuioni tradatur re/tro abundantia. Consumptura est enim fames omnẽ terram, & ubertatis ma gnitudinem perditura est inopiæ magnitudo.) Et est sensus: Vbertatis huius quam futurã significauerũt boues bonæ & spicæ bonæ, obliuiscẽtur homines in ea fame, quam significauerant boues & spicæ malæ. Potest & hebdomada

CAP. XLI

Pharaonis

XXIII

duorum annorum, significare tempus præsens & futurum. Qui enim fideliter ac pie uiuendo laborauerint in seculo præsenti, quod reperiant in futuro, beatitudinem consequentur perpetuæ uitæ. Qui autem infideles existunt, & nihil cogitant de futuro, otioq́ in præsenti seculo torpescunt, sterilitatis suę in futuro reperient finem. Sequitur, Nunc ergo prouideat rex uirum sapientem & industrium, & præferat eum terræ Ægypti, qui constituat præpositos per singulas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condat, serueturq́ in urbibus, & paretur futuræ septem annorum fami, quæ pressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopia. Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris eius, loquutusq́ est ad eos, Num inuenire poterimus talem uirum, qui spiritu dei plenus sit?) Ecce iam nisi fallor, tertio insinuatur nobis in hoc libro, spiritum sanctum esse spiritum dei: primo, ubi dictum est, Spiritus dei ferebatur super aquas. secundo, ubi dixit deus, Non permanebit spiritus meus in hominib. istis, propter quod carnes sunt. & tertio nunc, quod Pharao dicit de Ioseph esse in illo spiritum dei. Nondum tamen legimus spiritum sanctum. Sequitur, Dixit Pharao ad Ioseph, Quia ostendit tibi deus omnia quæ loquutus es, nunquid sapientiorem & similem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperiũ, cunctus obediat populus: uno tantum regni solio te præcedam.) Idipsum in secundo psalmo à patre dicitur domino, Filius meus es tu, ego hodie genui te, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et ipse dominus in euangelio discipulis ait, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Data quippe potestas est homini assumpto, nõ uerbo dei filio patri & spiritui coæterno, à quo creata sunt omnia. Vno tantum præcedit filium pater, paterni uidelicet nominis uocabulo: ut in confessione seu in laudibus, patris nomẽ semper anteponatur. Nam dignitate & potestate, natura atq́ uirtute, æternitate uel origine, unum sunt, unius deitatis atq́ substantiæ, nominibus enim tantummodo distinguuntur. Sequitur, Dixitq́ rursum Pharao ad Ioseph, Ecce constitui te super uniuersam terram Ægypti. Tulitq́ anulum de manu sua, & dedit in manu eius, uestiuitq́ stola byssina, & collo torquem auream circumposuit, fecitq́ ascendere super currum suum, secundo clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent in uniuersa terra Ægypti.) Ioseph qui typum induit Christi, currum meruit ascendere: & præco clamauit ante eum, & constituit illum Pharao super uniuersam terram Ægypti. Ita & dominus noster, postquàm est distractus à Iuda, ut Ioseph à fratribus, & de inferorum carcere surrexit, ascendit currum regni cœlestis, de quo dictum est, Currus dei decem milium: & accepit potestatem prædicandi, & iudicandi, sicut Paulus apostolus ait, Et dedit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & in-

De principatu Ioseph supra Aegyptũ XXIIII

fernorum. Accepit quoq; & anulum, id est, pontificatum fidei, quo credentium animæ saluatori signantur, ac frontibus & cordibus nostris per signum crucis, figura exprimitur æterni regis. Induiturq; stola byssina, id est, carnem sanctam bysso splendidiorē, & stola immortalitatis. Accepit quoq; torquem auream, id est, intellectum bonum: præco ante eum præcedit, id est, Ioannes baptista, qui iter eius præcedens præconabat, dicens, Parate uiam domini. Didicimus enim labores Christi in orbe gentium, quem significabat Ægyptus, per uarias passiones martyrū: & nunc uidemus honorem Christi in eodem orbe terrarum: erogatione frumenti, id est, uerbi diuini prædicatione, sibi omnia subiugātem. Sequitur, Dixitq; rex ad Ioseph, Ego sum Pharao, absq; tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitq; nomen illius, & uocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi.) Quid manifestius de Christo, quando sub figura Ioseph, saluator ostenditur, non tantū unius terræ Ægypti, sed etiam totius mūdi? Sequitur, Deditq; illi uxorem Assenez, filiam Putiphar sacerdotis Heliopoleos) Quæri solet, cuius Putiphar Ioseph filiam acceperit uxorem: utrum illius, cuius seruus fuit, an alterius? Credat quisq; quod placet, non est tamen quæstio quis fuerit: siue enim unus fuerit, siue duo, quodlibet horum quisq; existimet, non est fidei periculosum, nec cōtrarium ueritati scripturarum dei. Sicut enim accepit Ioseph ex gentibus uxorem, ita & Christus ecclesiam: ex qua genuit duos filios, id est, duos populos, ex Iudæis & gentibus congregatos. Triginta autem erat annorum, quando stetit Ioseph in conspectu regis Pharaonis. Totidemq; annorum legitur fuisse Christus, quando sub typo Pharaonis in conspectu mundi apparuit reuelatus. Venitq; fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti, omnisq; frugum abundantia in singulis urbibus condita est, tantaq; fuit multitudo tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet. Pro eo dictum non erat numerus, quod nomen numeri usitati excederet illa copia, & quomodo appellaretur, non inueniebatur. Nam inde fieri potest, ut cuilibet magnæ & infinitæ multitudini numerus non sit, quod congregauit Ioseph per septem annos omnem frugum abundantiam: id est, frumenta fidei sanctorum horreis condens, per illa scilicet septem charismata, quasi per septem annos: ut quum septem anni inopiæ esse cœperint, id est, quum iniquitas occurrerit septem capitalium criminum sub antichristo, quando fames fidei fuerit saluatoris, tunc sancti pariter & fideles habeant copiosam iustitiæ frugem: ne fides eorum in opera sermonum uel prædicationis attenuata, deficiat. Sequitur,

CAP. XLII *De frumentatione filiorum Iacob* XXV

AVDIENS autem Iacob, quod alimenta uenderētur in Ægypto, dixit filijs suis, Quare negligitis? Audiui quod triticū uenūdetur in Ægypto. Descendite, & emite nobis necessaria, ut possimus uiuere, & non cōsumamur inopia. Descēdentes igitur fratres Ioseph decē, ut emerent frumēta ingressi sunt terrā

Ægypti,

Ægypti,& Ioſeph princeps erat terræ Ægypti, atq; ad illius nutum frumẽta populis uendebãtur. Quumq; adoraſſent eum fratres ſui,& cognouiſſet eos, quaſi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos, Vnde ueniſtis? Qui reſponderunt, De terra Chanaan,ut emamus frumenta. Et tamen fratres ipſe cognoſcens,nõ eſt agnitus ab eis.) Igitur poſt ubertatis annos in uniuerſo orbe fames præualuit: merito,quia non erat qui faceret bonitatem.Poſt hæc Ioſeph à penuria frumenti ſaluat Ægyptum, & Chriſtus à fame uerbi dei liberat mundum. Aperuit enim horrea ſua Chriſtus,in omni orbe terrarũ:& erogatione frumenti ſui,omnia ſubiugauit. Niſi enim Ioſeph fratres ſui uẽdidiſſent in Ægyptum,defecerat Ægyptus: & niſi Iudæi Chriſtum crucifixiſſent, perierat mundus. Ioſeph interpretatur Augmentatio, ſiue Ampliatio: ſed in illo Ioſeph ampliationem non habuit,niſi ſola Ægyptus:in noſtro autem Ioſeph augmẽtum habere meruit uniuerſus mundus.Ille erogauit triticum,noſter erogauit dei uerbum. Dicit Iacob filijs ſuis, Eſt frumentum in Ægypto: dicit & deus pater,Ex Ægypto uocaui filiũ meum. Deſcendunt igitur decem prouectiores fratres:id eſt,Iudæi, quaſi ſub decalogo legis & numero conſtituti: quos ipſe cognoſcens, non eſt agnitus ab eis. Cognoſcuntur Hebræi à Chriſto,ſed ipſi nõ cognoſcunt eum.Sequitur,

De eo qđ ſcriptum eſt, Recordatus ſomniorum, &c.

XXVI

Recordatusq; ſomniorum quæ aliquãdo uiderat,ait, Vt uideatis infirmiora terræ ueniſtis. Qui dixerũt, Non eſt ita domine:ſed ſerui tui uenerũt,ut emerent cibos.Omnes filij unius uiri ſumus: nec quicquam famuli tui machinantur mali. Quibus ille ait, Aliter eſt:immunita terræ huius cõſiderare ueniſtis.Et illi, Duodecim, inquiunt, ſerui tui fratres ſumus, filij uiri unius in terra Chanaan: minimus cum patre noſtro eſt, alius non eſt ſuper. Hoc eſt,ait,quod loquutus ſum, exploratores eſtis.Iam nunc experimentũ ueſtri capiam. Per ſalutem Pharaonis non egredimini hinc,donec ueniat frater ueſter minimus.Mittite è uobis unum,& adducat eum:uos autem eritis in uinculis, donec probentur quæ dixiſtis,utrum falſa,an uera ſint:alioquin per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis.) Quid eſt quod Ioſeph uir tam ſapiens, atq; ita non ſolum hominum inter quos uiuebat,ſed ipſa etiam poſt ſcriptura teſte laudatus, iurat per ſalutẽ Pharaonis non exituros de Ægypto fratres ſuos,niſi frater eorũ iunior uenerit? an etiam bono & fideli uilis erat Pharaonis ſalus, qui fidem primitus domino ſuo ſeruabat in omnibus:quanto magis ipſi Pharaoni,qui eum in tanto honore locauerat, ſi illi ſeruauit, qui eum ſeruum emptitium poſſidebat? Quod ſi non curabat ſalutem Pharaonis,nunquid & periurium pro cuiuslibet hominis ſalute uitare non debuit? an non eſt periurium? Tenuit enim unum ex eis, donec ueniret Beniamin:& uerum factum eſt quod dixerat, Non exibitis hinc, niſi ueniat frater ueſter minimus.Ad omnes enim poterat pertinere quod dictum eſt. Neq; enim digne dicerentur redire ad patrem, quorum frater uinctus tenebatur in Ægypto,cum quo & ipſi mente & animo ſolliciti,uelut quibuſdam charitatis uinculis tenebantur aſtricti. Nam quomodo & ille uentu-

rus esset, nisi ad eum adducendum aliqui redissent? Sed quod sequitur magis urget quæstionem, quum iterū iurauit, dicens, Mittite unum è uobis, & adducite fratrem uestrum: uos autem eritis in uinculis, donec probentur quæ dixistis, utrum uera, an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis, exploratores estis. Huic sententiæ interposuit iurationem, quia si uera non dixissent, exploratores essent: id est, exploratorum pœna digni essent: quos tamen uera dicere sciebat, tanquam si dictum esset, Exploratores estis: exploratorū pœna digni eritis. Sequitur, Tradidit eos in custodiam tribus diebus, tertia autem die eductis eis de carcere, ait, Facite quod dixi, & uiuetis, deum enim timeo. Si pacifici estis, frater uester unus ligetur in custodia: uos autem abite & ferte frumenta quæ emistis, in domum uestram: & fratrem uestrum minimum adducite ad me, ut possim uestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt ut dixerat, & loquuti sunt adinuicem, Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, uidētes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non eum audiuimus. Idcirco uenit super nos ista tribulatio. E quibus unus Ruben, ait, Nunquid non dixi uobis, Nolite peccare in puerum? Et non audistis me. En sanguis eius exquiritur. Nesciebant autem quod intelligeret Ioseph: eo quod per interpretem loqueretur eis.) Quid est quod quum inter se pœnitentes filij Israel loquerentur de fratre suo Ioseph, quod in illo male egerint, & hoc eis diuino iudicio redderetur, quod se periclitari uiderēt, adiungit scriptura, & dicit, Ipsi ignorabāt quod intelligeret Ioseph, interpres enim inter illos erat: hoc scilicet intelligēdum est, ideo eos putasse quod ille non intelligeret quæ loquebantur: non ob aliud adhibitum putabant interpretem, nisi quod eorum linguam ille nesciret: nec cura erat interpretis ea dicere illi à quo positus fuerat, quæ non ad illum, sed inter se loquebātur. Sequitur, Auertitq; se parumper, & fleuit, & reuersus loquutus est ad eos.) Nec adiungit quid illis dixerit. Vnde intelligitur hæc eadem dixisse, quæ dixerat. Sequitur, Tollens Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit ministris, ut implerent saccos eorum tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra eis cibarijs in uia. Qui fecerunt ita. At illi portantes frumenta in asinis profecti sunt: apertoq; unus sacco, ut daret iumento pabulum in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, dixit fratribus suis, Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti turbatiq; dixerunt mutuo, Quid nam est, quod fecit nobis deus?) Si diligentius consideremus, inueniemus quia nunquam ferè in sanctum quis locum dicitur descendisse, uel uituperabilem conscendisse memoratur. Quæ obseruationes ostendunt diuinam scripturam, non ut plurimis uidetur, inerudito atq; agresti sermone compositam: sed secūdum disciplinam diuinæ eruditionis, aptatam: neq; historicis narrationibus, quantum rebus & sensibus mysticis seruientem. Vnde quum detentus fuisset Simeon in Ægypto, & nouem fratres eius dimissi reuerterentur ad patrem, non est scriptum, quia ascenderunt ex Ægypto: sed

ſed imponentes,inquit, frumētum ſuper aſinos ſuos,abierunt. Quūm autem recepto fratre & cognito Ioſeph,ſed & Beniamin in oculis eius oblato cum lætitia reuerterentur: tunc dicitur,Quia aſcenderunt ex Ægypto,& uenerunt in terram Chanaā ad Iacob patrem ſuum.Sequitur, Et narrauerunt ſibi omnia quæ accidiſſent eis, dicentes, Loquutus eſt nobis dominus terræ dure, & putauit nos exploratores prouinciæ:cui reſpondimus, Pacifici ſumus, nec ullas molimur inſidias:duodecim fratres uno patre geniti ſumus, unus non eſt ſuper,minimus cum patre uerſatur in terra Chanaan.Qui ait nobis,Sic probabo quod pacifici ſitis:fratrem ueſtrum unum dimittite apud me, & cibaria domibus ueſtris neceſſaria ſumite,& abite:fratremq; ueſtrum minimum adducite ad me,ut ſciam quod non ſitis exploratores,& iſtum qui tenetur in uinculis recipere poſſitis,ac deinceps emendi quæ uultis habeatis licentiam. His dictis quum frumenta effunderent,ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias.) Dederunt quidem illi pecuniam:ſed Ioſeph,id eſt Chriſtus dominus triticum dedit,& argentum tribuit:quia nō argento emitur Chriſtus,ſed gratia.Sequitur, Dixit Iacob filijs ſuis,Abſq; liberis me eſſe feciſtis.Ioſeph non eſt ſuper,Simeon tenetur in uinculis,Beniamin auferetis,deducetiſq; canos meos cum dolore ad inferos.) Vtrum ideo ad infernū,quia cum triſtitia? an etiam ſi abeſſet triſtitia, tanquam ad infernum moriēdo deſcenderet? De inferno autē magna quæſtio eſt:& quid inde ſcriptura ſentiat locis omnibus, ubi fortè hoc commemoratum fuerit,obſeruandum.Sequitur,

De eo quod ſcriptum eſt, Narrauerunt ſibi om. &c. XXVII

CAP. XLIII

IVDAS quoq; dixit patri ſuo, Mitte puerum ut proficiſcamur,& poſſimus uiuere nos & paruuli noſtri. Deſcenderuntq; in Ægyptum, & ſteterunt coram Ioſeph.Quos quum ille uidiſſet & Beniamin ſimul,præcepit diſpenſatori ſuo,dicens,Introduc uiros domum,& occide uictimas,& inſtrue conuiuium,quoniam mecum comeſſuri ſunt meridie.Accedentes autem,ad diſpenſatorem loquuti ſunt,Oramus domine ut audias,Iam ante deſcēdimus,ut emeremus eſcas:quibus emptis,quum ueniſſemus ad diuerſorium,aperuimus ſacculos noſtros,& inuenimus pecuniā in ore ſaccorum,quam nunc eodem pondere reportauimus. At ille reſpondit, Deus ueſter,& deus patris ueſtri dedit uobis theſauros in ſacculis ueſtris:nam pecuniam quam dediſtis mihi probatam,ego habeo.)Quod à præpoſito domus audiunt,Deus ueſter,& deus patrum ueſtrorum dedit uobis pecuniam in ſaccis ueſtris, argentum autem ueſtrum probatum habeo:mendacium uidetur quod non eſt,ſed aliquid ſignificare credendum eſt. Argentum enim quod datur & non minuitur,quod & probatum appellatū eſt,nimirum illud intelligitur de quo alibi legimus,Eloquia domini,eloquia caſta,argentum igne exam.prob.terræ pur.ſeptuplum: id eſt perfectos.Sequitur, Eduxitq; ad eos Simeon,& introductis domum attulit aquam,& lauerunt pedes ſuos,deditq; pabula iumentis eorum. Illi uero parauerunt munera donec ingrederetur Ioſeph meridie, audierant enim quod ibi comeſſuri eſſent panem. Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtule-

obtuleruntq́ ei munera, & adorauerunt proni in terra. At ille clementer resalutatis eis, interrogauit dicens, Saluus'ne est pater uester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc uiuit? Et incuruati adorauerũt eum.) Astute namq; fratrem uendere ausi sunt, ut dei consilium mutaretur: sed diuino iudicio, quod declinare conati sunt, renitentes seruierunt. Inde quippe coacti sunt dei uolũtatem peragere, unde huic moliti sunt astute contraire. Sic diuinum consilium dum uitatur, completur: sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres ne Ioseph super eos excresceret, sed hoc quod diuinitus dispositum fuerat, cauendo actum est ut ueniret. Humana ergo sapientia in seipsa comprehensa est, quæ uoluntati dei unde per intentionem restitit, inde eius impletioni militauit. Quod sæpe nonnulli dum humana sapientia inflati, desiderijs suis diuina iudicia contraire conspiciunt, astutis eis machinationibus reluctari conantur: & quo ad uotum uim supernæ dispositionis intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt: sed inde uoluntatem dei peragunt, unde hanc immutare contendunt: atq; omnipotentis consilio, dum resistere nituntur, obsequuntur: quia sæpe & hoc eius dispositioni apte militat, quod ei per humanũ studium friuole resultat, sicut scriptum est, Comprehendit sapientes in astutia sua. In astutia namq; sua sapientes comprehendit, quando eius consilijs humana facta etiam tunc congrue seruiunt, quum resistunt, unde per Psalmistam dicitur, Nouit dominus cogitationes hominum, quoniam uanæ sunt. Pensemus igitur gestæ rei ordinem, pensemus quomodo cogitationes hominum in ipsa sua prouisione diuinitas comprehendat. Ideo ab eis Ioseph uenditus fuerat ne adoraretur, sed ideo est adoratus quia uenditus. Restat ergo ut in cunctis quæ agimus, uim supernæ uoluntatis inquiramus, cui uidelicet cognitæ debet nostra actio famulari, & quasi ducem sui itineris sequi: ne ei etiam nolens seruiat, si hanc superbiẽs declinat. Vitari enim uis superni consilij nequaquam potest, sed magna sibi uirtute hanc temperat, qui se sub eius nutibus refrenat, eiusq́ sibi pondera leuigat, qui hæc ex subiecto cordis humero uolens, portat. Sequitur, Attollens autem oculos Ioseph uidit Beniamin fratrem suum uterinũ, & ait, Iste est frater uester minimus de quo dixeratis mihi? Et rursum, Deus, inquit, misereatur tibi, fili mi. Festinauitq́ quia commota fuerant uiscera eius super fratrem suum, & erumpebant lachrymæ, & introiens cubiculum fleuit: rursumq́ lota facie egressus, continuit se.) Vidit Ioseph Beniamin paruulum fratrem suum: mystice quoq; uidit dominus Iesus Paulum, quando lux circumfulsit eum. Qui idcirco minimus dicitur, quia nondum maturam in carne fidei gerebat ætatem: unde & adolescens legitur fuisse, quando lapidantium Stephanum uestimenta seruabat. Fleuit Ioseph super Beniamin: & cæcitas Pauli, fletus est Christi. Lauat faciem suam, ut ei lumen amissum restituatur: lauit faciem suam Christus, ubi baptizatus est Paulus, per quem dominus noster Iesus Christus à plurimis uideretur. Sequitur, Et ait, Ponite panes. Quibus appositis,

De eo qd' scriptum est, Attollens, &c. XXVIII

positis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Ægyptijs quoque qui uescebantur simul seorsum (illicitum est enim Ægyptijs comedere cum eis, & prophanum putant huiuscemodi conuiuium) sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta primogenita sua, & mirabantur nimis, sumptis partibus quas ab eo acceperunt: maiorque pars uenit Beniamin, ita ut in quinque partes excederet: biberuntque, & inebriati sunt cum eo.) Solent huic ebriosi adhibere testimonio patrocinium, non propter illos filios Israel, sed propter Ioseph, qui ualde sapiens commendabatur. Sed hoc uerbum & pro satietate solere poni in scripturis, qui diligenter aduertit, multis in locis inueniet. Vnde est illud, Visitasti terram, & inebriasti eam, multipl. ditare eam: eo quod in laude benedictionis hoc positum est, & donum dei cómemoratur, apparet per hanc ebrietatem, satietatem significari. Nam ita inebriari, ut inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ utile est. Sequitur,

CAP. XLIIII *De scypho posito in sacco Beniamin* XXIX

PRAECEPIT autem Ioseph dispensatori domus suæ, Imple saccos eorum frumento, quantum possint capere, & pone pecuniam singulorũ in summitate sacci, scyphum autem meum argenteum & precium quod dedit tritici pone in ore sacci iunioris. Factũque est ita.) Mouet quid sibi uelit hoc factum Ioseph, quo fratres suos donec eis aperiret quis esset, toties ludificauit, & tanta expectatione suspendit. Quod licet tanto sit suauius quum legitur, quanto illis sit inopinatius cum quibus agitur, tamẽ sapientiæ illius grauitate, nisi magnum aliquid isto quasi ludo significaretur, nec ab illo fieret, nec ea scriptura contineretur, in qua est tantæ sanctitatis autoritas, & prophetãdorum tanta intentio futurorum, quam modo exequi exponendo suscepimus. Sequitur,

Apud quemcunque seruorum tuorum fuerit inuentum quod quæris, moriatur, & nos serui erimus domini nostri. Qui dixit, Fiat iuxta sententiã uestram. Apud quem fuerit inuentum, ipse sit seruus meus, uos autem eritis innoxij. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. Quos scrutatus, incipiens à maiore usque ad minimũ, inuenit scyphum in sacco Beniamin.) Sed quid sibi uult, quod scyphus Ioseph inuentus est in sacco Beniamin: nisi quia in corpore Pauli iam doctrinæ cœlestis præfulgebat eloquiũ, dum esset eruditus in lege: sed quia subiectus non erat diuinæ gratiæ, intra saccum erat scyphus, doctrina intra legem, lucerna sub modio. Missus tamẽ Ananias manum posuit, marsupium soluit: marsupio soluto, argentum resplenduit: & decidentibus squãmis, uelut quibusdam sacci uinculis, soluto sacco, id est deposito legis uelamine, adeptus est gratiæ libertatem, & reuelata facie sermones euangelij prædicauit. Sequitur, At illi scissis uestibus, oneratisque rursum asinis, reuersi sunt in oppidũ: primusque Iudas cum fratribus ingressus est ad Ioseph, necdum enim de loco abierat, omnesque ante eum pariter in terram corruerunt. Quibus ille ait, Quur sic agere uoluistis? An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia? Cui Iudas, Quid respondebimus, inquit, domino meo? uel quid loquemur? aut iuste poterimus obtendere? Deus inuenit

uenit iniquitatem in manibus seruorũ tuorum. En omnes serui sumus domini mei, & nos & apud quem inuentus est scyphus.) O' iaculum in corde, peregrini uenerunt, famis periculum fugiebant, frumenta quærebant, non acceperunt, & feriri se insuper criminis obiectione uidebant. Inter hæc ducuntur ad carcerem, & post triduum educti adhuc in eadem asperitate terrentur. Iam reditur ad cor, iam culpæ memoria pulsat animum, atq; inter se inuicem loquũtur, Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, uidẽtes angustiam animæ illius, quum deprecaretur nos, & non eum audiuimus. In his autem uerbis cor Ioseph secessum petit, soluit flendo quod pietati debuit, seuerus ad fratres reuertitur, ut cruciatus eorum animus à culpa liberaretur. Post hæc unus religatur in uinculis, dimittuntur cæteri cum frumento ut unus frater ueniat, quem minimum se habere dixerant: ueniente postmodum fratre uincebat mentem pietas, quum frater innocens uideretur: sed permanebat in ostensione asperitas, ut fratres noxij purgarentur: frumenta dantur, scyphus in sacco iunioris fratris absconditur, fortis post eos quæstio mouetur, mittitur ut reducantur, addici in seruitutem decernitur, apud quem scyphus fuisset inuentus, in sacco ultimi fratris inuenitur. Tunc Beniamin reducitur, afflicti omnes fratres secuntur. O' tormẽta misericordiæ, cruciat, & amat. Reuersi igitur, in terra cum lachrymis prostrati ueniã postulant, memores enim quid de illo patri promiserãt, mœrore intolerabili tabescebãt. Tunc se ultra cohibere non ualens, pietas clausa prorupit in medium, & excussit charitatis lachrymas de uultu serenitatis. De terrore est asperitas quæ apparebat, & non erat, quia misericordia erat, sed nõ apparebat. Sic uir sanctus facinus fratrum & dimisit & uindicauit, sic ore clementiam retinuit, ut delinquentibus fratribus nec sine ultione pius existeret, nec sine pietate districtus. Sequitur, Respõdit Ioseph, Absit à me, ut sic agam. Qui furatus est scyphum ipse sit seruus meus, uos autem abite liberi ad patrem uestrum.) Nonne clementer considerandum puto tantam miseriã in hac perturbatione fratrum suorũ, quomodo Ioseph quam diu uoluit tenuit, ac quanta uoluit mora produxit, nõ eos utiq; faciens calumniosos, quando tantæ etiam ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat: & totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ad hoc cogitabat, ut eadem dilatione cumularetur: tanquam non essent condignæ passiones eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis quæ in eis fuit reuelanda fratre cognito, quem à se perditum esse arbitrabãtur. Sequitur, Accedens propius Iudas, confidenter ait, Oro domine mi, loquatur seruus tuus uerbũ in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo. Interrogasti prius seruos tuos, habetis patrem aut fratrem: & nos respondimus, Est nobis pater senex & puer paruulus, qui in senectute illius natus est, cuius uterinus frater est mortuus, & ipsum solũ habet mater sua, pater uero tenere diligit eum. Dixisti seruis tuis, Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum. Suggessimus domino meo, nõ potest puer relinquere patrem suum. Si enim

illum dimiserit, morietur. Et dixisti seruis tuis, Nisi uenerit frater uester minimus uobiscum, nō uidebitis amplius faciem meam.) Multa in narratione Iudæ aliter dicta sunt, quàm cum illis egerat Ioseph, quamuis apud eum loqueretur, ut omnino de illa simulatione quod exploratores essent nihil diceretur, quod utrum consulto tacitum sit, an id fecerit perturbationis obliuio, non apparet. Nam & illud quod dixerunt, se ab ipso Ioseph interrogatos de patre & fratre suo, se autem illa interroganti indicasse, mirum si uel ad sententiā possit ista peruenire narratio, ut eam constet esse ueracem: quanquam & si aliqua in ea falsa sunt, falli potius per obliuionē potuit, q̄ auderent mentiri, apud eum præsertim, cui non sicut nescienti, sed etiam illa quæ nouerant eum scire, ad flectendā eius misericordiā narrationi inserebat. Sequit̃, Manebo itaq; seruus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascēdat cum fratribus suis.

CAP. XLV. De manifestatione Ioseph ad fratres XXX

NON se poterat ultra cohibere Ioseph, eleuauitq; uocem cum fletu, quam audierūt Ægyptij, & dixit fratribus suis, Ego sum Ioseph. Adhuc pater meus uiuit? Nec poterant respondere fratres, nimio timore perterriti. Ad quos ille clemēter, Accedite, inquit, ad me. Et quum accessissent prope, Ego sum, ait, Ioseph frater uester, quem uendidistis. Pro salute enim uestra misit me deus ante uos in Ægyptum, ut reseruemini super terram, & escas ad uiuendum habere possitis.) Quid est quod dicit Ioseph, Misit me deus ante uos in Ægyptū, ut seruemini super terram, & escas ad uiuendum habere possitis: nisi fortè significat illud altum secretumq; mysteriū, quod ait Apostolus, Reliquiæ per electionē gratiæ saluæ factæ sunt, quia propheta prædixerat, Si fuerit numerus filiorū Israel quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Ad hoc enim occisus est Christus à Iudæis, & traditus gentibus, tanquam Ioseph Ægyptijs à fratribus, ut & reliquiæ Israel saluæ fierent: unde dicit Apostolus, Nam & ego Israelita sum: & ut plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, id est ex reliquijs Israel secūdum carnem & plenitudine gentium, quæ in fide Christi secundum spiritum sunt Israel: aut si genti illius Israeliticæ restat fidei plenitudo, ex qua erāt reliquiæ, in quibus reliquijs tunc & apostoli salui facti sunt, hoc significat̃ ea plenitudine liberatiōis Israel, qua per Moysen ex Ægypto liberati sunt. Sequitur, Dedit Ioseph fratribus suis plaustra secundum Pharaonis imperiū & cibaria in itinere, singulisq; proferri iussit binas stolas: Beniamin uero dedit trecentos argenteos cum quinq; stolis optimis, tantundem pecuniæ & uestium mittens patri suo, addens ei asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitijs Ægypti, & totidem asinas triticum in itinere panesq; portantes.) Triginta argenteos à Christo accepit quicūq; prædicat trinitatem siue Christi crucē: ideoq; Paulus ait, Neq; enim iudicaui me scire aliquid inter uos, nisi Christum Iesum, & hūc crucifixum. Quinq; autem stolas accepit, id est sapientiæ, omniumq; sensuum multiplicem in lege disciplinam. Præcellit igitur Paulus, & exuberat eius portio meritorum: sed tamē habent & fratres, id est alij prædicatores gratia sua binas stolas, id est ut confiteantur

Christum

Christum & deum esse & hominē, iuxta quod in Prouerbijs legitur, Omnes domestici eius uestiti sunt duplicibus, idest mystica uel morali intelligentia. Mittuntur & patri munera. Filius honorat patrē suum, & Christus populum suum promissis inuitat muneribus. Portant hæc munera asini illi gentiles, inutiles, & laboriosi: nunc autem utiles portent in typū Christi munera, portent in euangelio munerum largitorem. Sequitur, Qui ascendentes uenerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob, & nuntiauerunt ei, dicentes, Ioseph uiuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti.) Si enim potuisset uinci à libidine & peccasset cum uxore domini sui, nō puto quod hoc à patriarchis nuntiatū de eo fuisset patri eius Iacob, quia filius eius uiueret. Hoc enim si fecisset, sine dubio non uiuebat. Anima enim quæ peccat, ipsa moritur. Tale ergo aliquid & in Iacob indicare uidetur hic sermo, quod donec lōge fuit ab Ioseph, & non est annūtiatum ei de uita eius, ueluti defecerat in eo spiritus eius, & lumen quod in ipso fuit fomentis deficiētibus iam fuerat obscuratū: ubi uero uenerunt qui ei annūtiauerunt de uita eius, id est qui dicerent, quia uita erat lux hominum, reaccēdit in se spiritum suum, & reparatus est in eo fulgor luminis ueri, & qui mortuus uidebatur, fide resurrectionis uiuificatur. Sed & in nobis calcare libidinē, fugere luxuriā, omnesq́ uoluptates corporis premere ac refrenare, hoc est principatū gerere totius Ægypti: & hoc est quod apud Israel magnum ducitur, & in admiratione habetur. Si quis uero est, qui aliqua quidem uitia corporis subijciat, alijs uero cedat & subiaceat, de isto nō integre dicitur, quia principatū agit totius terræ Ægypti, sed unius fortè aut duarū aut trium ciuitatum uidebitur gerere principatū. Sequitur, Quo audito, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis, illi econtra referebant ordinē rei) Vocatur ergo plebs incredula, id est Iacob, à filijs suis, id est Petro & Paulo & Ioanne, dum populus Iudæorum inuitatur ad gratiam. Sequitur, Quumq́ uidisset uniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius, & ait, Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus uiuit, uadam & uidebo illum ante q̃ moriar) Sed nec hoc quidem ociose relinquendū est, quod non animum sed spiritum, tanq̃ meliorem sui partē resuscitatū esse dicit. Splendor etenim lucis qui erat in eo, etiam si extinctus penitus non est, tunc quum obtulerunt filij eius tunicam Ioseph hœdi sanguine maculatam, & mendacio eorum decipi potuit, ita ut scinderet uestimēta sua & poneret saccum super lumbum suum & lugeret filium suum nec uellet omnino consolari, sed diceret Quia descendā ad filium meū lugens in infernum. Tunc etiamsi, sicut diximus, nō erat penitus extinctum in eo lumen, maxima tamē ex parte fuerat obscuratū quod decipi potuit, quod uestimenta scindere, quod falsò lugere, quod implorare mortē, quod in infernum cuperet lugendo descendere. Propter hæc quoq; nunc resuscitatur & reuiuiscit spiritus eius, quia cōsequēs erat ut lumen quod in eo obscurauerat fraus mendacij, reaccenderet & refoueret ueritatis auditus. Sequitur,

CAP. XLVI De profectione Iacob in Aegyptum XXXI

PROFECTVSQVE Israel cū omnibus quæ habebat uenit ad puteum iura-

illum dimiserit, morietur. Et dixisti seruis tuis, Nisi uenerit frater uester minimus uobiscum, nõ uidebitis amplius faciem meam.) Multa in narratione Iudæ aliter dicta sunt, quàm cum illis egerat Ioseph, quamuis apud eum loqueretur, ut omnino de illa simulatione quod exploratores essent nihil diceretur, quod utrum consulto tacitum sit, an id fecerit perturbationis obliuio, non apparet. Nam & illud quod dixerunt, se ab ipso Ioseph interrogatos de patre & fratre suo, se autem illa interroganti indicasse, mirum si uel ad sententiã possit ista peruenire narratio, ut eam constet esse ueracem: quanquam & si aliqua in ea falsa sunt, falli potius per obliuionẽ potuit, quàm auderent mentiri, apud eum præsertim, cui non sicut nescienti, sed etiam illa quæ nouerant eum scire, ad flectendã eius misericordiã narrationi inserebat. Sequitur, Manebo itaque seruus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascẽdat cum fratribus suis.

CAP. XLV *De manifestatione Ioseph ad fratres* XXX

NON se poterat ultra cohibere Ioseph, eleuauitque uocem cum fletu, quam audierũt Ægyptij, & dixit fratribus suis, Ego sum Ioseph. Adhuc pater meus uiuit? Nec poterant respondere fratres, nimio timore perterriti. Ad quos ille clemẽter, Accedite, inquit, ad me. Et quum accessissent prope, Ego sum, ait, Ioseph frater uester, quem uendidistis. Pro salute enim uestra misit me deus ante uos in Ægyptum, ut reseruemini super terram, & escas ad uiuendum habere possitis.) Quid est quod dicit Ioseph, Misit me deus ante uos in Ægyptũ, ut seruemini super terram, & escas ad uiuendum habere possitis: nisi fortè significat illud altum secretumque mysteriũ, quod ait Apostolus, Reliquiæ per electionẽ gratiæ saluæ factæ sunt, quia propheta prædixerat, Si fuerit numerus filiorũ Israel quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Ad hoc enim occisus est Christus à Iudæis, & traditus gentibus, tanquam Ioseph Ægyptijs à fratribus, ut & reliquiæ Israel saluæ fierent: unde dicit Apostolus, Nam & ego Israelita sum: & ut plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, id est ex reliquijs Israel secũdum carnem & plenitudine gentium, quæ in fide Christi secundum spiritum sunt Israel: aut si genti illius Israeliticæ restat fidei plenitudo, ex qua erãt reliquiæ, in quibus reliquijs tunc & apostoli salui facti sunt, hoc significatur ea plenitudine liberatiõis Israel, qua per Moysen ex Ægypto liberati sunt. Sequitur, Dedit Ioseph fratribus suis plaustra secundum Pharaonis imperiũ & cibaria in itinere, singulisque proferri iussit binas stolas: Beniamin uero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis, tantundem pecuniæ & uestium mittens patri suo, addens ei asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitijs Ægypti, & totidem asinas triticum in itinere panesque portantes.) Triginta argenteos à Christo accepit quicũque prædicat trinitatem siue Christi crucẽ: ideoque Paulus ait, Neque enim iudicaui me scire aliquid inter uos, nisi Christum Iesum, & hũc crucifixum. Quinque autem stolas accepit, id est sapientiæ, omniumque sensuum multiplicem in lege disciplinam. Præcellit igitur Paulus, & exuberat eius portio meritorum: sed tamẽ habent & fratres, id est alij prædicatores gratia sua binas stolas, id est ut confiteantur

Christum

Christum & deum esse & hominē, iuxta quod in Prouerbijs legitur, Omnes domestici eius uestiti sunt duplicibus, idest mystica uel morali intelligentia. Mittuntur & patri munera. Filius honorat patrē suum, & Christus populum suum promissis inuitat muneribus. Portant hæc munera asini illi gentiles, inutiles, & laboriosi: nunc autem utiles portent in typū Christi munera, portent in euangelio munerum largitorem. Sequitur, Qui ascendentes uenerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob, & nuntiauerunt ei, dicentes, Ioseph uiuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti.) Si enim potuisset uinci à libidine & peccasset cum uxore domini sui, nō puto quod hoc à patriarchis nuntiatū de eo fuisset patri eius Iacob, quia filius eius uiueret. Hoc enim si fecisset, sine dubio non uiuebat. Anima enim quæ peccat, ipsa moritur. Tale ergo aliquid & in Iacob indicare uidetur hic sermo, quod donec lōge fuit ab Ioseph, & non est annūtiatum ei de uita eius, ueluti defecerat in eo spiritus eius, & lumen quod in ipso fuit fomentis deficiētibus iam fuerat obscuratū: ubi uero uenerunt qui ei annūtiauerunt de uita eius, id est qui dicerent, quia uita erat lux hominum, reaccēdit in se spiritum suum, & reparatus est in eo fulgor luminis ueri, & qui mortuus uidebatur, fide resurrectionis uiuificatur. Sed & in nobis calcare libidinē, fugere luxuriā, omnesq; uoluptates corporis premere ac refrenare, hoc est principatū gerere totius Ægypti: & hoc est quod apud Israel magnum ducitur, & in admiratione habetur. Si quis uero est, qui aliqua quidem uitia corporis subijciat, alijs uero cedat & subiaceat, de isto nō integre dicitur, quia principatū agit totius terræ Ægypti, sed unius fortè aut duarū aut trium ciuitatum uidebitur gerere principatū. Sequitur, Quo audito, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis, illi econtra referebant ordinē rei) Vocatur ergo plebs incredula, id est Iacob, à filijs suis, id est Petro & Paulo & Ioanne, dum populus Iudæorum inuitatur ad gratiam. Sequitur, Quumq; uidisset uniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius, & ait, Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus uiuit, uadam & uidebo illum ante q̄ moriar) Sed nec hoc quidem ociose relinquendū est, quod non animum sed spiritum, tanq̄ meliorem sui partē resuscitatū esse dicit. Splendor etenim lucis qui erat in eo, etiam si extinctus penitus non est, tunc quum obtulerunt filij eius tunicam Ioseph hœdi sanguine maculatam, & mendacio eorum decipi potuit, ita ut scinderet uestimēta sua & poneret saccum super lumbum suum & lugeret filium suum nec uellet omnino consolari, sed diceret Quia descendā ad filium meū lugens in infernum. Tunc etiamsi, sicut diximus, nō erat penitus extinctum in eo lumen, maxima tamē ex parte fuerat obscuratū quod decipi potuit, quod uestimenta scindere, quod falsò lugere, quod implorare mortē, quod in infernum cuperet lugendo descendere. Propter hæc quoq; nunc resuscitatur & reuiuiscit spiritus eius, quia cōsequēs erat ut lumen quod in eo obscurauerat fraus mendacij, reaccenderet & refoueret ueritatis auditus. Sequitur,

CAP. XLVI De profectione Iacob in Aegyptum XXXI

PROFECTVSQVE Israel cū omnibus quæ habebat uenit ad puteum iura-

iurameti,& mactatis ibi uictimis deo patris sui Isaac,audiuit deum per uisio-
nem nocte uocantem se,& dicētem sibi,Iacob,Iacob. Qui respondit, Adsum.
Ait illi deus, Ego sum fortissimus deus patris tui. Noli timere descendere in
Ægyptum,quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendā tecum illuc,
& ego inde adducam te reuertentem.) Quis est,qui factus est in gentem ma-
gnam in Ægypto,& in fine reuocatus est? Quantū ad Iacob illum spectat de
quo dici putatur,non uidebitur uerū:non enim in fine reuocatus est ex Ægy-
pto,quippe qui defunctus in Ægypto est. Absurdū aūt erit,si quis in eo reuo
catum dicit à deo Iacob,quia corpus eius reportatū est, quod si recipiat, non
erit uerum:quia deus,non est deus mortuorū,sed uiuorum. Non enim conue
nit hæc de corpore mortuo intelligi,sed super uiuos & in gentibus approbari.
Videamus ergo domini descensum in hunc mundū, & in gentem magnam,
hoc est,in ecclesiam ex gentibus factum, cōsummatisq; omnibus ad patrem
regressum. In hoc ergo uerius q̄ in Iacob adimplebitur quod dictū est, Quia
reuocabo te inde in fine. Sed & unusquisq; nostrū eodem ordine atq; eadem
uia Ægyptum & agones ingreditur,si mereatur ut deus semper maneat cum
eo,& faciat eum in gētem magnam. Magna enim gens,est uirtutū numerus,
& iustitiæ multitudo,in qua sancti quiq; multiplicari dicunt & crescere. Com
pletur in eo etiam illud quod dictū est,Quia reuocabo te in fine. Finis enim,
perfectio rerum,& uirtutum cōsummatio ponitur. Sequitur, Ioseph quoq;
ponet manū suam super oculos tuos.) Verus etenim Ioseph,dominus & sal-
uator noster, sicut corporalē manum suam posuit super oculos cæci & reddi-
dit ei uisum,quem perdiderat: ita etiā spiritales manus suas posuit super ocu-
los legis,qui per corporalem intelligentiā scribarum & Pharisæorum fuerant
excæcati,& reddidit ei uisum,ut his quibus aperit dominus scripturas, spirita
lis in lege uisus,& intellectus appareat. Atq; utinā & nobis iniiciat dominus
Iesus manus suas super oculos, ut incipiamus & nos respicere,non ea quæ ui-
dentur,sed quæ nō uidētur:& aperiat nobis illos oculos qui non intuent præ-
sentia,sed futura:& reuelet nobis cordis aspectū, quo deus uidetur in spiritu.
Sequitur, Surrexit Iacob à puteo iuramēti,tuleruntq; eum filii cū paruulis
& uxorib. suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandū senem,& omnia
quæ possederat in terra Chanaan:uenitq; in Ægyptū cū semine suo,filii eius,
& nepotes,filiæ,cunctaq; simul progenies. Quærendū est quomodo dicat,Fi
lias eius cum eo:quum unā tantū filiam legatur habuisse. Superius autē filias
eius dixeramus accipi posse,neptes eius, sicut filii Israel omnes dicūtur etiam
uniuersus populus ab illo propagatus. Sed nunc quū dicit,filias filiarū,preter
unam Dinam,pluralis numerus pro singulari positus est,sicut etiā pro plura
li,singularis solet poni: nisi nurus eius quisq; afferat filias eius potuisse appel-
lari. Sequit, Hi filii Liæ,quos genuit in Mesopotamia Syriæ cū Dina filia.
Omnes enim animæ filiorū & filiarū eius trigintatres.) Nunquid istæ omnes
XXXIII animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sūt? Sed utiq; sex filii &

Numerus filiorum Iacob ingressorū in Aegyptum XXXII

una

una filia, ex quib. nepotes cõmemorati sunt. Si ergo de uno Bẽiamin quæstio nata fuerat, quãdo numeratis XII filiis Iacob, & nominatim cõmemoratis dictum est, Hi filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ: quanto maior nunc quæstio est, quomodo XXXIII animæ ex Lia in Mespotamia Syriæ natæ sint: nisi quia illa loquutio cõfirmatur, tanquam ibi omnes orti sint. Deinde & illud non dubiũ iam est, in una filia filias nominari, plurali numero pro singulari posito. Sed tamen uidendũ est, quid hic respõdeatur eis, qui hoc testimonio cõfirmare nituntur à parẽtibus simul animas cum corporibus propagari. Animas enim dictas pro hominib. à parte totũ significãte loquutione, nullus ambigit: sed quomodo ipsam partem ex qua totũ commemoratũ est, hoc est animam, cuius nomine totus homo significatus est, alienemus ab eo quod dictum est, Exierunt de femorib. eius, ut carnes tantũ ex illo natas, quãuis solæ animæ nominentur. Sequit͛, Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cũ Iacob in Ægyptũ, & egressæ de femore illius absque uxoribus filiorũ LXVI. Filij aũt Ioseph qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt Ægyptũ, fuere LXX) Quod legit͛ LXVI animas intrasse cũ Iacob in Ægyptũ, *exceptis uidelicet filijs Ioseph: & deinde illis annumeratis* infertur LXX animæ erant, cum quib. Iacob intrauit in Ægyptũ, sic accipiendũ est, in domo Iacob quãdo intrauit in Ægyptum. Nam utique quos ibi inuenit, non cum eis intrauit: sed quã diligentius discussa ueritate reperiuntur duo nati iam fuisse quum intrauit, Effraim & Manasses: quod non solum Hebræi codices habere dicuntur, uerum etiã ipsa secundũ Septuaginta interpretatio in Exodo declarat. Nec Septũaginta interpretes mihi uidentur errasse, dum dicũt LXXV animas cum Iacob intrasse Ægyptũ: propter aliquã mysticam significationẽ, quadã uelut prophetica libertate hunc numerũ complere uoluerunt, si adhuc uiuẽte Iacob, illi ex duobus filijs Manasse & Effraim propagati sunt, quos eidem numero domus Iacob aggregandos iudicauere. Sed quia inuenitur Iacob XVII annos uixisse in Ægypto, quomodo potuerint filij Ioseph illo uiuo etiã nepotes habere non inuenit͛. Ingressus est enim Ægyptum Iacob secundo famis anno: nati sunt aũt filij Ioseph in annis abundantiæ. Quibuslibet annis ubertatis nati existiment͛, à primo anno ubertatis usque ad secũdum annum famis quo ingressus est in Ægyptum, IX anni fiunt. His additis XVII, quibus ibi uixit Iacob, XXVI anni reperiuntur. Quomodo ergo minus quam XXVI annorum iuuenes, nepotes habere potuerunt? Sed neque ulla Hebraica ueritate ista soluitur quæstio. Quẽadmodũ enim impleri potuit, ut tot nepotes susciperet Iacob antequam intraret in Ægyptũ, etiam de Beniamin, qui illa ætate uenit ad fratrem? Non solum aũt scriptura eum filios habuisse commemorat, sed & nepotes & pronepotẽ, qui omnes annumerantur LXVI, cum quibus Iacob in Ægyptũ, etiam secũdum Hebraicã ueritatẽ perhibetur intrasse. Vidẽdum est etiam quid sibi uelit, quod cum Ioseph & filij eius, non amplius quam octo commemorentur, Beniamin uero & eius filij simul undecim

reperiantur, non XIX omnes, sicut sunt VIII & XI, sed XVIII referantur in summam, & postea Ioseph cum filijs suis non animæ VIII, sed IX fuisse dicantur, quum VIII inueniantur. Hæc omnia quæ indissolubilia uidentur, magnā continent sine dubitatione rationem: sed nescio utrum possint cuncta ad literam conuenire, præcipue in numeris, quos in scripturis sacratissimos esse & mysteriorum plenissimos, ex quibusdā quos inde nosse potuimus dignissime credimus. Sequitur, Misit autem Iudam ante se ad Ioseph, ut nuntiaret ei, & ille occurreret ei in Gessen. Quò quum peruenisset, iuncto Ioseph curru suo ascendit Ioseph obuiam patri ad eūdem locum, uidensq́ eum irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit.) Occurrit illi Iudas, id est cōfessio, quia iam præcedit confessio, quos antea perfidia possidebat, & sic uero Christo occurrerūt: & sic Ioseph, hoc est uerus Christus illis occurrit impartiēdo illis fidem. Quis enim hac ætate suscipit ultimis temporibus populum Iudæorum, non secundum illius merita, sed secūdum electionis suæ gratiam, & imponit manus super oculos eius, & cæcitatem aufert, cuius ideo distulit cæcitatē, ut postremus crederet qui antea non putabat esse credēdum in Christo. Vnde Apostolus ait, Quia cæcitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentiū intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Sequitur, Loquutus est autē Ioseph ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui, Ascendam & nuntiabo Pharaoni, dicamq́ ei, Fratres mei & domus patris mei qui erant in terra Chanaā uenerunt ad me, & sunt uiri pastores ouium, curamq́ habent alēdorum gregum, pecora sua & armēta & omnia quæ habere potuerūt, adduxerūt secū. Quūq́ uocauerit uos Pharao, & dixerit uobis, Quod est opus uestrū? respondebitis, Viri pastores serui tui, ab infantia nostra usq́ in præsens, & nos & patres nostri.) Cōmendatur in patriarchis, quod pecorū nutritores erant à pueritia sua & à parentib. suis, & merito. Nam hæc est sine ulla dubitatione iusta seruitus, & iusta dominatio, quū pecora homini seruiūt, & homo pecorib. dominatur: sic enim dictū est quum homo crearetur, Faciamus hominē ad imaginē & similitudinē nostrā, & habeat potestatē piscium maris & uolatiliū cœli, & omnium pecorū quæ sunt super terram. Vbi insinuatur rationē debere dominari irrationabili uitæ. Seruum aūt hominē homini, uel iniquitas, uel aduersitas fecit: iniquitas quidem sicut dictū est, Maledictus Chanaā, seruus erit fratribus suis. aduersitas uero sicut accidit Ioseph, ut uenditus à fratrib. seruus alienigenis fieret. Itaq́ primos seruos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditū est, bella fecerūt. Qui enim homo ab homine superatus, iure belli poterat occidi, quia seruatus est, seruus est appellatus. Inde & mancipia dicta, quia manu capta sunt. Est etiam ordo naturalis in hominibus, ut seruiant fœminæ uiris, & filij parentibus: quia & illic hæc iustitia est, ut infirmior ratio seruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus & seruitutibus clara iustitia est, ut qui excellūt ratione, excellāt dominatione. Quod quum in hoc seculo per iniquitatem hominum perturbatur, uel natura carnaliū aduersitatū, ferunt iusti temporalem

diuersitatem, in fine habituri & ornatissimã & sempiternã felicitatem. Regnauerunt hic ergo patriarchæ & prophetæ, ut ista regna deum dare & auferre ostenderetur: non hic regnauerunt apostoli & martyres, ut regnũ cœlorũ desiderandum panderetur. Illi regia bella gesserunt, ut tales quoq; uictorias appareret dei uoluntate præstari: isti non resistendo interfecti sunt, ut potiorem esse docerent uictoriam pro fide ueritatis occidi, quanquam & illic prophetæ nouerant mori pro ueritate. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen.) Interpretat' autem Gessen Propinquitas, uel proximitas. Per quod ostenditur, quia etiam si in Ægypto habitat Israel, non tamẽ longe est à deo, sed proximus est ei & coniunctus, sicut etiam ipse dicit, Quia ego descendam tecum in Ægyptũ, & ero tecum. Et nos ergo etiam si uideamur in Ægyptum descendisse, etiam si in carne positi agones mundi huius & certamina sustinemus, etiam si inter eos habitamus qui deseruiũt Pharaoni, tamẽ si prope deo sumus, si in mandatorũ eius meditatione uersamur, & pręcepta eius ac iudicia perquirimus: hoc est enim esse prope deo, semper quæ dei sunt cogitare, quæ dei sunt quærere: & deus semper erit nobiscum. Sequitur, Quia detestantur Ægyptij omnes pastores ouium. Abominatio est enim Ægyptijs omnis pastor ouiũ) Merito Ægyptijs in quibus est figura præsentis seculi, in quo abundat iniquitas, abominatio est omnis pastor pecorum: abominatio est enim iniquo uir iustus. Sequitur,

INGRESSVS ergo Ioseph, nuntiauit Pharaoni, dicens, Pater meus & fratres mei, oues eorum & armenta & cuncta quæ possident, uenerunt ad me de terra Chanaan, ecce cõsistunt in terra Gessen. Extremos quoq; fratrũ suorum quinq; uiros, statuit corã rege. Quos ille interrogauit, Quid habetis operis? Responderunt, Pastores ouium sumus & nos & patres nostri, ad peregrinandum in terra tua uenimus, quoniã non est herba gregibus seruorum tuorum ingrauescente fame in terra Chanaã, petimusq; ut esse nos iubeas in terra Gessen.) Quæri potest quum Ioseph frumenta colligeret, unde homines uiuerent, pecora unde uiuebant, dũ tanta fames inualesceret, maxime quia fratres Ioseph Pharaoni dixerunt, Non sunt enim pascuæ gregibus seruorũ tuorum in terra Chanaan inualescente fame, & propter hanc inopiã pascuarum se uenisse cõmemorauerunt. Pro eo si ea fame pascua defecerant in terra Chanaan, quur in Ægypto non defecerant, eadem tunc fame inualescente? Nam sicut perhibetur ab eis qui loca illa sciunt, in multis Ægypti paludibus poterant pascua non deesse, etiam quum fames esset frumentorũ, quæ solent Nili fluminis inundatione prouenire. Magis enim dicuntur paludes illæ & feracius pascua gignere, quando aqua Nili fluminis minus excrescit. Sequitur, CAP. XLVII

Dixit itaque rex ad Ioseph, Pater tuus & fratres tui uenerunt ad te, terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac habitare eos, & trade eis terram Gessen. Tradidit post hæc Ioseph parentibus & fratribus optimam terram Gessen.) Sic & dominus eligens terram meliorem parentibus, id est *De dicto regis, Pater tuus & fr. &c.* XXXIII

prophetis

prophetis & patriarchis, ex quibus ſecundum carnem naſci dignatus eſt: ſiue omnibus ſanctis, de quibus in euangelio dicit, Hi ſunt fratres mei, qui faciunt uolũtatem meam. His igitur daturus eſt terram repromiſſionis regni dei, de qua dicit propheta, Credo uidere bona domini in terra uiuentium. Sequitur,

Poſt hæc introduxit patrem ſuum ad regem, & ſtatuit eum coram eo. Qui benedicens illi, & interrogatus ab eo, quot ſunt dies annorũ uitæ tuæ, reſpondit, Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt uſq; ad dies patrum meorum, quibus peregrinati ſunt.) Dicimus autem, non tam ſeculum ipſum, quod die & nocte annis currit & menſibus, appellari malum, quàm ea quæ in ſeculo fiunt. Quomodo ſufficere dicitur diei malitia ſua, ita & dies Iacob modici dicuntur eſſe & mali, & quod ea quæ ſuſtinuit per uaria eum exercuerunt tentamenta: unde & Ioannes ait, Mundus in maligno poſitus eſt: non quod mundus ipſe ſit malus, ſed quod mala in mundo fiant ab hominibus. Sequitur, Et alebat omnem domũ patris ſui, præbens cibaria ſingulis) Verũtamen Iacob nec quando uidit Ioſeph adorauit, nec quando ab illo triticum accipiebat. Quomodo ergo ſomniũ Ioſeph impletum putabimus, & non potius maioris rei cõtinere prophetiam? Sequitur, In toto enim orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terram maxime Ægypti & Chanaan, ex quibus omnem pecuniam cõgregauit, & intulit eam in ærarium regis.) Pertinuit ad ſcripturam in hac etiam re commẽdare fidem famuli dei. Emit igitur Ioſeph omnem terram Ægypti uendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubiecitq; eã Pharaoni, & cũctum populum eius à nouiſſimis terminis Ægypti uſq; ad extremos fines eius.) Reſpice ad originẽ generis, & inuenies quod pater eorum Cham, qui nuditatem riſerat patris, huiuſcemodi ſententiã meruit, ut filius eius Chanaan ſeruus eſſet fratribus ſuis, quo in eo nequitiam morum argueret cõditio ſeruitutis. Non ergo immerito ignobilitatem generis decolor poſteritas imitatur. Hæc ergo ſi intelligamus ſpiritaliter, quæ ſit Ægyptiorũ ſeruitus agnoſcimus: quia ſeruire Ægyptijs non eſt aliud q̃ obnoxium eſſe carnalib. uitijs, & dæmonibus eſſe ſubiectũ. In quod utiq; unumquẽq; non extrinſecus illata neceſſitas cogit, ſed ſegnitia animi, & libido ac uoluptas corporis ſubigit, cui ſe animus per ſocordiam ſubdit. Qui uero libertatis animæ curam gerit, & dignitatem mentis cœleſti cogitatione nobilitat, iſte ex filijs Iſrael eſt, qui etiam ſi uiolenter opprimatur ad tempus, non tamen libertatẽ ſuam in perpetuum perdit. Sequitur, Præter terrã ſacerdotũ que à rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non ſunt cõpulſi uẽdere poſſeſſiones ſuas.) Deniq; uis ſcire quid interſit inter ſacerdotes dei & ſacerdotes Pharaonis? Pharao concedit terrã ſacerdotibus ſuis, dominus autem ſacerdotibus ſuis partem non cõcedit in terra: ſed dicit eis, Ego ſum pars ueſtra. Obſeruate ergo qui hæc legitis, omnes domini ſacerdotes, & uidete quæ ſit differentia ſacerdotum, ne fortè qui partem habent in terra, & terrenis

renis cultibus ac studijs uacant, non tam domini, quàm Pharaonis sacerdotes esse uideantur. Ille est enim qui uult sacerdotes suos habere possessiones terrarum, & exercere agri non animæ culturam, ruri & non legibus operam dare. Christus autẽ dominus noster sacerdotibus suis quid præcipiat audiamus. Qui non, inquit, renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Contremisco hæc dicens, meus enim primo omnium, meus inquam ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum, quem uiderit aliquid possidentem, & eum qui non renuntiat omnibus quæ possidet. Et quid agimus? Quomodo hæc aut ipsi legimus, aut populis prædicamus, qui non solum non renuntiamus his quæ possidemus, sed acquirere uolumus ea quæ nunquam habuimus, ante quàm ueniremus ad Christum? Nunquid nam quia nos redarguit conscientia tegere & non proferre quæ scripta sunt, possumus modo duplicati criminis esse rei? Confiteor palàm, & populo audiente confiteor hæc scripta esse: etiam si non dum implesse me noui. Sed hoc saltem commoniti festinemus implere, festinemus transire à sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes dei, quibus in terra pars non est, quibus portio dominus est. Sequitur, Dixit ergo Ioseph ad populum, En ut cernitis & uos & terram uestram Pharao possidet, accipite semina, & serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto uobis in semen, & in cibos famulis & liberis uestris.) Contulimus sacerdotes sacerdotibus, nunc si uidetur & populum Ægyptiũ populo Israelitico conferamus. Dicitur enim in consequentibus, quia post famem & seruitutem populus Ægyptius quintam partem offerat Pharaoni, ecõtrario uero Israeliticus populus deferat decimas sacerdotibus. Vide & in hoc scripturam diuinam in generatione subnixa, uide Ægyptium populũ quinario numero tributa pendentem. Quinq; enim sensibus corporalibus designantur, quibus carnalis populus seruit, semper enim Ægyptij uisibilibus rebus & corporalibus obsequuntur. At uero Israeliticus populus honorat decadã, perfectionis numerum. Decem enim uerba legis accepit, & decalogi uirtute constrictus, ignota mundo huic sacramenta largitione diuina suscepit. Sed & in nouo testamento similiter uenerabilis est denarius numerus, sicut & fructus spiritus diuinis exponit germinare uirtutibus, & seruus fidelis de negotiationib. sui lucri decẽ mnas offert domino, & decem ciuitatum accipit potestatem. Verum quia unus est autor omniũ, & fons & initiũ unus est Christus, idcirco populus decimas quidẽ ministris & sacerdotib. præstat: primo uero offert primogenito omnis creaturæ, & initia initio omniũ, de quo scriptũ est, Qui est initiũ primogenitus omnis creaturæ. Vide ergo ex his omnib. differentiã populi Ægyptiorũ & populi Israel, & differentiam sacerdotũ Pharaonis & sacerdotũ domini, & discutiens temetipsum præuide de quo populo sis, & cuius ordinis sacerdotium teneas: si adhuc carnalibus sensibus seruis, si adhuc quinario numero uectigal exsoluis, & respicis ea quæ

De dicto Ioseph, En ut cernitis, &c. XXXIIII

ea quæ uiſibilia & temporalia ſunt, & non reſpicis ea quæ inuiſibilia & æterna ſunt, de Ægyptio populo te eſſe cognoſce. Si uero decalogum legis & decadam noui teſtamenti, quæ ſupra expoſuimus, ſemper ante oculos habeas, & de his decimas offers, & primogenita ſenſus tui in fide immolas primogenito ex mortuis, & initia tua refers ad initium omnium, uerus Iſraelita es, in quo dolus nõ eſt. Sequitur, Quumq; appropinquare cerneret Iſrael diem mortis ſuæ, uocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum, Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femur meum, & facies mecum miſericordiam & ueritatem.) Ea filium adiuratione conſtringit, qua ſeruũ conſtrinxerat Abraham: ille mandans unde uxor ducatur filio ſuo: iſte ſepulturã commendans corporis ſui. In utramq; cauſam tamẽ nominata ſunt duo illa, quæ magna habenda atq; pendenda ſunt, in ſcripturis omnibus quæcunq; diſperſim leguntur, miſericordia & iuſtitia, uel miſericordia & iudicium, uel miſericordia & ueritas, ſicut ſcriptum eſt, Vniuerſæ uiæ domini miſericordia & ueritas. Hæc ergo duo commendata, multum conſiderãda ſunt. Seruus Abrahæ dixerat, Si facitis cum domino meo miſericordiam & iuſtitiam: & iſte filio dicit, Vt facias in me miſericordiam & ueritatem. Sequitur, Vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de hac terra, condasq; in ſepulchro maiorum.) Quid ſibi autem uelit tanto uiro tam ſollicita corporis commendatio, ut non in Ægypto ſepeliatur, ſed in terra Chanaan iuxta patres ſuos: mirum uidetur & quaſi abſurdum, nec quaſi conueniens tantæ excellentiæ mentis propheticæ, ſi hoc ex hominum conſuetudine etiam curet: ſi autem in omnibus his ſacramenta quærantur, maioris admirationis gaudium ipſi qui inuenerit orietur. Cadaueribus mortuorum peccata ſignificari non dubium eſt, quum iubentur homines poſt eorum cõtactionem, ſiue qualicunq; contactu, tanquam ab immũdicia purificari, & hinc illa ſententia dicta eſt, qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid prodeſt lauatio eius? Sepultura ergo mortuorum, remiſſionem ſignificat peccatorum, eò pertinẽs quod dictum eſt, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Vbi ergo ſepelienda erant hoc ſignificantia cadauera patriarcharum: niſi in ea terra, ubi ille crucifixus eſt, per quem facta eſt remiſſio peccatorum: & ſi quid aliud de re tanta, uel hoc modo uel ſublimius intelligi poteſt. Nec tamen fruſtra arbitremur tales ac tantos homines tantam geſſiſſe curam pro ſepeliendis corporibus ſuis, quum ſit, atq; eſſe debeat fidelium iſta ſecuritas, quod ubicunq; corpora eorum ſepeliantur, uel inſepulta etiam per inimicorũ rabiem relinquantur, aut pro eorum libitu dilacerata abſumantur, nõ ideo uel minus integram, uel minus glorioſam eorum reſurrectionem credimus eſſe futuram. Sequitur, Reſpondit Ioſeph, Ego faciam quod iuſſiſti. Et ille, Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, orauit Iſrael deum, conuerſus ad lectuli caput.) Merito quæritur quid ſit quod dictum eſt, Adorauit Iſrael deum, conuerſus ad lectuli caput: in quo utiq; ſenex iacebat, & ſic poſitum

De iuramento Ioſeph XXXV

caput

caput habebat,ut in eo sine labore quando uellet,oraret, quod scilicet postq̃ iurauit filius,securus de petitione quam rogauerat, adoraret deum contra caput lectuli sui.Sanctus quippe & deo deditus uir,oppressus senectute sic habebat lectum positum, ut ipse iacentis habitus absq; difficultate ulla ad orationem esset paratus.Sequitur,

HIS ita transactis,nuntiatum est Ioseph,quod ægrotaret pater eius.Qui assumptis duobus filijs suis, Manasse,& Effraim, ad eũ perrexit. Dictumq; est seni,Ecce Ioseph filius tuus uenit ad te.Qui confortatus sedit in lectulo, & ingresso ad se,ait, Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan,benedixitq; mihi, & ait, Ego te augebo,& multiplicabo,& faciam in turbas populorũ:daboq; tibi terram hanc, & semini tuo post te, in possessionem sempiternam.) Etiam hinc commemorat Iacob promissiones dei erga se factas,dicitq; sibi dictum, Faciam te in turbas populorum.Quibus uerbis magis fidelium uocationem significat,quàm carnalis generis propagationem.Sequitur, Duo igitur filij tui,qui nati sunt tibi in terra Ægypti anteq̃ huc uenirem ad te,mei erunt,Effraim,& Manasses,sicut Ruben & Beniamin reputabuntur mihi.) Si quis autem ambigit,quod septuaginta animæ introissent in Ægyptum filiorum Israel,& quod Ioseph eo tempore quo ingressus est Iacob,non nouem,sed duos tantum filios habuerit,præsenti capitulo confirmatur.Siquidem ipse Iacob loquitur,duos eũm habuisse filios,nõ nouem. Quod si econtrario nobis illud opponit,quomodo in Actibus apostolorum in cócione Stephani dicatur ad populum, septuagintaquinq; animas ingressas esse Ægyptum,facilis excusatio est. Non enim debuit sanctus Lucas, ipsius scriptor historiæ,ingens Actuum apostolorum uolumen emittens gentibus, contrariũ aliquid scribere aduersus eam scripturam quæ iam fuerat gentibus diuulgata: & utiq; maioris opinionis illo dũtaxat tempore Septuaginta interpretum habebatur autoritas,quàm Lucas, qui ignotus & uilis & non magnæ fidei in nationibus habebatur. Hoc autem generaliter obseruãdum, quod ubicunq; sancti apostoli aut apostolici uiri loquuntur ad populos, his plerumq; testimonijs utũtur, quæ iam fuerant in gentibus diuulgata. Quod autem dicit,Effraim & Manasses sicut Ruben & Simeon erunt mihi:illud significat, Sicut Ruben & Simeon duæ tribus erũt, & ex suis uocabulis appellabuntur,duosq; populos procreabunt:& sic hæreditabũt repromissionis terram,sicut & cæteri filij mei. Sequitur, Reliquos autem quos genueris post eos,tui erunt, & nomine fratrum suorum uocabuntur in possessionibus suis.) Non,inquit,accipient separatim terram,nec funiculos habebunt proprios,ut reliquæ tribus, sed in tribubus Effraim & Manasse,quasi appendices populi commiscebũtur.Sequitur, Mihi enim quando ueniebam de Mesopotamia mortua est Rachel mater tua in terra Chanaã, in ipso itinere, eratq; uernum tempus:& ingrediebar Effratam,& sepeliui eam iuxta uiam Effratę,quæ alio nomine uocatur Bethlehem.) Quod Iacob filio suo Ioseph tãquam nescienti

CA. XLVIII De ægritudine Iacob XXXVI

uoluit indicare ubi & quando sepelierit matrem eius, quum & ipse simul fuerit cum fratribus suis: sed & si erat tam paruus ętate erat, ut illud uel curare uel animo retinere non posset: quæ res cōpulit modo dici, nisi forte ad rem pertinuit cōmemorare ibi sepultam matrem Ioseph, ubi Christus erat nasciturus. Sicut autem duo filij Isaac, Iacob & Esau, figuram habuerunt duorum populorum in Iudæis & Christianis, quamuis quātum ad carnis propagationem pertinet, nec Iudæi uenerūt de semine Esau, sed Idumæi, nec Christianæ gentes de Iacob, sed potius Iudæi: ad hoc enim tantū figura qua dictum est, Maior seruiet minori: ita factū est etiam in duobus filijs Ioseph: nam maior gessit typum Iudæorum, Christianorū minor. Quos quum benediceret Iacob, manum dextram ponens super minorem quem habebat ad sinistram, sinistram uero super maiorem quem habebat ad dexteram: graue uisum est patri eorum, & admonuit patrem uelut corrigens eius errorem, & quis nam eorum maior esset ostēdens. At ille noluit mutare manus, sed dixit, Scio fili mi, scio: & hic erit in populum & exaltabitur, sed frater eius iunior maior illo erit, & semen eius erit in multitudine gētium. Etiam hic duo illa promissa demonstrat, nam ille in populo, hic in multitudine gentium. Quid euidentius quàm his duabus promissionibus contineri populum Israelitarum orbemq́ terrarum in semine Abrahæ, illum secundum carnem, istum secundum fidem? Sequitur, Ait quoq; Iacob ad filium suum Ioseph, En ego morior, & deus erit uobiscum: reducetq́ uos ad terram patrū uestrorum. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorræi in gladio & arcu meo.) Sichyma iuxta Græcam & Latinam cōsuetudinem declinata est, alioquin Hebraice Sichem dicitur, ut Ioannes quoq; euangelista testat̃, licet uitiose, ut Sychar dicatur, error inoleuit: & est nunc Neapolis, urbs Samaritanorum. Quia igitur Sichem ex lingua Hebræa transfertur in humerum, pulchre adludit ad nomen, dicens, Et ego tibi dabo humerum unum. Vnum autem pro præcipuum ponitur. Quod autem ait, se eam in arcu & gladio possedisse: arcum & gladium, iustitiam uocat: per quam meruit peregrinus & aduena, interfecto Sichem & Emor de periculo liberari. Timuit enim, ut supra diximus, ne uicina oppida atq; castella ob euersionem fœderatæ urbis, aduersus se consurgerent, & dominus non dedit eis, ut nocerent illi. Vel certe sic intelligendum est: Dabo tibi Sichymā, quam emi in fortitudine mea, hoc est in pecunia, quam multo labore & sudore acquisiui. Quod autem ait, Super fratres tuos: ostendit absq; sorte dedisse eam tribui Ioseph, siquidē eo loco sepultus est Ioseph, & mausoleum eius usq; in præsens cernitur. Proculdubio ergo aliquod hic latet propheticum sacramentum, quia & Ioseph quadam præcipua significatione Christum figurauit, & ei datur illa terra ubi disperdiderat obruendo deos alienos Iacob, ut Christus intelligatur possessurus gentes dijs patrū suorum renuntiantes & credentes in eum. Hæredem ergo bonorum operum sanctum Ioseph præ cæteris elegit, cuius opera fratres æquare non poterant: & ideo

De uerbis Iacob, En morior, &c. XXXVII

ideo locum ſtupri & flagitijs uacantem ad incolatum ſanctorum uerbis cœleſtibus & gladio capiens ſpiritali, ut ubi habitatores antea laſciuiæ & principes luxuriæ uerſabantur, ubi fuerunt incentiua libidinis & fomenta nequitiæ, ibi nunc ſancti ſacerdotes magiſteria doceant caſtitatis, & plurima uirginalis integritatis exempla, quodam ſupernæ lucis fulgore reſplendeant. Sequitur,

VOCAVIT autem Iacob filios ſuos, & ait eis, Congregamini ut annuntiem quæ uentura ſunt uobis diebus nouiſſimis, congregamini & audite filij Iacob, audite Iſrael patrem ueſtrum.) Qui ante iuniorem ſeniori prætulerat, cœpit à primo, ut in illo myſterij præferret gratiam, in hoc ordinem ſeruaret ætatis. Sequit̃, Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Effuſus es ſicut aqua: nõ creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.) Eſt autem ſenſus hic: Tu es primogenitus meus, maior in liberis, debebas iuxta ordinẽ natiuitatis tuæ, & hæreditatem quæ primogeniti iure debebatur, ſacerdotium accipere & regnum. Hoc quippe in portãdo onere, & prævalido robore demonſtratur: uerum quia peccaſti, & quaſi aqua quæ uaſculo non tenetur, uoluptatis effuſus es impetu, idcirco præcipio tibi, ut ultra non pecces, ſisq; in fratrum numero pœnam ex peccato luens, quod primogeniti ordinem perdidiſti. Secundum myſticam intelligentiam, Ruben prioris populi uidetur ferre perſonam: & ideo redargui magis quàm benedici uidetur, qui & primogenitus eſt ſicut propheta dicit, Iſrael primogenitus meus. Etenim iuxta quod primogenitis debebatur, ipſius erat accipere ſacerdotium & regnum. Additur, Tu uirtus mea: utiq; quia ex ipſo populo fundamẽtum fidei, ex ipſo uirtus dei, quæ eſt Chriſtus, aduenit. Quomodo autem ipſe ſit principiũ dolorum, niſi dum deo patri ſemper irrogaret iniuriam, dum conuertit ad eum dorſum & non faciẽ? Iſte prior in donis, quia primis ipſis credita ſunt eloquia dei, primis ipſis legislatio & teſtamentum, ſiue promiſſio. Maior eſt hic in imperio, utiq; pro magnitudine uirium dixit, quia copioſius cæteris in hoc ſeculo idem populus regnauit. Effuſus eſt autẽ ſic peccãdo in Chriſto, quaſi aqua quæ uaſculo non tenetur, uoluptatis effuſus eſt impetu: & idcirco addidit, Vltra nõ creſcas: quia populus ipſe, poſtquàm in uniuerſo orbe diſperſus eſt, ualde imminutus atq; abbreuiatus eſt. Sed quare talia meruerit, ſubiungit, Quia aſcẽdiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius. Prędicat enim paſſionem domini & primogenitæ plebis audaciam, quia aſcendit cubile dei patris, & maculauit ſtratum eius, quãdo corpus domini in quo plenitudo diuinitatis requieſcebat, raptum in cruce ſuſpendit, & ferro maculauit. Sequitur, Simeon & Leui, fratres, uaſa iniquitatis bellantia, in conſilio eorum ne ueniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloriatio mea, quia in furore ſuo occiderunt uirum, & in uoluntate ſua ſuffoderũt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & diſpergam illos in Iſrael.) Significat autem non ſui fuiſſe conſilij, quod Sichem & Emor, fœderatos uiros

CAP. XLIX De benedictionibus patriarcharum. XXXVIII

interfecerint, contra iusq́; pacis & amicitiarum sanguinem fuderint innocen-tem, & quasi quodam furore sic crudeliter obstinati, muros & hospites urbis euerterint. Vnde sequitur, & dicit, Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam illos in Israel. Leui enim hæreditatem propriam non accepit, sed in omnibus ceptis pau-cas urbes ad habitandum habuit. De Simeon uero, in libro Iesu Naue scri-ptum est, quod & ipse proprium funiculum non fuerit consequutus, sed de tribu Iuda quædam fuerit consequutus. In Paralipomenon autem libro mani-festius scribitur, quod quum multiplicatus fuisset, & non habuerit possessio-nis locum, exierit in desertum. Per Simeon & Leui, scribæ & sacerdotes Iudaici populi intelliguntur. De Simeon enim, scribæ sunt Iudæorum. De tribu uero Leui, principes sacerdotum: de quibus scriptum est, Quia consiliũ fecerunt, ut Iesum morti traderent. De quo consilio iste patriarcha, qui iam mente de-um uidebat, dicit, In cõsilio eorum ne ueniat anima mea. Horrebat enim iam in illo tempore iste sanctus patriarcha uidere tantorũ scelerum facinus, quod in nouissimis temporibus facturi erant Iudæi. Sequitur, Quia in furore suo occiderunt uirum, id est, dominum Iesum Christum: & in dolore suo suffode-runt murum, quando lancea confoderunt illud spiritale & fortissimum propugnaculum, qui custodit Israel. Maledictus furor eorum, quia pertinax ad tantum facinus utiq́; perpetrandũ, quando furore accensi & ira obtulerunt Christum Pontio Pilato, dicentes illi, Crucifige, crucifige: Et, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Et indignatio eorũ, quia dura: dum Barabban latronem dimittendum peterent, & principem uitæ crucifigendum postularent. Diui-dam eos in Iacob, & dispergam illos in Israel. Hic duo nominantur, diuisio, & dispersio. Idcirco quia nonnulli ex ipsis in dominum crediderunt, quidam in infidelitate permanserunt. Diuisi enim dicuntur ij, qui ab eis separantur, & ueniunt ad fidem: dispersi autem, ij quorũ patria temploq́; subuerso, per orbem terræ incredulum genus illorum spargitur. Sequitur, Iuda, te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabũt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo & quasi leena, quis suscitabit eum? Nõ auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec ueniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium: ligans ad uineam pullum suum, & ad uitem, ô fili mi, asinam suam. Lauabit in uino stolam suam, & in sanguine uuæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius uino, & dentes eius lacte candidiores.) Licet de Christo mysterium sit, tamen iuxta literam prophetatũ est, quod reges ex Iuda per Dauid stirpẽ generarẽtur, & quod adorarent eum omnes tribus. Non enim ait, Filij matris tuæ: sed, Filij patris tui. Et quod sequitur, Ex germine fili mi ascendisti: in Hebræo habet, De captiuitate fili mi ascendisti: ut ostẽderet, eum captiuos populos esse ducturum. Hic certe nemo dubitat, prophetãtis personam esse dilucidatam. Audiamus igitur quid dicat filio suo Iudæ, de cuius tribu Chri-

stus

stus uenit ex semine Dauid, secũdum carnem, sicut apostolica doctrina testa- tur. Iuda, te laudabunt fratres tui. Per hunc enim Iudam, uerus cõfessor exprimitur Christus, quia ex eius tribu secũdum carnẽ est genitus. Ipsum laudant fratres sui, apostoli scilicet, & omnes cohæredes eius: qui per adoptionem, filij deo patri effecti sunt, & Christi fratres per gratiã, quorum ipse est dominus per naturam. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum. Iisdem enim manibus, & eodem crucis trophæo, & suos exuit, & inimicos atq; aduersarias potestates curuauit: iuxta quod & pater promittit ei, dicens, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Adorabũt te filij patris tui, quoniam multi ex filijs Iacob adorauerũt eum, qui per electionem gratiæ salui facti sunt. Catulus Leonis Iuda, quoniã nascendo paruulus factus est, sicut scriptum est, Paruulus natus est nobis. Ad prædã fili mi ascendisti: id est, ascendens in crucẽ captiuos populos redemisti, & quos ille leo contrarius inuaserat, tu moriens eripuisti. Deniq; rediens ab inferis ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem. Requiescens accubuisti, ut leo. Manifestissime in passione Christus recubuit, quando inclinato capite tradidit spiritum, siue quãdo in sepulchro securus, uelut quodam corporis somno quieuit. Sed quare ut leo, & uelut catulus leonis? In somno enim suo leo fuit: quia non necessitate, sed potestate hoc ipsum impleuit, iuxta quod & ipse dixerat, Potestatem habeo ponendi animã meã, & nemo eam à me aufert, sed ego eam ponam. Quod uero addidit, Et ut catulus leonis Iuda, quia inde mortuus unde natus. Physici autem de catulo leonis scribũt, quod quum natus fuerit tribus diebus & tribus noctib. dormiat, tunc deinde patris fremitu uel rugitu ueluti tremefactus cubilis locus suscitare dicitur catulum dormientem. Quod ualde congruenter de passione mortis aptatur in Christo, qui trib. diebus & tribus noctibus in cubili sepulchri iacens somnũ mortis impleuit. Bene ergo Christus ut leo requieuit, quia non mortis acerbitatẽ timuit, sed etiam in ipsa morte mortis imperiũ uicit. Bene idem iterũ ut catulus leonis, quia die tertia resurrexit, unde & sic adiũgitur de resurrectione eius, quis suscitabit eum? Hoc est, quia nullus hominũ, nisi ipse se, iuxta quod idem de corpore suo dixit, Soluite templum hoc, & post triduum suscitabo illud. Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec ueniat qui mittẽdus est, & ipse erit expectatio gentium. Hic locus manifestissime ad Iudã refertur. Tamdiu enim fuit ex semine eius apud Iudæos intemerata successio regni, donec Christus ad redẽptionem mundi ex uirgine nasceretur. Probant hoc historiæ Iudęorũ, quibus ostẽditur primum alienigenam regem in gente Iudæorum fuisse Herodem, quo tempore natus est Christus. Quod si putãt Iudæi nõ uenisse Christum, ergo de tribu Iuda usq; hodie Iudæorum permanet regnum, Itaq; nõ defuit uel dux uel princeps de semine Iuda, donec ueniret cui repositũ est. Sed quia non solum Iudæis profuit qui mittendus erat: ideo sequitur, Et ipse erit expectatio gẽtium. Alligans ad uineam pullum suum: quod uidelicet pullũ asinæ,

de natura catul leonis.

n standum

cui superſedit Ieſus,hoc eſt gentilium populum: uineæ apoſtolorũ qui ex Iudæis ſunt,copulauerit,cui adhuc nunquã legis onus impoſitũ eſt. Nam uinea domini,domus eſt Iſrael.Et ad uitem,ô fili mi,aſinam ſuam. Quod aũt dicit, fili mi,apoſtrophã ad ipſum Iudam facit,quod Chriſtus hæc ſit uniuerſa facturus:nã ipſe dixit,Ego ſum uitis uera. Ad hãc ergo uitem alligauit aſinam ſuam cui ſuperſedit,id eſt eccleſiam ex gentibus congregatã. Hanc itaq; ad uitem corporis ſui alligauit in uinculo charitatis,& diſciplinæ euangelicæ nexu, ut de imitatione illius uiuens efficiatur hæres dei,cohęres autem Chriſti. Alij namq; hanc aſinam, ſynagogam interpretãtur, tardigradam ſcilicet & graui pondere legis oppreſſam. Lauabit in uino ſtolam ſuam. Bona ſtola eſt caro Chriſti,quæ omniũ peccata operuit,omniũ delicta ſuſcepit,omnium texit errores. Bona ſtola eſt,quæ uniuerſos induit ueſtẽ iocũditatis. Hanc lauit in illo uino,quod pro multis effuſũ eſt in remiſſionẽ peccatorũ. Et in ſanguine uuæ pallium ſuum,hoc eſt,in paſſione corporis ſui diluit gentes ſanguine ſuo. Pallium enim eius ſunt gentes quas corpori ſuo cõtexuit,ſicut ſcriptum eſt, Viuo ego dicit dominus,niſi hos omnes induã ſicut ueſtimentũ. Non ergo ſanguine ſuo propria peccata quæ non erant, ſed noſtra quæ fecimus delicta mũdauit. Et bene uuam dixit,quia ſicut uua pependit in ligno. Ipſe eſt uitis, ipſe eſt uua:uitis ligno adhærens:uua,quia lancea militis apertũ latus habuit,& emiſit aquam & ſanguinem:aquam ad lauacrũ,ſanguinẽ ad precium. Aqua nos abluit,ſanguis redemit. Pulchriores oculi eius uino. Oculi Chriſti,apoſtoli ſũt & euangeliſtæ,qui ſcientiæ lumen uniuerſo corpori eccleſiæ præſtant. Ii pulchriores uino probantur,quia eorum doctrina auſteritatẽ uini ueteris exuperat,id eſt priſcæ legis traditionẽ. Euangelica enim præcepta,lõge clariora ſunt q̃ ueteris teſtamenti mandata. Et dentes lacte candidiores. Dentes,prædicatores ſunt ſancti,qui præcidunt ab erroribus homines,& eos quaſi cõminuendo,in Chriſti corpore transferunt. Nomine aũt lactis,doctrina legis ſignificatur,quæ carnalem populũ tanq̃ paruulos loco lactis alebat,Cuius quidẽ candidiores effecti ſunt doctores eccleſiæ, quia fortẽ & ſolidũ cibum uerbi mandunt atq; diſtribuunt. De quib. apoſtolus dicit in epiſtola ad Hebræos, Perfectorum aũt eſt ſolidus cibus. Et bene,cãdidiores lacte dentes dicit, Omnes enim qui perfecti ſunt,& qui ſcripturarũ cibos explanantes,ſubtilem & minutum intellectũ qui ſpiritalis dicitur,corpori ſubminiſtrãt, candidi eſſe debent & puri,atq; ab omni macula liberi. Sequitur, Zabulon in litore maris habitabit,& in ſtatione nauiũ,pertingens uſq; ad Sidonem.) Zabulon qui interpretatur,habitaculũ pulchritudinis,eccleſiam ſignificat,fortiſſimã ad omnem tolerantiam paſſionis. Hæc in litore maris inhabitat,ut uideat aliorũ naufragia. Ipſa immunis periculi expectat alios, fluctuãtes in freto iſtius mũdi, qui circũferuntur omni uẽto doctrinæ:ipſa fidei radice immobilis perſeuerat, expectans hæreticorum procellas & naufragia Iudæorum, quoniã gubernatorem quẽ habuerunt,abnegauerunt. Circa fluctus igitur habitat,nõ fluctibus

commo-

commouetur:magisq́ ad subueniendũ parata, q̃ periculo obnoxia, ut si qui tempestatib. acti grauibus confugere ad portũ uelint, præsto sit ecclesia tanq̃ portus salutis, quæ expansis brachijs in gremiũ tranquillitatis suæ uocet periclitantes, locũ fidei stationis ostendens. Ecclesia igitur in hoc seculo tanq̃ portus maritimi per litora diffusi, occurrit laborantib. dicens esse credentibus refugium præparatum, quò uentis quassata nauigia possint subducere. In ijs ecclesijs sunt principes Zabulon & principes Neptalim, sicut docet Dauid in psalmo: quorũ alij liberatores sunt, ac tempestate nocturna clamãtes, abijciamus opera tenebrarũ, & induamur arma lucis: alij sunt latitudines apostolicæ, qui possunt dicere, Os nostrum patet ad uos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Isti sunt ipsi, qui quum essent in tenebris, lucem uiderunt magnã, sicut propheta testatur, dicens, Terra Zabulon & terra Neptalim uia maris trans Iordanem, populus qui sedebat in tenebris uidit lucem magnã, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. Exploratores igitur secus ascensus nauium posuit dominus deus noster patriarchæ huius hæredes, cuius cura peruigil & spiritalis successio pertendit usq; ad Sidonem, hoc est, usq; ad gentes peruenit, ut domini misericordia peccata ablueret nationũ. Sidon enim primitiuus est filius Cham, illius utiq; qui propter irreuerentiam paternæ pietatis maledictione damnatus est. Patris ergo liberatio nocturna, tanquam in excubijs posita propugnaculũ spiritale, ne quis scopulos uitę huius possit incidere, pertendit usq; ad grauissimorum criminum peccatores & Sidonios ipsos, qui ante superstitione uehemẽti, uenatores scelerum nuncupabãtur ut interpretatio docet: soluta hæreditate maledicti, donatam hæreditatẽ maledictioni absoluit, ut ubi maior reatus erat, ibi nunc uberior sit gratia. Isachar, asinus fortis, accubans inter terminos: uidit requiem quod esset bona, & terrã quod optima, & supposuit humerum ad portandũ, factusq́ est tributis seruiens.) Quia supra Zabulon dixerat, quia maris magni esset litora possessurus, Sidonem quoq; & reliquas Phœnicis urbes contingeret: nunc & ad mediterraneã prouinciam redit, & Isachar qui iuxta Neptalim pulcherrimã Galileæ regionem possessurus esset, benedictione sua habitatorem facit. Asinum autẽ eum fortem uocat, & humerum ad portandũ deditum: quia in labore terræ & uehendis ad mare omnibus quæ in suis finibus nascebãtur, plurimũ laborarat, regibus quoq; tributa comportans. Aiunt Hebræi, quod per metaphorã cuncta hæc significaret, qui scripturas sanctas die ac nocte meditans studium suum dederit ad laborandũ, & idcirco ei omnes tribus seruierint, quasi magistro dona portantes. Inter terminos accubare, est præstolato mundi fine requiescere, nihilq́ de his quæ nũc in medio uersantur quærere, sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem bonã & terram optimã uidet, quum simplex gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad æternæ uitæ patriam tẽdit. Qui & ad portandum humerum supponit, quia conspecta superna requie præceptis etiã grauib. in operatione se subijcit, & quicquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leue ac facile spes remunerationis ostendit. Sequit, Dan iu-

dicabit populũ suũ,sicut & alia trib.in Israel.Fiat Dan coluber in uia,cerasta in semita,mordẽs ungulas equi,ut cadat ascẽsor eius retro.Salutare tuũ expectabo dñe)Sãpson iudex Israel,de tribu Dan fuit.Hoc ergo dicit nũc uidẽs in spiritu nutrisse comã Sãpson Nazaræũ,tum cæsis hostib.triũphare,qui in similitudine colubri reguliq́ obsidentis uias,nullũ p terrã Israel trãsire pmittat:si qs temerarius uirtute sua,quasi equi uelocitate cõfisus,eã uoluerit prædonis more populare,effugere nõ ualebit:totũ tamẽ p metaphorã serpẽtis & equi loquit̃. Videns ergo tam fortẽ Nazarẽũ,tũ quod & ipse ꝑpter meretricẽ mortuus est, & moriens nostros occidit inimicos,putaui ó deus ipsũ esse Christũ filiũ tuum uerũ:sed quia mortuus est,& nõ resurrexit, & rursũ captiuus ductus est Israel, alius mihi saluator mũdi & mei generis,præstolãdus est:ut ueniat cui repositũ est,& ipse erit expectatio gẽtiũ.Quid hoc loco,equi nomine:nisi pręsens seculũ designat̃: Quo in testimonio,qd equus significet, cuius ungulas coluber mordet,melius ostẽdemus,si & ea quæ circũstãt paulò subtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan uenire antichristũ ferũt,ꝑ eo qđ hoc loco Dan & coluber asserit̃ & mordens.Vnde nõ immerito dũ Israeliticus populus terras in castrorũ portione susciperet,prius Dan ad aquilonẽ castrametatus est,illũ significãs scilicet qui in corde suo dixerat,Sedebo in mõte testamẽti in laterib. aquilonis,ascẽdã sup altitudinẽ nubiũ,similis ero altiss. qui nõ solũ coluber,sed etiã cerastes uocat̃.cerata enim cornua dicũtur,serpensq́ hic cornutus esse phibet̃, per quẽ digne antichristi aduẽtus significat̃,quia cõtra uitã fideliũ cũ morsu pestiferæ prædicatiõis,armatus etiã uenit cũ cornu potestatis.Quis aũt nesciat semitã angustiorẽ esse,q̃ uiã.Fit ergo Dan coluber in uia, quia in pręsentis uitæ latitudine eos ãbulare ꝑuocat,quib.quasi parcẽdo blãditur:sed in uia mordet, quia eos qb.libertatẽ tribuit,erroris sui ueneno cõsumit. Fit cerastes in semita, quia quos fideles repit,& sese ad præcepti cœlestis angusta itinera cõstringentes, nõ solum nequitia callide persuasionis impedit, sed etiã terrore potestatis premit,& in persequutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis.Quo in loco equus etiã hũc mũdũ significat, qui p elationẽ suã in cursũ labẽtiũ tẽporũ spumat.Et qa antichristus extrema mũdi apprehẽdere nitit̃,cerastes iste equi ungulã mordere phibet̃. Vngulã qppe equi mordere, est extrema seculi feriẽdo cõtingere.Vt cad.asc.eius re.Ascẽsor equi est,quisqs extollit̃ in dignitatib.mũdi.Qui retro cadere dicit̃,& nõ in faciẽ:sicut Saulus cecidisse memorat̃.In facie eñ cadere,est in hac uita sua,unũquẽq́ culpas agnoscere,easq́ pœnitẽdo deflere.Retro uero cadere est ex hac uita quæ nõ uidet̃, repẽte decidere,& ad quę supplicia ducat̃ ignorare.Et quia Iudęa erroris sui laqueis capta ꝑ Christo antichristũ expectat,bene Iacob eodẽ loco repẽte in electorũ uocẽ cõuersus est,dicẽs,Salutare tuũ exp.dñe:idest nõ sicut infideles ãtichristũ:sed eũ q ad redẽptionẽ nostrã uẽturus est,uerũ credo fideliter Christũ Sequit̃, Gad accinctus præliabit̃ ante eũ,& ipse accinget̃ retrorsũ.)Totũ aũt illud est ꝙ añ Rubẽ & dimidiã tribũ Manasse,ad filios quos trans Iordanẽ in possessiõe dimiserat post XIIII ãnos reuertẽs,præliũ aduersus eos gẽtiũ uicina

rum

rum grande repit,& uictis hostib. fortiter dimicauit. Iste Gad accinctus, psonā dñi exprimit, qui in prima aduētus sui humilitate añ aduētū antichristi præliā dus occurrit, accinctus gladio uerbi sui circa femur potētissime, quo inimicos di uisit.i. filiū à patre, filiā à matre, nurū à socru, iuxta qđ legit in euāg. Nō ueni p. mit. sed gla. Qđ aūt ait, Et ipse accing. retror. claritas dñi nostri in secūdo regno eius ostēdit, quia quū uenerit antichristus itē occurret retrorsū.i. post eius uesti gia, Christus celeri aduētu progrediēs ut interficiat eū gladio oris sui. Vnde & bene idē Gad latrūculus interpretat, eo qđ posterius.i. secus pedes quasi latrū culus rapido atq; improuiso aduētu exiliat, cōtra aptā antichristi oppugnatio nē. Christus uero añ & retro prẹliare cōtra antichristū scribit. Ante eū nāq; in occulto aduētu hūilitatis, post eū uero manifestus in gloria maiestatis. Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias regib.) Aser cuius nomē significat deli cias siue diuitias, idē Christus est, cuius est altitudo diuitiarū sapiētię & sciētię, qui ꝓpter nos paup factus est, quū esset diues: cuius panis, pinguis factus est, caro scilicet eius quæ est esca sācta sanctorū, quā quisqs māducat, uiuet in æter nū. Iste etiā præb. delicias sapiētię reg.i. qui sensus proprios bene regūt, qui do minant uitiorū suorū, qui castigāt corpora sua, & animæ suæ in seruitute subij ciūt. Sequit, Neptalim, ceruus emissus, & dās eloquia pulchritudinis) Signifi cat ꝙ aquæ calidæ in ipsa nascant tribu, siue ꝙ sup lacū Genesareth & fluenta Iordanis irrigua sit. Hebræi aūt uolūt ꝓpter Tyberiadē, quæ legis uidet habe re notitiā, agrū irriguū & eloquia pulchritudinis ꝓphetari: quod potest ceruus emissus trāsferri ꝓpter tēporaneas fruges uelocitatē terræ uberioris ostēdens. sed melius si ad doctrinā saluatoris referamus, Neptalim, qui interpretat lati tudo, apostolos & prædicatores significat, quorū doctrina in latitudine totius mūdi diffusa est. Ex hac enim tribu fuerūt apostoli qui sunt principes & duces ecclesiarū, & principes Zabulō & Neptalim, qui sine dubio ad psonā referunt apostolorū, ipsi sunt filij excussorū. i. ꝓphetarū, qui in manu potētis dei positi sūt, & tāq; sagittę excussæ puenerūt usq; ad fines terræ. Vñ & bene hic Nepta lim ceruus emissus scribit, qa nimirū apostoli siue prædicatores euāgelij ueloci saltu exiliētes, more ceruorū trāscēdūt implicamēta seculi huius, sicq; excelsa & sublimia meditātes dāt eloqa pulchritudinis.i. prædicāt cūctis gētib. doctrinā dñi saluatoris. Sequit, Filius accrescēs Ioseph, filius accrescēs & decorus aspe ctu, filiæ discurrerūt sup murū, sed exasperauerūt eū & iurgati sūt, inuiderūtq; illi habētes iacula. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt uincula brachiorū eius, & manuū illius p manū potētis dei Iacob, inde pastor egressus est lapis Is rael) Iuxta literā aūt iste est sēsus capituli huius. O Ioseph q ideo sic uocaris, qa adduxit te mihi dñs, siue qa īter fratres tuos maior futurus es. Fortissima siqdē trib. fuit Effraim, ut in Regū & Paral. libris legimus. O īquā fili mi Ioseph q tā pulcher es, ut te tota de muris & turrib. ac fenestris puellarū Ægypti turba ꝓspe ctet, inuiderūt tibi, & ad iracūdiā ꝓuocauerūt fratres tui, habētes liuoris sagit tas, & zeli iaculis uulnerati. uerū tu arcū tuū & arma pugnādi posuisti in deo, q fortis est ꝓpugnator: & uincula tua qb. te fratres ligauerūt, ab ipso soluta sūt &

 dirupta,

dirupta,ut ex tuo semine tribus nascat Effraim,fortis & stabilis & instar lapi-
dis durioris inuicta,imperans quoq; X tribubus Israel. Hęc in prophetia post
passionē domini paternæ uocis imagine prætulit: quo redeunte in cœlū post
uictoriā Christum adloquitur,dicens,Filius accrescens Ioseph,filius accrescēs
utiq; in gentib.quia ob incredulitatē synagogæ populum reliquisset, innume
ram sibi plebē ecclesiæ ex omnibus gentib.ampliauit.Quod & Dauid cecinit
dicens,Reminiscētur & c.ad d.u.f.terræ. Filius accrescens & decorus aspectu.
Omnes enim superat illius pulchritudo,iuxta quod & psalmista de illo testa-
tur,dicens,Speciosus f.præ f.h.Filiæ discurrerunt super murū:idest gentes,uel
ecclesiæ quę crediderūt in Christo.Hæ super soliditatē fidei,quasi super murū
amore pulchritudinis Christi accensæ discurrunt,ut uirū sponsumq; per con-
templationē aspiciant,& osculo charitatis illi copulentur atq; adhęreant.Sed
obiurgati sunt eum, subauditur Christum,quando falsis eum testimonijs ca-
lumniantes sanctum domini opprimere synagogæ populi tentauere. Inuide
runtq; illi habentes iacula.Neq; enim quisq; in Ioseph coniecit sagittā,uel ali
quod uulneris telum:sed hoc specialiter euenit in Christo.Sedit in forti arcus
eius.Christus enim arcū suum & arma pugnādi posuit in deum,qui fortis est
propugnator:cuius uirtute euertitur omnis nequitia perfidorum.Et dissoluta
sunt uincula brachiorū eius, quibus fratres,hoc est Iudæi,eum uinctū Pontio
Pilato tradiderūt,uel quibus eū suspēsum ligno crucifixerūt.Recisa enim sunt
per manus omnipotētis Iacob,hoc est per manus omnipotentis dei Iacob,ex
cuius ore ipse Christus bonus pastor,egressus est lapis & firmitas credētium
in Israel.Deus patris tui erit adiutor tuus.Quis audiuit filium,nisi solus pater
qui dixit,Iacob puer meus suscipiet eū anima mea?Et omnipotens benedicit
tibi benedictionib.cœli desuper, benedictionib.abyssi iacentis deorsum.Vni
uersa enim subiecit ei,cœlestia per benedictionem cœli,& terrena per benedi-
ctionē abyssi iacentis deorsum,ut omnib.angelis & hominib.dominet:bene
dictionib.uberū,id est duorum testamentorū,quorū altero nuntiatus est alte
ro demonstratus:siue benedictionib.Mariæ uberum quę uere benedicta est,
quia eadē sancta uirgo domino potū lactis immulsit. Vnde & illa mulier in
euāgelio ait,Beatus u.q te p.& u.q.s. Benedictionibus uberū & uuluæ.Etiam
hic benedicitur uulua eiusdē matris,illa utiq; uirginalis quæ nobis Christum
dominū edidit,de qua patet per Hieremiā,qui eiusdem personā gestauit,sub
ipsius figura ad se dictum audiuit,Priusq; te for.in u.noui te,& anteq; exires
de u.s.te. Benedictiones patris tui cōfortatæ sunt benedictionib.patrū tuorū.
Benedictiones,inquit,patris tui cœlestis, quæ datæ sunt tibi à summo cœli &
abyssi,confortatæ sunt,id est præualuere benedictionibus patrū tuorū.Vltra
enim omne sanctorū meritum prophetarū, siue patriarcharū conualuit bene
dictio omnipotentis patris in filium,ita ut ei nullus sanctorū æquaretur.Do-
nec ueniat desiderium collium æternorum.Colles isti,sancti sunt,qui Christi
aduentum prophetantes,magno cum desiderio incarnationē eius expectaue
runt,de quibus dominus dicit, Quia multi iusti & prophetæ cupierunt uide-
re quæ

re quæ uidetis. Hi ergo sancti dicti sunt colles propter excellentiā sanctitatis. Qui etiam æterni uocantur, quia uitam consequuntur æternam, nec intereunt cum mūdo, sed esse credūtur æterni. Fiant in capite Ioseph: omnes scilicet istæ benedictiones super caput Christi ponūtur, quas incarnatus accepit. & super uerticem Nazaræi, de quo scriptū est, Quoniam Nazareus uocabitur, hoc est sanctus dei. Inter fratres suos, quia ipse est caput omnium eminens uniuersorum sanctorum, quos & fratres uocat in Psalmis. Sequit. Beniamin, lupus rapax. Mane comedet prædam, & uespere diuidet spolia.) Hoc capitulum ita Hebræi edisserunt, ut altare quo immolabantur hostiæ & uictimarū sanguis ad basim illius fundebat, in parte tribus Beniamin fuerit. Hoc, inquiunt, significat, quod sacerdotes mane immolarent hostias, & ad uesperā diuiderent ea quæ sibi à populo ex lege collata erant, Lupum sanguinariū uel rapacē super altaris interpretatione ponentes, & spoliorum interpretationem super sacerdotibus, qui seruiētes altari uiuebant de altari. Beniamin, lupus rapax, mane comedet prædam, & uespere diuidet spolia. Quibus dictis Paulus apostolus designatur, de Beniamin stirpe progenitus. Qui mane rapuit prædam: id est, in primordijs fideles quos potuit, deuastauit. Vespere autem spolia diuisit, quia fidelis postmodum factus, sacra eloquia audiētibus, discretione mirifica dispensauit. Legimus quendā ex doctoribus, ad urbem Hierusalē ea quæ de Beniamin scripta sunt referentem. Beniamin, inquit, filius doloris interpretatur. Hic sorte hæreditatis eum locū accepit, in quo terrena est Hierusalē, quæ nunc propter incredulitatē abiecta est atq; repulsa. Hæc enim in filijs suis sub persona Beniamin designatur. Nam sicut Beniamin ultimam cōsequutus est benedictionē, ita & idem populus ultimus est saluādus, postea q̄ plenitudo gentium introierit. Dicit enim Beniamin lupus rapax: lupus scilicet, quia ipse populus effudit sanguinem prophetarū: rapax aūt propter auiditatē dicitur. Ex multa enim fame uerbi dei & inedia, ueniet rapax, quia & ipse uiolēter diripiet regnū dei. Hic aūt mane comedet prædā. Mane, illud tēpus creditur significari quo legē accepit: tūc enim primo quædā illuminatio sciētiæ data est. Comedet aūt mane, quia legē quā mane accepit, edit adhuc meditat & legit, sequēs legis iustitiā, in legem fidei nō peruenit. Ad uesperā aūt diuidet spolia. Vespere erit illud tēpus nouissimū quo cōuertet. Tūc diuidet spolia, id est tūc intelliget diuidēdā esse literā à spiritu: & tūc cognoscet, quia litera occidit, spiritus aūt uiuificat. Quia ergo iam per gratiā domini illuminatus, incipit legis spiritalia à corporalib. diuidere & separare: ideo dicit, ad uesperā diuidet spolia, siue escā, eo quod tota die in lege meditās ante nō fecit. Quærit aūt de Iacob, quur omnes quos de liberis & de ancillis genuit, æquali honore filios & hæredes cōstituerit, nisi ut ostēderet quod Christus dominus omnib. gētibus quæ per fidē corpori eius cōciliantur, cūctos pari honore & gloria habens, cœlestia præmia largiatur: nec est distinctio, Iudæus an Græcus, Barbarus & Scytha, seruus an liber sit: quia per omnia & in omnib. Christus est. Propterea enim

figuram serui saluator noster & dominus induit,& pro libero & pro seruo seruiuit,ut omnibus credentibus in se, æquale donum bonorum cœlestiũ largiatur:nec præfertur apud illum,quis secundũ carnem nobilior sit. Quicũq; enim fidẽ domini promerent̃,nullis maculis carnalis natiuitatis obfuscantur. Nam & hoc ita futurum etiam per prophetam promittitur,dicente domino. Erit in nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem. Sequitur,

De morte Iacob XXXIX Finitisq; mandatis,quibus filios instruebat,collegit pedes suos super lectulum,& obijt,appositusq; est ad populum suum. Quod cernẽs Ioseph,ruit super faciem patris,flens & deosculans eum.) Videndum quomodo dicant scripturæ,quod assidue dicũt de mortuis,Et appositus est ad patres suos:uel,Appositus est ad populũ suum:sicut de Iacob dicitur,iam quidẽ mortuo,sed non dum sepulto. Sed ad quem populum apponatur,non in promptu est uidere. Ex illo enim populus prior natus est, qui dictus est populus Israel. Qui uero eum præcessere tam pauci iusti nominantur, ut eos populũ appellare cunctemur. Nam si dictum esset,Appositus est ad patres suos: nulla quæstio fieret. An fortè populus est,non solum hominum sanctorum,uerumetiam angelorum,populus ciuitatis illius unde dicitur ad Hebræos,Accessistis ad montem Sion,& ciuitatem Hierusalem, & milia angelorum exultãtium. Huic populo apponuntur,qui hanc uitam placentes deo finiunt. Tunc enim dicũtur apponi,quando nulla iam remanet sollicitudo tentationum & periculum peccatorum. Sequitur, Præcepitq; seruis suis medicis,ut aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentib. transierunt quadraginta dies. Iste quippe mos erat cadauerum conditorum. Fleuitq; eum Ægyptus septuaginta dies.) Quadraginta dies sepulturæ,quos commemorat scriptura, fortè significãt aliquid pœnitẽtiæ,qua peccata sepeliũtur. Non enim frustra etiã XL dies ieiuniorum sunt cõstituti,quib. Moyses & Helias & ipse dominus ieiunauit,& ecclesia prçcipuam obseruationẽ ieiuniorũ,quadragesimã uocat:& Ionas propheta Niniuitis prædicauit,Adhuc XL dies,& Niniue subuertet̃,ut per tot dies accõmodatos, humiliatio pœnitentiũ,& accepta remissio peccatorũ intelligat̃. Seqt̃,

CAP. L EXPLETO planctus tempore,loquutus est Ioseph ad familiã Pharaonis,Si inueni gratiam in cõspectu uestro loquimini in auribus Pharaonis, eo quod pater meus adiurauit me,dicẽs,En morior:in sepulchro meo,quod fodi mihi in terra Chanaan sepelies me. Ascendam igitur & sepeliã patrẽ meum, ac reuertar. Dixitq; ei Pharao, Ascende, & sepeli patrem tuum. Quo ascendente,ierunt cum eo omnes senes.) Quod ait Ioseph ad potentes Ægypti,ut dicerent Pharaoni ex nomine eius,Pater meus adiurauit me,dicẽs,In monumento meo quod ego fodi mihi in terra Chanaan,ibi me sepelies: quæri potest quomodo sit uerum,quum hæc uerba patris eius,quãdo de sua sepultura mandauit,non legãtur. Sed ad sententiã uerba referre debemus,sicut in alijs supra similiter iteratis uerbis uel narrationib. admonuimus. Fodisse autẽ sibi Iacob sepulchrũ,nusq; superius in hac scriptura legit̃:sed nisi fieret quũ in eisdem

dem terris esset, modo nõ diceretur. Sequit, Veneruntq; ad aream Achat, quæ sita est trans Iordanem. Quid sibi uult, quod quum pergerent ad sepeliendum Iacob, scriptura dicit, Et uenerunt ad aream, quæ est trans Iordanem. Prætergressi sunt enim locũ, in quo erat mortuus sepeliendus, milia sicut perhibent qui nouere plus quàm quingenta: tãtum quippe spatij est plus minus ab eo loco ubi sepulti sunt patriarchæ, usq; ad hunc locum, quò eos aduenisse narratur. Nam post factum ibi luctum & planctum magnum, redierunt ad locum quem præterierant, rursus Iordane transiecto. Nisi fortè quis dicat aliquorum hostium uitandorũ causa per eremum eos uenisse cum corpore, qua etiam uia populus Israel ductus est, per Moysen ab Ægypto liberatus. Illo quippe itinere, & plurimũ circuitur, & per Iordanem uenitur ad Abramium, ubi sunt corpora patriarcharum, id est, ad terram Chanaã. Sed quomodo factum sit, ut trans illa loca uersus ad orientem tantum iretur, & inde ad ea per Iordanem ueniretur, significationis causa factum esse credendũ est, quod per Iordanem uẽturus erat ad eas terras postea Israel in filijs suis. Sequit, Vbi celebrantes exequias planctu magno atq; uehementi, impleuerunt VII dies. Quod quũ uidissent habitatores terræ illius (id est, Chanaan) dixerunt, Planctus magnus est iste Ægyptijs. Et idcirco appellauerũt nomẽ loci illius, Planctus Ægypti. Fecerunt ergo filij Iacob, sicut præceperat eis: & portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt in spelunca duplici.) Nescio utrum inueniatur alicui sanctorũ in scripturis celebratum luctum esse per nouem dies, quod apud Latinos nouemdium appellatur. Vnde euidenter apparet ab hac consuetudine prohibitos Christianos istum in mortuis numerũ seruare, qui magis est in gentilium consuetudine. Septimus uero dies autoritatẽ in scripturis habet. Vnde alio in loco scriptũ est, Luctus mortui, septem dies: fatui autem, omnes dies uitæ eius. Septenarius autem numerus propter sabbati sacramentum, præcipue quietis indicium est. Vnde merito mortuis, tanq; requiescentibus exhibetur. Quem tamen numerum in luctu Iacob decuplauerunt Ægyptij, qui eum LXX diebus luxerunt. Sequitur, Vixitq; Ioseph centum & decem annos, & uidit Effraim filios usq; ad tertiã generationẽ. Filij quoq; Machir, filij Manasse, nati sũt in genibus Ioseph. Mortuusq; est expletis centum & decem uitæ suæ annis, & conditus aromatibus, sepultusq; est in Ægypto.) Quum hos filios filiorum uel nepotes filiorũ dicat scriptura Ioseph uiuendo uidisse, quomodo eos iũgit illis LXX hominibus, cũ quibus Iacob Ægyptum dicitur intrasse, quãdoquidẽ Ioseph senescẽdo peruenit, ut eos natos uideret? Iacob aũt quando ingressus est Ægyptum, iuuenis erat Ioseph: & eum pater moriens L & VI ferè ætatis annum agentem reliquit. Vnde constat certi mysterij causa illum numerum, id est septuagenariũ, scripturam commẽdare uoluisse. Si autem quisquam exigit, quomodo etiam secundũ historicam fidem uerum sit, Iacob cum LXX animabus in Ægyptum intrasse: non illo uno die quo uenit, eius ingressum oportet intelligi. Sed quia in filijs suis plerumque appel-

De morte Ioseph XL


appellatur Iacob, hoc eſt in poſteris ſuis, & per Ioſeph eum conſtat in Ægy-ptum intraſſe, introitus eius accipiendus eſt, quamdiu uixit Ioſeph, per quem factum eſt ut intraret. Toto quippe illo tempore naſci & uiuere potuerunt, omnes qui commemorantur, ut ſeptuaginta, uel iuxta Septuaginta interpre-tes, ſeptuagintaquinq; animæ compleātur, uſq; ad nepotes Beniamin. Sicut enim dicit, Hi filij Liæ, quos peperit Iacob in Meſopotamia Syriæ, loquens etiam de his qui nondum erant nati: quia illic parentes eorum de quibus na-ti ſunt, pepererant, ibi eos perhibet natos, quoniam cauſa qua naſcerentur ibi nata eſt, id eſt parentes eorum quos ibi Lia peperit: ita quoniam cauſam in-trandi in Ægyptum Iacob in Ioſeph habuit, totum tempus quo in Ægypto uixit Ioſeph, ingreſſio erat Iacob in Ægy-ptum per ſuam progeniē, quæ illo uiuo pro-pagabatur, per quem factum eſt ut ingrederetur.

DIVI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVM IN GENESIM FINIS




FRO
BEN.

D. EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVM IN libros Regum ad Veranium & Salonium fratres episcopos Libri quatuor.



VERE NOBILI AC

ERVDITO VIRO D. IANO À SVOLLA EQVIti ac iureconsulto suo Dño & amico præcipuo Ioannes Alexander Brassicanus iureconsultus S D P.



Archimedes Syracusanus

ARCHIMEDES ille Syracusanus, quem ueteres arbitrati sunt plus ualuisse in imitandis spheræ conuersionibus, quàm naturam in efficiendis: siquando difficilis alicuius rei feliciorem explicationẽ inuenisset, solebat & gaudio exilire, & identidem exclamare, εὕρηκα εὕρηκα, hoc est reperi tandem reperi: & Pythagoras, quum inuenisset τὸν τριγώνον ὀρθογώνιον, Musis à quibus admonitum esse se significabat hecatõben sacrificauit, Id quod uetus & elegantissimum hoc Epigramma comprobat,

Pythagoræ hecatombe

ἡνίκα πυθαγόρας τὸ περικλεὲς εὕρατο γράμμα
κλεινὸς ἐφ' ᾧ λαμπρὴν ἤγαγε βουθυσίην

Citat Plutarchus aduersus Epicurum.

Aegyptiorũ Osyris

Sed & Ægyptij inuento illo tam diu quæsito Osyri, nusquam non exclamabant, Inuenimus, lætamur. Ego uero siquando in ueterem aliquem & maiorum gentium autorem, necdum in lucem prolatum incido, longe uerius omnium istorum uoces usurpauero, ac rectius etiam dijs immortalibus eiusmodi thesaurorum adseruatoribus, gratissimæ mẽtis sacrificiũ obtulero: neq; enim alia ratione pro beneficijs istis inæstimandis nos gratos exhibere possumus, quàm si & seruatos & inuentos à nobis meliores illos libros uni ac unico deo acceptos feramus, Qui ut maximus, ita etiam uere optimus est, Quoniã non tantum abunde potest, uerum etiam perpetuo & ubiq; prodesse uult: & mea quidem sententia, nũquam ille uniuerso mortalium generi, uel præsentius adest, uel felicius consulit, uel amicitius etiam prospicit, quàm quum ueterum autorum scripta (præsertim ea quæ quum sacra enarrent, merito etiam sacra existimari debeant) non patitur interire, sed quasi postliminio ad nos arcana sui consilij maiestate reuocat. Id quod in Eucherio Episcopo Lugdunẽsi factum esse nemo inficiabitur, qui saltẽ rem ipsam diligentius animaduerterit. Nam anno superiore quum immanissimi Turcæ Viennam inaudita obsidione premerent, & omnia circumiecta, nimirum urbes, arces, cœnobia, uillas, pagos, agros, uineas, ferro ac igne uastarent, exusserunt etiam regium hoc, instituti Diui Bernardi Cœnobium, quod ad S. Crucem Diuo Leopoldo Archiduci Austriæ, appellare placuit: & quum hoc ita miseris modis accepissent, ut iam Cœnobium quereretur in cœnobio, libros tamen omnes & ueteres, & adhuc minime uulgatos, incorruptos, & ex nulla parte deminutos reliquerunt, Ita

Gratitudo erga deum

Deus Opt. Max.

Veterum autorũ scripta à deo conseruata

Obsidio Viennæ per immanissimos Turcas

Cœnobium S. Crucis in Austria

 ut ignis

Aeneæ pepercit ignis

ut ignis ijs non aliter pepercisse uideatur, quàm Æneæ Anchisem patrem humeris efferenti, nec flammarũ uis, nec hostium infelix occursus obesse potuit, aut Æthnæ incendium, pios illos adulescentes, parentum suorum latera claudentes, saluos ac incolumes abire permisit. Pepercit igitur incendiũ hoc atrocissimum Eucherio, & ab eo libris isthic omnibus omne ius belli Turcæ abstinuerunt.

Germanorum militũ atrox facinus

Cum interea nostri milites, intra mœnia, libros omnes discerperent, omnia uolumina corrumperent, Ita ut uix à publicis etiam bibliothecis diripiendis aut ui prohibiti, aut autoritate submoti fuerint. Vides optime uir, quàm unico nomine tantum non etiam moribus à Turcis hæ belluæ differunt. Certe non minus periculi fuit ab imposito præsidio, quàm ab externo & eo quidem pernitiosissimo hoste.

T. Liuij exclamatio

Vnde recte Liuius exclamat, Id quidem cauendum semper Rhomanis ducibus erit, exemplaq́ hæc uere pro documentis habenda, ne ita externis credant auxilijs, ut non plus sui roboris, suarũq́ propriæ uirium habeant, Sed hæc alterius instituti sunt. Nunc tibi muneri mitto Diui Eucherij in Reges commentariorum libros quatuor, partim quidem ut tuæ prorsus in me incredibili benignitati, liberalitati, ac amori, uel aliqua ex parte respondeam, nam satisfaciendi ullo unquam tempore mihi spem omnem præcidisti: partim autem, ut iudicium hoc tuum singulare comprobare uidear,

D. Iani à Suolla iudicium

quo rectissime existimas uix unum aut alterum esse, qui tam exactam in interpretandis sacris literis rationem obseruarit, atq; Diuus Eucherius arcanis quibusdam & reconditis notis iam inde ex Dionysij Areopagitæ disciplina repetitis, usus sit. Illum igitur quem tãtopere deprædicasti, quẽ tam plenis uelis extulisti simul, & exornasti, tuũ tibi habeto. In eoq́ rursum ac prorsum euoluendo, animum tuum eiusmodi epularum amãtissimum quàm lautissime pascito. Scimus enim te sacris literis ita deditum esse, Ita bonas horas omnes in ijs consumere, ut Zoroastris aliquo illicio adductus & incitatus esse uidearis. is enim antiquissimis ijs uersiculis sacrarum rerum studiosos commonefacere solitus est:

Zoroastris uersiculi

μίμνων εὐσεβείης ἱερὸν πέδον, οἶσον ἀνοίγειν
ἠδ' ἀρετὴ, σοφία τε καὶ εὐνομίαι συνάγοντι.

Vale bene, uir & uera nobilitate ac eruditione præstantissime, & me cum studijs meis tibi bene cognitis, commẽdatum habere perge. Ego certe quod ad me pertinet, eiusmodi ueterum monumentis ornare te nũnquam desinam. Quanquã ut uerum fatear longe plus splendoris à te nostra accipiunt, quàm uicissim possint reponere. Pro tua tamen incomparabili modestia, scio, quàm sis & hoc æqui boniq́ facturus: quãdo nostrum animum ita perspectum habeas, ut ab eo plane nihil ad te proficisci scias, nisi quod ingenue candidum atq; syncerũ fuerit. Id quod in posterum approbare tibi rebus ipsis, quàm uerbosioribus promissis malo. Viennæ,

Ex collegio Regio, Anno à nato Iesu M D XXX. mense Decembri.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI

FINIS

D. EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVM IN LIBROS Regum ad Veraniũ & Saloniũ fratres episcopos Liber primus.



EGVM tẽpora post iudices quãdo Dauid Saule reprobato cœpit regnare, incipiunt. Vnde & liber ubi res gestæ continẽtur, quem nunc aggredimur, Malachim, idest Regum uocitatur, quod tertio & quarto uolumine continet. Meliusq́ est multo malachim, idest regum, quàm malachot, idest regnorũ dicere. Non enim multarũ gentium regna describit, sed unius Israelitici populi, qui tribubus XII continetur. Plus tamẽ in terrena Hierusalẽ, tribus Iuda, unus ex XII, diuturna successione regnauit. In qua ciuitate reprobato Saule, prior Dauid regnauit. In quibus temporib. multa uaria sacramẽta Christi & ecclesiæ figurãtur. Nam in ipso exordio regum, commũtatũ sacerdotiũ in Samuele reprobato Heli, & commutatũ regnũ in Dauid reprobato Saule, exclamat prænũtiari nouũ sacerdotiũ nouumq́ regnũ, reprobato uetere, quod umbra erat futuri in dño Iesu Christo uenturi. Nonne ipse Dauid quum panes propositionis mãducauit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotib. in una eademq́ persona utrũq́ futurũ, idest in uno Iesu Christo regnũ & sacerdotium figurauit? Et aspice regũ tempora, quia primo iudicũ, postea regum. Sic erit iudiciũ, postea regnũ. Huius aũt libri tale principiũ est: Fuit uir unus de Ramatha Sophim, de monte Effraim, & nomẽ eius Helchana, filius Hieroboam, filij Heliu, filij Tau, filij Suph Effrateus) Helchana non de Amrã ortus, sed de Isaar, qui & ipse filius fuit Caath, & Caath filius Leui. Hic Isaar pater fuit Chore, quo pereũte filij eius remãserunt. De cuius stirpe fuit Samuel, quorũ posteritas postea temporib. Dauid & Salomon, cantatores & prophetæ in populo & templo dei fuerunt. Huius Caath familię acceperunt urbes & suburbana ad inhabitandũ, ut liber Iesu Naue testatur, in monte Effraim, ubi fuerunt ciuitates Sichẽ & Gazer & Cethsain & Bethoron. Fuit enim Helchana filius Hieroboã, filij Heliu, filij Tau, filij Suph, filij Helcana, filij Iohel, filij Azariæ, filij Sophoniæ, filij Thaat, filij Asir, filij Abisaph, filij Chore, filij Isaar, filij Caath, filij Leui, filij Israel, ut uerba dierũ narrãt. Et habuit duas uxores, nomẽ uni Anna, & nomen secũdæ Phenenna. Fueruntq́ Phenennæ filij, Annæ aũt nõ erant liberi: &c.) Iste ergo laudabilis uir habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomẽ secundę Phenẽna. Habebat aũt filios de secũda Phenenna, sterilis uero erat prior illa quæ & nobilior erat. Similia inuenies etiã in Genesi, cognata qppe sibi est scriptura diuina. Inuenies ibi primã uxorẽ Abrahæ Sarã nobiliorẽ: secundã uero Ægyptiã Agar, ignobilẽ fuisse: & ante patrẽ effectũ Abrahã de ignobili quàm de nobili. Fuit tamen postmodũ etiã de nobili

De Helchana I

coniuge pater. Ita ergo etiam nūc Helchana hic qui est possessio dei, prius de secūda uxore efficitur pater: quoniā quidem concluserat deus uuluam Annæ, sicut & prius concluserat uuluā Saræ. Post plurimos uero partus Phenennæ, etiam Annæ uulua orationibus & precibus aperitur, & efficitur etiā ipsa mater filij eius, quem obtulit deo. Quid ergo hæc in se sacramenti contineant, uideamus. Phenenna interpretatur cōuersio, Anna autem interpretatur gratia. Vnusquisq; ergo nostrum, qui uult effici possessio dei, istas sibi duas iungat uxores, & cum ipsis sibi nuptias celebret. Primam sibi iūgat, quæ nobilior est & generosior, gratiam: hæc enim nobis per fidem prima coniungitur, sicut & Apostolus dicit, Gratia salui facti estis per fidem. Secundæ uero coniūgimur Phenēnæ, idest cōuersioni, quia post gratiā credulitatis, emēdatio fit morū, & uitæ conuersio. Sed quum istæ sit ordo nuptiarū, alius ordo procreationis efficitur. Prima nobis filios parit Phenenna, quia primos fructus de conuersione proferimus, & prima iustitiæ germina de actibus & operib. procreamus. Primum nāq; iustitiæ opus est, conuerti à peccatis: quia nisi ante conuertamur & declinemus à malo, nō poterimus de Anna effici patres, nec de gratia liberos generare. Videamus ergo nunc uniuscuiusq; differētias. Phenēna filios habet sed qui non assistunt deo, neq; enim tales filij possunt esse cōuersionis, ut assistant & adhæreant deo. Nec tamen inanes & penitus alieni sunt à rebus dei. Accipiunt nāq; partes de sacrificijs diuinis, & edūt de hostijs dei. Vnusquisq; ergo nostrū primo cōuertitur à peccato, & ex cōuersione generat opera iustitiæ: postea uero excitata in nobis Anna, per zelum & æmulationē boni precē fundat ad deum, ut & ipsa filios generet. Quales ergo Anna, quę est gratia, filios generat, qui assideant deo? Gratia enim & ueritas per Iesū Christū facta est. Hic ergo filius gratiæ, qui uerbo dei & deo uacat.

De cántico Annæ II

Post hæc orauit Anna, & ait, Confirmatū est cor meum in domino, & exaltatū est cornu meū in deo salutari meo. Dilatatū est os meum super inimicos meos, lætata sum in salutari tuo: &c.) Ita'ne uero uerba hæc unius putabuntur esse muliercułæ, de nato sibi filio gratulantis? Tantū mens hominū à luce ueritatis auersa est, ut nō sentiat supgredi modū fœminæ huius dicta quæ fudit? Porrò qui reb. ipsis quæ iam cœperant etiā in hac terrena peregrinatione cōpleri cōuenienter mouetur, nonne intendit & aspicit & cognoscit per hanc mulierem, cuius etiam nomē, idest Anna, gratia eius interpretatur: ipsam religionē Christianā, ipsam ciuitatē dei, cuius rex est & cōditor Christus, ipsam postremo dei gratiā prophetico spiritu sic loquutā: à qua superbi alienātur ut cadant, qua humiles implētur ut surgant, quod maxime hymnus iste personuit: nisi fortè quisq; dicturus est, nihil istam prophetasse mulierē, sed deum tantūmodo propter filium, quē precata impetrauit, exultāti laudatione laudasse? Quid ergo sibi uult quod ait, Arcus fortiū superatus est, & infirmi accincti sunt uirtute, pleni panib. minorati sunt, & esurientes transierunt terrā, quia sterilis peperit septē, & multa in filijs infirmata est? Nunquid VII ipsa pepererat? Quāuis sterilis fuerit, unicū habebat

quando

quãdo ista dicebat:sed nec postea VII peperit,siue sex, qb.septimus esset ipse Samuel,sed tres mares & duas fœminas.Deinde illo in populo quum adhuc nemo regnaret,quod in extremo posuit, Dat uirtutẽ regibus nostris,& exaltauit cornu Christi sui:unde dicebat,si non prophetabat? Dicat ergo ecclesia Christi,ciuitas regis magni,gratia plena,prole fœcũda dicat, quod tãto ante de se prophetatũ per os huius piæ matris agnoscit. Confirmatũ est cor meũ in dño,& exaltatũ est cornu meũ in deo meo)Vere cõfirmatũ est cor,& cornu exaltatũ:quia nõ in se,sed in dño deo suo. Dilatatũ est super inimicos meos os meũ)Quia & in angustijs pressurarũ sermo dei non est alligatus,nec in pręconib.alligatis. Lætata sum,inqt,in salutari tuo)Christus est iste Iesus quẽ Simeon sicut in euãgelio legitur senex, amplectens paruulũ,agnoscens magnũ, Nunc dimittis,inqt,dñe ser.t.in pace,q.ui.o.m.s.t. Dicat itaq; ecclesia,Lætata sum in salu.t. Quoniã non est sanctus ut est dñs,& non est iustus sicut deus noster)Tanq̃ sanctus & sanctificãs,iustus & iustificãs.Non est sanctus præter te,quia nemo fit nisi abs te.Deniq; sequit̃, Nolite gloriari superbi,& nolite loqui excelsa)Neq; exeat magniloquiũ de ore uestro,quoniã deus sciẽtiarum dñs.Ipse uos scit,& ubi nemo scit:quoniã qui putat se aliquid esse,quum nihil sit,seipsum seducit.Hæc dicuntur aduersarijs ciuitatis dei,ad Babyloniã pertinentib.de sua uirtute præsumẽtib.in se,non in dño gloriantib.ex quibus sunt etiã carnales Israelitę terrenæ Hierusalẽ ciues terrigenæ:qui ut dicit Apolus, Ignorãtes dei iustitiã.i.quam dat deus homini,qui solus est iustus atq; iustificans:& suam uolentes cõstituere.i.uelut à se sibi paratã,non ab illo impartitam:iustitiæ dei non sunt subiecti:utiq; quia superbi,de suo putantes,nõ de dei placere se deo: qui est deus scientiarũ, atq; ideo & arbiter conscientiarum, ibi uidens cogitationes hominũ, quoniã uanæ sunt,si hominũ sunt, & ab illo non sunt. Et præparans,inqt,adinuẽtiones suas)Quas adinuentiones putamus,nisi ut superbi cadant,& humiles surgant?Has quippe adinuẽtiones exequit̃,dicens, Arcus potentiũ infirmatus est,& infirmi præcincti sunt uirtute) Infirmatus est arcus.i.intentio eorũ, qui tam potentes sibi uidẽtur,ut sine dei dono atq; adiutorio,humana sufficientia diuina possint implere mãdata. Et præcinguntur uirtute quorũ in terra uox est,Miserere mei dñe,q.inf.s. Pleni panibus,inqt,minorati sunt,esurientes transierunt terrã.)Qui sunt intelligẽdi pleni panib.nisi idem ipsi quasi potentes.i.Israelitę,quib.credita sunt eloquia dei? Sed in eo populo ancillæ filij minorati sunt, quod uerbo minus,bene tamen expressum est,q; ex maiore,minores facti sunt,quia & in ipsis panibus.i. diuinis uerbis,quæ Israelitæ soli tunc ex omnib.gentib.acceperũt,terrena sapiunt.Gentes aũt quib.lex illa nõ erat data, postea q̃ per nouũ testamentũ ad illa eloquia uenerũt,multũ esuriendo terrã transierũt,quia in eis non terrena, sed cœlestia sapuerũt.Et hoc uelut quæreret̃ causa quur factum sit,Quia sterilis peperit VII,& multa in filijs infirmata est.Hic totũ quod prophetabat̃ eluxit agnoscentib.numerũ septenariũ,quo est uniuersæ ecclesię significata perfectio.

ctio. Propter quod & Ioannes apostolus ad septem scribit ecclesias: eo modo se ostẽdens ad unius plenitudinem scribere: & in Prouerbijs Salomonis hoc antea præfigurans, Sapientia ædificauit sibi domum, & suffulsit columnas septem. Sterilis enim erat in omnib. gentibus dei ciuitas, antequàm iste fœtus quem cernimus, oriretur. Cernimus etiam quæ multa in filijs erat, nunc infirmatam terrenam Hierusalem, quoniam quicũq; filij liberæ in ea erant, uirtus eius erat. Nunc uero quoniã ibi litera est, & spiritus non est, amissa uirtute infirmata est. Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit.) Mortificauit illam quæ multa erat in filijs, & uiuificauit hanc sterilem, quæ peperit septem: quamuis cõmodius possit intelligi eosdem uiuificare quos mortificauerit: id enim uelut repetiuit, addẽdo, Deducit ad inferos, & reducit. Quibus enim dicit Apostolus, Si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedens: salubriter utiq; mortificãtur à domino. quibus adiungit, Quæ sursum sunt, sapite, non quę super terram: ut ipsi sint illi, qui esurientes transierunt terram. Mortui enim estis, inquit. Ecce quomodo salubriter mortificat deus. Deinde sequitur, Et uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Ecce quomodo eosdem ipsos uiuificat deus. Sed nunquid eosdem deduxit ad inferos, & reduxit? Hoc utrumq; sine controuersia fidelium, in illo potius uidemus impletum capite scilicet nostro, cum quo uitam nostram Apostolus dixit absconditam in deo. Nam qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, isto modo utiq; mortificauit eum: & quia resuscitauit à mortuis, eundem rursus uiuificauit: & quia in prophetia uox eius agnoscitur, Non derelinques animam meam in inferno, eundem deduxit ad inferos, & reduxit. Hac eius paupertate ditati sumus. Dominus enim pauperes facit, & ditat.) Nã quid hoc sit ut sciamus, quod sequitur audiamus: Humiliat, & exaltat.) Vtiq; superbos humiliat, & humiles exaltat. Quod enim alibi legitur, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiã: hoc totum habet sermo huius, cuius nomen interpretatur, gratia eius. Iam uero quod adiũgitur, Suscitat à terra pauperem, de nullo melius quàm de illo, intelligo, qui propter nos pauper factus est, quum diues esset: ut eius paupertate, sicut paulo ante dictum est, ditaremur. Ipsum enim de terra suscitauit, tam cito ut caro eius non uideret corruptionem. Nec illud ab illo alienabo quod additũ est, Et de stercore erigit inopem. Inops quippe, idem qui pauper. stercus uero, unde erectus est: rectissime intelliguntur Iudæi persequutores. in quorũ numero quum se dixisset Apostolus ecclesiã persequutum, Quæ mihi fuerunt, inquit, lucra, hæc propter Christum damna esse duxi: nec solum detrimenta, uerum etiam stercora existimaui esse, ut Christum lucrifacerẽ. De terra ergo suscitatus est ille, supra omnes diuites pauper: & de illo stercore erectus supra omnes opulentos, ille inops. Et sedeat cum principibus populi.) Quibus ait, Sedebitis super duodecim sedes, sed sedẽ gloriæ dans eis hæreditatem. Dixerant potẽtes illi, Ecce nos dimisimus omnia, & sequuti

quuti sumus te. Hoc uotũ potentissimi uouerunt. Sed unde hoc eis, nisi ab illo de quo cõtinuo dictum est, Dans uotum uouenti. Alioquin ex illis exi poten tibus, quorum arcus infirmatus est. Dans, inquit, uotũ uouenti.) Non enim quisq; domino quid rectũ uoueret, nisi quia ab illo acciperet, quod uoueret. Sequit, Et benedixit dans annos iusti) Vt cum illo scilicet sine fine uiuat, cui dictum est, Et anni tui non deficient. Ibi enim stant anni, hic autem trãseunt, immo pereunt. Ante enim q̃ ueniant, nõ sunt. Quũ enim uenerint, nõ erunt: quia cum suo fine ueniunt. Horum autem duorum, id est dans uotum uouen ti, & benedixit annos iusti: unũ est quod facimus, alterũ quod sumimus. Sed hoc alterũ deo largitore non sumitur, nisi cum ipso adiutore primum illud efficitur. Quia non in uirtute potens est uir. Dominus enim infirmum facit aduersarium suum, illum scilicet qui homini uouenti inuidet, & resistit, ne ualeat implere quod uouit. Potest ex ambiguo Græco intelligi, & aduersariũ suum. Quũ enim dominus possidere nos cœperit, profecto aduersarius qui noster fuerat, ipsius fit, & uincetur à nobis, sed non in uiribus nostris, quia non in uirtute sua potens est uir. Dominus ergo infirmũ faciet aduersariũ suũ, dominus sanctus: ut uincatur à sanctis, quos dominus sanctus sanctorũ efficit sanctos. Ac per hoc non glorietur prudens in prudẽtia sua, & non glorietur potens in potentia sua, & nõ glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & scire deum, & facere iudicium & iustitiam in medio terræ. Non parua ex parte intelligit & scit dominũ, qui intelligit & scit etiã hoc à domino sibi dari, ut intelligat & sciat dominũ. Quid enim habes, ait Apostolus, quod non accepisti? Si aũt accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? id est quasi à teipso tibi sit unde gloriaris. Facit aũt iudiciũ & iustitiã, qui recte uiuit. Recte aũt uiuit, qui obtẽperat præcipiẽti deo: & finis præcepti, idest ad quod refertur præceptũ, charitas est de corde puro & cõscientia bona, & fide non ficta. Porrò ista charitas sicut Ioãnes apostolus testat, ex deo est. Facere igitur iudiciũ & iustitiã ex deo est. Sed quid est in medio terræ? Neq; enim non debent facere iudiciũ & iustitiã qui habitãt in extremis terræ. Quis hoc dixerit? Quur ergo additũ est, In medio terræ? Quod si non adderet, & tãtummodo diceretur, Facere iudiciũ & iustitiã: magis hoc præceptũ ad homines utrosq; pertineret & mediterraneos & maritimos. Sed ne quisq; putaret, post finẽ uitæ quæ in hoc agitur corpore superesse tẽpus iudiciũ iustitiãq; faciẽdi, quam dum esset in carne nõ fecit, & sic diuinũ euadi posse iudiciũ: in medio terræ mihi uidetur dictũ, quum quisq; uiuit in corpore. In hac quippe uita, suã terram quisq; circũfert, quam moriente homine recipit terra, consurgenti utiq; redditura. Proinde in medio terræ, idest quum anima nostra isto terreno clauditur corpore, faciendum est iudicium atq; iustitia, quod nobis prosit in posterum quando recipit quisq; secũdum ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum. Per corpus quippe ibi dixit Apostolus, per tempus quo uixit in corpore. Neq; enim si quis maligna mẽte atq; impia cogitatione blasphemet, neq; id

ullis

ullis membris corporis operetur, ideo nō erit reus, quia id motu corporis non gessit, quū hoc per illud tempus gesserit, quo gessit & corpus. Isto modo congruenter intelligi potest etiam illud quod in psalmo legitur, Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ: ut dominus Iesus accipiatur deus noster, qui est ante secula, quia per ipsum facta sunt secula: operatus est salutem in medio terræ, quum uerbum caro factum est, & terreno habitauit in corpore. Deinde posteaquàm prophetatū est in his uerbis Annæ, quomodo gloriari debeat, qui gloriatur, non in se utiq;, sed in domino, propter retributionē, quæ in die iudicij futura est, Dominus ascendit, inquit, in cœlos, & intonuit: ipse iudicabit extrema terræ, quia iustus est.) Prorsus ordinem tenuit cōfessionis fidelium. Ascendit enim in cœlum dominus Christus, & inde uenturus est ad uiuos & mortuos iudicandos. Nam quis ascēdit, sicut dicit Apostolus, nisi qui descendit in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Per nubes ergo suas tonuit, quia spiritu sancto quum ascendisset, impleuit. De quibus hoc illi Hierusalem, hoc est, ingratæ uineæ comminatus est apud Esaiam prophetam, ne pluant super eam imbrem. Sic autem dictum est, Ipse iudicabit extrema terræ: ac si diceretur, etiā extrema hominis. Nō enim alias partes non iudicabit, qui omnes homines proculdubio iudicabit. Sed melius intelliguntur extrema terræ, extrema hominis: quoniam non iudicabuntur, quæ in melius uel in deterius, medio terræ commutantur, sed in quibus extremis inuentus fuerit qui iudicabitur. Propter quod dictū est, Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Qui ergo perseuerāter facit iudicium & iustitiam in medio terræ, non damnabitur, quum iudicabuntur extrema terræ. Et dat, inquit, uirtutem regibus nostris, ut non eos iudicando condemnet. Dat eis uirtutem qua carnem sicut reges regant, & in illo mūdum qui propter eos fudit sanguinem, uincāt. Et exaltauit cornu Christi sui. Quomodo Christus exaltauit cornu Christi sui? De quo enim supra dictum est, Dominus ascendit in cœlos, & intellectus est dominus Christus, ipse sicut hic dicitur, Exaltabit cornu Christi sui. Quis ergo est Christus Christi? An cornu exaltabit uniuscuiusq; fidelis sui, sicut ista ipsa in principio huius hymni ait, Exaltatū est cornu meum in deo meo? Omnes quippe unctos eius chrismate, recte Christos possumus dicere. Quod tamen totū cum suo capite corpus, unus est Christus. Hæc Anna prophetauit, Samuelis mater, sancti uiri, multūq; laudati. In quo quidē tunc figurata est mutatio ueteris sacerdotij: & nunc impleta, quando infirmata est quæ multa erat in filijs, ut nouum haberet sacerdotiū in Christo, sterilis quippe peperit septem. Hoc canticum iuxta Septuaginta interpretum translationem inserere compulsi sumus, ut à beato Augustino positū est: pro eo quod in ipsa translatione ampliorem & ueriorem continet historiam. Interea Samuel erat ministrās in templo dei, accinctus ephot. Porrò filij Heli diuina sacrificia temerantes peccabant coram domino, & deridebant per eos multi sacrificia

crificia

crificia domini. Vnde Heli sacerdos pro eorum iniquitate dānatus est, quod eos peccantes minus seuera animaduersione plectebat. Equidē coercuit, equidem corripuit, sed lenitate & māsuetudine patris, non seueritate & autoritate pontificis. Qua sentētia discant sacerdotes quomodo filiorum etiam propter scelera puniantur quicꝙ, & quamuis sancti sint, culpa tamen subditorum eisdem, si nō coerceant, imputatur. Post hæc euidentius ad ipsum Heli sacerdotem missus loquitur homo dei, cuius quidē nomen tacetur, sed intelligitur officio ministerioꝙ suo sine dubitatione esse propheta. Sic enim scriptum est,

Venit aūt uir dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit dominus, Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cū esset in Ægypto in domo Pharaonis, & elegi eum ex omnib. filijs Israel mihi in sacerdotē, ut ascenderet ad altare meum & adoleret mihi incensum & portaret ephot coram me, & dedi domui patris tui omnia de sacrificijs filiorum Israel: Quare calce abiecistis uictimam meā, & munera quæ præcepi ut offerrentur in templo. Et magis honorasti filios tuos, ꝙ me, ut comederetis primitias omnis sacrificij Israel populi mei. Propterea ait dominus deus Israel, Loquēs locutus sum, ut domus tua & domus patris tui ministraret in conspectu meo usꝙ in sempiternū. Nunc aūt dicit dominus, Absit hoc à me: sed quicūꝙ glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contēnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies ueniunt & præcidam brachium tuum & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua, & uidebis Christum æmulū tuum in templo in uniuersis prosperis Israel, & non erit senex in domo tua omnibus diebus. Verūtamen non auferam penitus uirum ex te ab altari meo, sed ut deficiāt oculi tui & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, quum ad uirilem ætatem uenerit. Hoc autē erit tibi signum quod uēturum est duob. filijs tuis Ophni & Phinees. In die uno moriētur ambo, & suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciat.) Non est ut dicatur ista prophetia, ubi sacerdotij ueteris tanta manifestatione prænūtiata mutatio est, in Samuele fuisse completa. Quanquam enim esset de tali tribu Samuel quæ cōstituta fuerat à domino, ut seruiret altari, tamen non erat de filijs Aaron, cuius progenies fuerat deputata unde fierēt sacerdotes: ac per hoc in ea quoꝙ re gesta eadē mutatio quæ per Christum Iesum futura erat, adumbrata est, & ad uetus testamentū proprie pertinebat, figurate uero ad nouū, prophetia facti etiam ipsa non uerbi, id scilicet facto significans quod uerbo ad Heli sacerdotē dictum est per prophetam. Nam fuerunt postea sacerdotes regnante Dauid ex genere Aaron, sicut Sadoch & Abiathar, & alij deinceps anteꝙ tēpus ueniret, quo ista quæ de sacerdotio mutando tanto ante prædicta sunt, effici per Christum oportebat. Quis autē nunc fideli oculo hæc intuens non uideat esse completa, quandoquidem nullum tabernaculū, nullum templū, nullum altare, nullum sacrificium, & ideo nec ullus sacerdos remansit Iudæis, quibus ut de semine Aaron ordinaretur, in dei fuerat lege mandatum: quod & hic commemoratū est, illo

De prophetia ad Heli, & filijs eius III

dicente propheta, Hæc dicit dominus deus Israel, Loquẽs locutus sum, ut domus tua & domus patris tui ministret in cõspectu meo usq; in æternũ. Nunc autem dicit dominus, Absit hoc a me: sed quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quod enim nominat domum patris eius, non eum de proximo patre dicere, sed de illo Aaron, qui primus sacerdos est institutus, de cuius progenie cæteri sequerẽtur, superiora demonstrant, ubi ait, Reuelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis, & elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem. Quis patrum fuit huius in illa Ægyptia seruitute? Vnde cum liberati essent, quis electus est ad sacerdotium, nisi Aaron? De huius ergo stirpe isto loco dixit futurũ fuisse, ut non essent ulterius sacerdotes, quod iam uidemus impletum. Vigilet fides, præsto sunt res, cernuntur, tenentur, & uidere nolẽtium oculis ingeruntur. Ecce, inquit, dies ueniunt, & præcidam brachiũ tuum & brachium domus tuæ, ut non sit senex in domo tua, & uidebis Christum æmulum tuum in templo, in uniuersis prosperis Israel. Ecce dies, qui prænuntiati sunt, iam uenerunt: nullus sacerdos secundum ordinem Aaron: & quicũq; ex eius genere est homo, cum uidet sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum esse subtractum, deficiũt oculi eius, & defluit anima eius tabe mœroris. Proprie autem ad huius domum Heli, cui hæc dicebantur, quod sequitur pertinet: & pars magna domus tuæ morietur, cum ad uirilem ætatem uenerit. Hoc autem erit tibi signum, quod uenturum est duobus filijs tuis, Ophni, & Phinees, in die ũna morientur ambo. Hoc ergo signum factũ est mutandi sacerdotij domui huius, quo signo significatum est mutãdum sacerdotium domus Aaron: mors quippe filiorum huius significauit mortem non hominum, sed ipsius sacerdotij de filijs Aaron. Quod autem sequitur, ad illum iam pertinet sacerdotẽ, cuius figuram gessit huic succedendo Samuel. Proinde quæ sequuntur, de Christo Iesu noui testamenti uero sacerdote dicuntur, Suscitabo mihi sacerdotẽ fidelem, qui iuxta cor meũm & animã meam faciat.) Sub figura Samuelis, de domino saluatore, summo uidelicet ac uero pontifice debet intelligi, qui nimirũ sicut Samuel defuncto Heli successit in sacerdotium, non de stirpe Aaron, sed de alia Leui familia electus. Fuit enim, ut iam supra meminimus, filius Helchana, filij Hieroboam, filij Thau, filij Suph, filij Helchana, filij Iohel, filij Azariæ, filij Sophoniæ, filij Thaat, filij Asir, filij Abiasaph, filij Chore, filij Isaar, filij Chaath, filij Leui, filij Israel, ut uerba dierum narrant. Ita mediator dei & hominum, ut esset nobis pontifex, non de Leui, sed de alia utiq; tribu, idest à Iuda carnis originem sumpsit: aliam q̃ legalem hostiam, idest ipsam suam carnẽ obtulit patri pro nobis: alios quàm de genere Aaron pontificatus sui reliquit hæredes, filios uidelicet gratiæ noui testamenti de uniuersa gentium natione collectos. Quod uero quasi humano more eloquens deus dicit, Qui iuxta cor meum & animã meam faciat: de Samuele quidem recte potest intelligi, quod in omnibus

De sacerdote fideli IIII

bus

bus eius uoluntati,ſicut homo deo paruerit, De domino ac ſaluatore,quod ſi cut filius unigenitus paternorum ſit in omnibus conſcius arcanorum, iuxta quod de ſeipſe manifeſte teſtatur,dicens,Et à meipſo facio nihil, ſed ſicut do/ cuit me pater, hæc loquor, & qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſo/ lum,quia quæ placita ſunt ei,facio ſemper. In hoc uero quod ait deus,qui om nia quæ in corde meo, & quæ in anima mea ſunt,faciat, non arbitramur ani/ mam habere deum, cum ſit conditor animæ: ſed ita hoc de deo tropice, non proprie dicitur,ſicut manus,pes,& alia corporis membra. Et ne ſecūdum hoc credatur homo in carnis huius effigie factus ad imaginem dei, adduntur & alæ,quas utiq; non habet homo: & dicitur deo, Sub umbra alarum tuarum protege me,ut intelligant homines, de illa ineffabili natura non proprijs ſed translatis rerum uocabulis iſta dici. Et ædificabo ei domum fidelem,& am/ bulabit coram Chriſto meo cunctis diebus.) Ipſa eſt domus,quam ædificat pater de qua apoſtolus ait, Quæ domus ſumus nos ſi fiduciā & gloriam ſpei uſq; in finem firmam retineamus: & hæc domus ambulabit coram Chriſto eius, ipſo uidelicet ſummo pontifice. Ambulabit dixit conuerſabitur,ſicut ſu/ perius dixerat de domo Aaron. Loquens locutus ſum, ut domus tua, & do/ mus patris tui,miniſtraret in conſpectu meo,uſq; in ſempiternum. Quod au tem ait, Coram Chriſto meo ambulabit: de ipſa domo utiq; intelligendum eſt,nō de illo ſacerdote qui eſt Chriſtus ipſe mediator atq; ſaluator. Domus ergo eius coram illo ambulabit. Poteſt,& ambulabit,intelligi de morte ad ui tam,omnibus diebus quibus peragitur uſq; in finem ſeculi huius iſta mortali tas. Alioquin quomodo de Samuele poteſt accipi, quod ædificata ſit ei do/ mus fidelis, quæ coram Chriſto domini, ideſt ipſo Samuele cunctis diebus incederet,cum legamus in ſequentibus,quod filij illius auerſi de uijs eius poſt auariciam declinauerint & peruerterint iudicium: niſi forte domum eius hoc loco plebem Iſraeliticam intelligamus,quæ cunctis diebus ſacerdotij eius do mino ſeruierit,de qua ſcriptum eſt,Et requieuit omnis domus Iſrael poſt do/ minum:& paulopoſt,Abſtulerūt filij Iſrael Baalim & Aſtaroth,& ſeruierunt domino ſoli.Quod uero adiungitur,Futurum eſt autem,ut quicunq; reman/ ſerit in domo tua, ueniat, ut oretur pro eo: non proprie de domo dicitur hu/ ius Heli,ſed illius Aaron,de quo uſq; ad aduentum Ieſu Chriſti homines re/ manſerunt,de quo genere etiam nunc uſq; nō deſunt. Nam de illa domo hu/ ius Heli,iam ſupra dictum erat,Et omnis qui ſupererit domus tuæ,decidet in gladio uirorum.Quomodo ergo hic uere dici potuit, & erit qui remanſerit in domo tua, ueniat ut oretur pro eo? ſi illud eſt uerū,quod ultore gladio nemo inde ſupererit:niſi quia illos intelligi uoluit,qui pertinent ad ſtirpem,ſcilicet il/ lius totius ſacerdotij ſecundum ordinem Aaron. Ergo ſi de illis eſt prædeſti/ natis reliquijs, de quibus alius propheta dixit, Reliquiæ ſaluæ fient: unde & Apoſtolus,Sic ergo,inquit,& in hoc tempore,reliquię per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt:quia de talibus reliquijs bene intelligit᷑ eſſe, de quo dictum

 eſt, qui

est,qui remanserint in domo tua: profecto credit in Christum, sicut tempori-bus apostolorum ex ipsa gente plurimi crediderunt, neque nunc desunt, qui licet rarissimi, tamen credant, & impletur in eo quod hic iste homo dei continuo secutus adiunxit. Et offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque, Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.) Quid per nummum argenteum, nisi oris confessio designatur, quæ fit credentibus ad salutem? Argentum enim pro eloquio poni solet, psalmista testante ubi canitur, eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum. Sed quod dicit iste qui uenit, Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis: sacerdotalem partem corpus Christi, id est, ecclesiam dicit, cuius plebis ille sacerdos est mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, cui plebi dicit apostolus Petrus, Plebs sancta, regale sacerdotium. In hanc partem sacerdotalem, postulat comedere buccellã panis. Quibus uerbis ipsum sacrificiũ Christianorum eleganter expressum est, de quo dicit sacerdos ipse: panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mundi uita: ipsum quippe est sacrificium, non secundum ordinem Aaron, sed secundũ ordinem Melchisedech. Factum est autem in die quodam Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerunt, nec poterat uidere lucernam dei antequàm extingueretur.) In tabernaculo fœderis erat candelabrum, ubi à uespere usque mane summo pontifice lucernas uespere concinnante iugiter extra uelum præparatæ lucebant, ut dominus iusserat: isto pontifice intrante in tabernaculo iam grandæua senectute confecto oculi eius intantum caligauerant, ut nec incensam lucernam potuisset aspicere, quanto magis extinctam? Figuraliter uero lucerna dei Heli fuerat, quando dignitate sacerdotali pollens iustitia claritatis fulgebat, quam extinctam propheta asserit, dum ob scelera filiorum sacerdotij potestatem, meritorumque lumen amisit. Creuit autem Samuel & dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus uerbis eius in terra. Significat, quia nihil ex ijs, quæ loquutus est irritum fuit, sed omnia sunt rebus completa quæ dixit. Cadunt namque in terra uerba superuacua, quæ pro nihilo habenda, & uniuersorum sunt calcanda despectu, sicut & beatus Iob dixit, Et lux uultus mei non cadebat in terra: qui nimirum in tanta grauitate uultum tenere consueuerat, ut nunquam contemptibili lætitia resolueretur, sed quotienscunque hilariorẽ se præsentibus exhiberet, certa semper hoc causa utilitatis eorũ faceret. Igitur postea quàm hæc in figura mutationis ueteris testamenti à propheta illo prænuntiata sunt ad Heli, offendente dominum Israel, instruxerunt aciem Philistei contra eos: tollunt autem Israelitæ arcam ad stationẽ suam, capta est ab hostibus arca, ipsique non solum uicti sunt, & in fugam uersi, immo etiã magna strages facta est occisorum. Nõnulla tamẽ futurorũ, significat res gesta hæc. In prophetia enim arca illa ab alienigenis capta, indicabat testamẽtũ dei trãsiturũ ad gẽtes. Quãdo enim nuntiatũ est Heli sacerdoti captã fuisse arcã dñi, cecidit de sella, & mor-

De caligine oculorũ Heli V

De captiuitate arcæ VI

& mortuus est.) Transeunte arca domini ad gentes, perijt atq; interijt sacer-dotium Iudæorum. Duo quoq; filij Heli corruerunt, unius uxor uiduata, & mox in partu mortua est, propter eandem perturbationẽ.) Quod euiden-ti signo præfiguratum est, post extinctum sacerdotium Iudæorum, carnalem interijsse synagogam, illi carnaliter adhærentem: prostratoq; Heli de sella, pontifices Iudæorum sedem habuere uacuam, & gloriam sacerdotij, regniq; extinctam. Sed quid est, quod dum posuissent Philistijm arcam domini in templo Dagonis dei sui, intrauerũt templum, & inuenerunt deum suum pro-stratum atq; confractum, caput eius duæq; manus abscissæ? Statim enim ut testamentum domini peruenit in gentibus, confestim idola quæ deceptũ pos-sidebant orbem destructa sunt, omnisq; error simulachrorum corruit, præsen-tiam dei ferre non sustinens. Nam in manibus præcisis Dagon, potest idolo-latriæ finis agnosci: limen enim finem itineris significat. etiam & illud ad ma-gnam pertinet significationẽ in ipsa ruina Dagon dei sui atq; fractura, quod dorsum illius solum inuenerũt, fractis omnibus eius membris. Dorsum quip-pe fugam significat. Quicunq; enim fugiunt, persequentibus dorsum dant. Vnde scriptum est de hostibus, Quoniam pones eos dorsum. Vbi enim ido-la perierunt, & si aliqua remanentia ab aliquibus absconduntur, fugerunt. Quod autem percussi sunt in posteriora, ij qui arcam dei captiuauerunt, hac pœna significatum uidetur: quia si qui susceperint testamentum dei, & poste-riora uitæ dilexerint, ex ipsis iustissime cruciabuntur, quæ sicut Apostolus, exi-stimare debent sicut stercora. Qui enim sic assumunt testamentum diuinum, ut in posteriora respicientes ueteri se uanitate non exuant, similes sunt hosti-bus illis, qui arcam testamenti captiuam, iuxta idola sua posuerunt. & illa qui-dem ueraciter etiam nolentibus cadunt, quia omnis caro fœnum, & claritas omnis, ut flos fœni: aruit fœnum, & flos decidit: arca autem domini manet in æternum: secretum scilicet testamentum regni cœlorum, ubi manet dei uer-bum. Cum uero de terra Philistijm arca domini ad terram Israelitarum re-diret, plaustro superposita est, & uaccæ plaustro subiunctæ sunt, quæ fœtæ fu-isse memorantur, quarum filios clauserant domi, ut scriptum est, Ibant autem in directum uaccæ per uiam quæ ducit Bethsamis, uno itinere gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant neq; ad dexteram neq; ad sini-stram.) Quid igitur uaccæ, nisi fideles quosq; in ecclesia signant, qui dum sa-cri eloquij præcepta considerant, quasi superimpositam domini arcam por-tant. De quibus hoc est etiam notãdum, quod fuisse fœtæ memorantur, quia sunt pleriq; qui in uia dei intrinsecus positi, foris carnalibus affectibus ligan-tur: sed non declinat à recto itinere, qui arcam dei portat in mente. Ecce enim uaccæ, Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe dicitur domus solis: & prophe-ta ait, Vobis autem qui timetis dominũ orietur sol iustitiæ. Si igitur ad æter-ni solis habitationem tẽdimus, dignum profecto est, ut de dei itinere pro car-

De reuersio-ne arcæ VII

nalibus affectibus non declinemus. Tota enim uirtute pensandum est, quod uaccæ dei plaustro suppositæ pergunt & gemunt. Dant ab intimis mugitus, & tamen de itinere nō detorquent gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt. Sic nimirum prædicatores, sic fideles quiq; intra sanctam ecclesiam debent, ut & compatiātur proximis per charitatem, & tamen de uia dei non exorbitent per compassionem. Arca quippe superposita Bethsamis est pergere, cum superna sciētia ad internæ lucis habitaculum appropinquare. Sed tunc uere Bethsamis tendimus, cum uiam rectitudinis gradientes, ad uicina erroris latera ne pro affectu pignorum declinamus. Sic namq; sic necesse est ut incedere debeant, qui sacrilegijs suppositi, iam per internam scientiam domini arcam portant, quatenus per hoc quod propinquorū necessitatibus condolent, accepto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, ne hæc eadem mens aut si affectu non tangitur dura sit: aut plus tacta, si inflectitur, remissa.

De percussione Bethsamitarum VIII

Percussit autem de uiris Bethsamitis, eo quod uidissent arcam domini, percussit de populo septuaginta uiros, & quinquaginta milia plebis.) Populus & plebs pro una eademq; re indifferenter accipit. Nam & ex uno Græco quod est laos, solet utrumque transferri. Sed in hoc uidetur esse distantia, quod in priore commate uersiculi additum est uiros. Viros enim maiores natu significat, ut sit sensus: Quia de optimatibus populi septuaginta sunt percussi: de ipsa autem turba uulgari hominū quinquaginta milia. Quod ne pateretur in Exodo populus à longe stabat & orabat, solusq; Moyses ascendit ad dominum. Isti ob hoc à deo percussi sunt, quia non solum appropinquauerunt, sed etiam, ut alia translatio habet, despexerunt, quod rationi plus congruum est. Nam in Exodo, uiderunt, & audierunt, perspicua diuinæ potētiæ inspexerunt, nec perierunt: & ideo isti, non de uisione, sed de despectione & temeritate mulctati sunt.

De eo qđ scriptum est, Ex qua die, &c. IX

Et factum est, ex qua die mansit arca domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies. Erat quippe iam annus uicesimus, & requieuit omnis domus Israel post dominum.) Non ita intelligendum est, quasi uiginti anni, quibus arca maneret in Cariathiarim, ad octauum usq; annum regni Dauid, quo eam congregata frequentia populi in Hierusalē adduxit, sint computandi. Inuenitur namq; in sequentibus, quod temporibus Saulis fuerit elata de hac ciuitate, & allata in castra, pugnante eo aduersus Philisteos. Sic etenim scriptū est, Et ait Saul ad Ahaim, Applica arcam dei. Erat enim arca dei in die illa cum filijs Israel. Et quia constat quod Dauid eam in Hierusalem adduxerit de domo Aminadab, in quam nunc illata esse perhibetur, restat intelligi quod in diebus Saulis relata de castris, & in præfatam sit illata ciuitatem, unde denuo regnante Dauid affertur in Hierusalem. Est ergo sensus temeratæ sententiæ, quia ex quo mansit arca in Cariathiarim, erat annus uicesimus, cum eam inde transferri temporibus Saul causa belli contingeret:

uel

uel certe uicesimus annus, cum adhuc omnis domus Israel post dominum requieuit, abiectis uidelicet idolis illi soli seruiēs: quod eam fecisse toto tempore præsulatus Samuelis, qui Iosepho teste duodecim annis completus est, & primo tempore regni Saul, quod eodē historico affirmāte uiginti annis tenuit, nullus sanctæ historiæ curiosus ignorat. Namq; postmodum cum recessisset à Saule spiritus domini, & agitaret eum spiritus nequam, maxime ad persequendum Dauid innoxium & iustum, necesse erat partem militiæ uel plebis eius nonnullam, malitiæ illius extitisse complicem. Cariathiarim ipsa est quæ alio nomine Cariath Baal uocatur, ciuitas saltuum, una de urbibus Gabaonitarum, pertinens ad tribum Iuda euntibus ab Hierusalem Diospolim miliario nono. De hac fuit Vrias propheta, quē interfecit Ioachim in Hierusalem, sicut scribitur. Samuel autem post mortem Heli regebat Israel. Cōgregato autem omni populo exclamauit ad dominū pro Israel, & exaudiuit eum. Et cum offerret holocaustum accedentibus alienigenis ad pugnam cōtra populum dei, intonuit dominus super eos & confusi sunt, & offenderunt coram Israel, atq; superati sunt. Tunc assumpsit Samuel lapidem unum & posuit eum inter Masphat & Sicelech: & ut interpretes Septuaginta transtulerunt, inter Masphat nouam & ueterem uocauit nomen eius, lapis adiutorij, & dixit, Vsq; adhuc auxiliatus est nobis deus.) Masphat interpretatur Intentio. Lapis ille adiutorij, medietas est saluatoris, per quem transeundum est à Masphat uetere ad nouam: idest ab intentione quæ expectabatur in carnale regnum, quod erat beatitudo falsa: ad intentionem quæ per nouum testamentum expectaretur in regnum cœlorū, ubi est beatitudo uerissima spiritalis: qua quoniam nihil est melius, huc usq; auxiliatur deus. Iste Samuel inuocato nomine domini exaudiuit eum deus, & in tempore messis pluuiam impetrauit. Pluuia enim in sanctis scripturis, uerba sunt euangelij siue legis, sicut & Moyses dicit, Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descendant sicut ros uerba mea. Hanc igitur pluuiam dedit mundo Christus in tempore messis, idest quando gentes colligi oportebat, ut sicut frumentum in horreis, sic intra ecclesiæ sinum congregentur. Iudicauit autem Samuel Israel omnibus diebus uitæ suæ, fueruntq; usq; ad eum iudices & principes super Israel. Porrò filij Samuel declinauerunt post auariciam & accipiebant munera, & tam iniqui iudices extiterunt, ut populus nequaquam ferens, regem sibi in similitudinem gentium cæterarum postularet: quibus dedit dominus Saul regem, cum quæreret asinas patris sui, & ueniret ad Samuelem in Ramatha: inter cætera quæ loquuti sunt simul prædicens ei signa Samuel, quæ uentura erant ei eo die, cum recederet ab eo. Cumq; ab eo recessisset, uenit ad collem domini, ubi erat statio Philistinorum, iam primum peractum sicut loquutus fuerat homo dei. Et ecce cuneus prophetarum obuius ei, & insiluit super eum spiritus dei, & prophetauit in medio eorum. Videntes autem omnes qui no-

De precib. Samuelis pro populo X

De filijs Samuelis XI

qui nouerant eum heri & nudiustertius, quod esset cum prophetis, dixerunt ad inuicem, Quæ nam res accidit filio Cis? Num & Saul inter prophetas?) Hoc quidem non puto habere aliquid quæstionis, spiritus enim ubi uult spirat, & spiritum prophetiæ nullarum animarum potest maculare contactus. attingit enim ubiq; propter suam mundiciã: afficit enim omnes non eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorundem hominum, ubi rerum demonstrantur imagines, alios per fructum mentis ad intelligentiam, alios utraq; inspiratione: alios etiam nesciẽtes per informationem spiritus duobus modis: aut per somnia, sicut non solum pleriq; sancti, sed & Pharao & Nabuchodonosor rex uidit, quod nemo eorum intelligere ualebat, sed tamen uidere uterq; poterant: aut demonstratione in ecstasi, quod Latini nonnulli pauorem interpretantur, mirum si proprie, sed uicine: & tamen cum sit mentis alienatio à sensibus corporis, ut spiritus hominis diuino spiritu absumptus capiendis atq; intuendis imaginibus uacet, sicut Danieli demõstratum est, quod non intelligebat: & Petro illud uas submissũ est de cœlo quatuor lineis. Nam & ipse quid illa demonstratio figuraret, postea cognouit. Per fructum autem mentis ad intelligentiã, uno modo cum hæc ipsa quæ demonstrantur in imaginibus, quid significent, & quò pertineant, reuelantur, quæ certior prophetia est. Nam magis ipsam uocat Apostolus prophetiam, sicut Ioseph meruit intelligere, quod Pharao non nisi uidere: & Daniel exponit regi, quod ille cernit, & nescit. Cum uero mens ita afficitur, ut non rerum imagines coniecturali examinatione intelligat, sed res ipsas intueatur, sicut intelligitur sapientia & iustitia, omnisq; incommutabilis & diuina species, ad prophetiam non pertinet, de qua nunc agimus. Vtroq; autem munere prophetiæ donantur, qui & rerum imagines in spiritu uident, & quid ualeant, simul intelligunt: aut certe manifestis locutionibus in ipsa demonstratione informantur, sicut in Apocalypsi quædam exponuntur. Nescientes autem afficit prophetiæ spiritus, sicut Caiphas cum esset pontifex prophetauit de domino, quod expediret unum mori pro tota gente, cum aliud in uerbis quæ dicebat, attenderet, quæ non à seipso dicere nesciebat. Abundant in sanctis libris exempla. Hoc autem uerbo quod positum est, Insiluit in eum spiritus, tanquam ex abdito diuinitatis secreto, repẽtinus significatur afflatus. Horum igitur modorum quonam potius affectum esse intelligamus Saul, satis apparet ex eo quod ibi scriptũ est, Conuertit deus in Saul cor aliud. Sic enim aliam cordis affectionem significat, quam conuertendo fecit deus, ut imaginum significantium & præfigurantium capax fieret ad propheticam diuinationem. Tantum autem distat inter prophetiam prophetarum, sicut Esaias, sicut Hieremias, & cæteri huiusmodi fuerunt, atq; istam transitoriam quæ in Saul apparuit: quantum distat inter loquelam humanam, cum loquuntur homines, & cum eadem loquela propter necessarium prodigiũ asina loquuta est, in qua sedebat Balaam propheta

pheta. Accepit enim hoc ad tempus illud iumentum, ut deus quod statuerat demonstraret, non ut habitu perpetuo bestia loqueretur. Aut si hoc exẽplum maiore differentia remotum est, multo minus mirandum est homini reprobo datam fuisse ad momentum temporis affectu transitorio prophetiam, quando ille dederat, qui & asinam cum uoluit loqui fecit. Magis enim distat pecus ab homine, quàm homo reprobus ab electis etiam hominibus. Non enim si quisquam dixerit aliquid, quod ad sapientiam pertinet, continuo sapiens existimandus est: sic nec quisquam, si aliquando prophetauit, iam inter prophetas numerabitur, cum & dominus in euangelio dicat, quosdam cum gaudio uerbum excipere, & radicis altitudinem non habere, sed esse temporales. Ideoq; sicut consequens indicat lectio, factum est in parabola, Et Saul inter prophetas. Hoc igitur mirari desinamus, cum in hominibus apparet diuinitus aliquid, quorum uel meritum uel habitum excedit, cum forte uult deus cuiusdam significationis gratia, tale aliquid demõstrari. Si autem hoc mouet, quod postea Saul malo spiritu inuadente præfocabatur, qui prophetiæ prius spiritum acceperat: neq; hoc mirandũ est. Illud enim factum est ex dispensatione aliquid significandi, hoc ex merito uindicandi. Nec mouere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc est in creatura mutabili: præsertim eodem tempore quo caro corruptibilis mortalisq; portatur. Aut non uidemus in ipso Petro quantum indicat euangelium extitisse tantam confessionem, ut audire meruerit, Beatus es Simon Bariona, quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus qui in cœlis est: & paulopost tam carnaliter eum de domini passione sensisse, ut statim audiret, Vade post me Satanas, scandalum mihi es. Non enim sapis quæ dei sunt, sed quæ hominum. Et fortasse aliquanto interius intelligentibus tantum ualet ad illa uisa mentis hæc differentia, qua Petrus intellexit, deo patre reuelante, quod filius dei esset Christus, & postea ne moreretur extimuit: quantum ualet ad distinguenda uisa, quæ in spiritu hominis alienata mente imaginarie fiunt, reuelatio prophetiæ, qua primo afflatus est Saul, & commixtio spiritus mali, quo postea premebatur. Vngitur post hæc iubẽte domino, rex prior à propheta in regnum. Qui & ipse quidem, in id quod unctus est, imaginem Christi portauit. Vnde & beatus Dauid, & ipse Christus nuncupatus, ait ad eum qui se finxerat Saulum occidisse, Quomodo non timuisti inijcere manum tuam in Christum domini? Hinc est quod ab humero sursum Saul supereminebat omnibus: quia caput nostrum sursum est supra nos quod est Christus. In id autem quod reprobatus postea & reiectus est succedente in regnum Dauid, populi, ut prædictum est, Israel personam gestauit: qui populus regnum adeptum fuerat amissurus, Christo domino nostro per nouum testamentum, nõ carnaliter, sed spiritaliter regnaturo. Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel.) Vno anno postquàm

De unctione Saul XII

quàm rex electus est à Samuele, in domestica domo sedēs dissimulauit se esse regem, reliquis duobus annis publice iudicauit omnem Israel, tenens obedientiam cum humilitate: & hoc fuit illud tempus antequàm mandatum domini transgrederetur in Amalech: reliquo uero tempore quo uixit & imperauit, transgressor mandati domini extitit. Post hæc expectans Saul Samuelem in Galgalis, uidens quod tardaret, obtulit holocaustum. Veniensq; Samuel, inter cætera ait ad Saul, Stulte egisti, nec custodisti mandatum domini quod præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc parasset dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsiuit sibi dominus uirū iuxta cor suum, & præcepit ei, ut esset dux super populum suum, eo quod non seruaueris quæ præceperit dominus.) Non sic accipiendum est, ac si ipsum Saulem in æternum deus præparauerit regnaturum, & hoc postea noluerit seruare peccanti, neq; enim eum nesciebat, sed præparauerit regnum eius, in quo figura esset regni æterni. Ideo addidit, Et nunc regnum tuum non stabit tibi.) Stetit ergo, & stabit quod in illo significatum est, sed non huic: quia non in æternum ipse fuerat regnaturus, nec progenies eius, ut saltem per posteros alter alteri succedentes, uideretur impleri quod dictum est, In æternum. Et quæret, inquit, dominus, sibi hominem.) Siue Dauid, siue ipsum mediatorem significans noui testamenti, qui præfigurabatur in chrismate, etiam quo unctus est ipse Dauid & progenies eius. Non autem quasi nesciat ista, sibi hominem deus quærit, sed hominibus more hominum loquitur, quia sic loquendo nos quærit. Non solum enim deo patri, uerum ipsi quoque unigenito eius, qui uenit quærere quod perierat, usq; adeo iam eramus noti, ut in ipso essemus electi ante constitutionem mundi. Quæret sibi, ergo dixit, suum habebit. Vnde in Latina lingua hoc uerbum accipit præpositionem, & Acquirit dicitur, quod satis apertum est, quid significet: quanquam & sine additamento præpositionis, quærere intelligatur acquirere: ex quo lucra uocantur & quæstus. Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni Israel. Cauerant enim Philistijm, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam.) Sicut enim tunc Philistijm cauerant ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam, & ne haberent fabros ferrarios, qui arma ad repugnandum facerent: ita Chaldæi destructa Hierusalem, & uastata omni terra repromissionis, satagebant ut nullus in ea remaneret artifex, nullus clusor, qui uel fœdata urbis mœnia componere, uel posset resarcire dirupta: quin potius quicquid apud gentem exterminatam artis inuenerant, totum in Babyloniam transferunt, ut uel ad nihilum ultra ualeat, uel illius ciuitatis utilitatibus proficiat. Arma quibus contra diabolum repugnantes, libertatem à domino nobis donatam defendamus, quid sunt alia, nisi eloquia scripturarum, in quibus & ipsius domini, & sanctorum eius exemplis, quo ordine bella uitiorum superari debeant, luce clarius discimus? Sed Philistæi filios Israel fabris armorum priuant, cum maligni

spiritus

ſpiritus animos fidelium à meditatione ſacræ lectionis, ſecularia illis negotia inſerendo retardant: ne uel ipſi per huius exercitium reſiſtendi fiduciam ſumant: uel alios fortè qui legere neſciunt, ad reſiſtẽdum uitijs exhortando aut corripiendo accendant. Tollunt fabros armorum, cum eos qui ſacra eloquia norunt, in tantis ſcelerib. obruunt, ut dicere bona quæ didicerant, prorſus erubeſcant. Saul autem poſt hæc dum pergeret dimicaturus aduerſus Philiſtijm, indixit cuncto exercitui ieiunium, quouſq; reuerterentur à prælio: ſed Ionathan filius eius uidens ſupra faciem agri mel, extendit ſummitatem uirgæ, & intinxit in fauum mellis, & guſtauit, & illuminati ſunt oculi eius.) Non utiq; ad uidendum illuminati, quia antea uidebat: ſed ad diſcernẽdum, quia uetita tetigerat. Tunc enim caſus ille, ſicut & Adam, fecit illum attentum, redditq; confuſum: quo facto admoneremur omnes illecebras uoluptatum in ſeculo debere contẽnere, qui deo nitimur militare. Non enim poteſt contra Allophylos ſpiritales, ideſt aduerſus principes tenebrarũ uiribus animi concurrere, qui adhuc huius mundi negligit dulcedinem declinare. Mel enim diſtillant labia meretricis, quod eſt delectatio uoluptatis carnalis. De quo putatur iuxta myſticos intellectus hunc guſtaſſe Ionatham, & fortè deprehẽſum uix precibus populi liberatum. Inijt iterum Saul prælium aduerſus Amalech, interfectis cunctis hoſtibus ab Euila uſq; Sur.) Eſt una Euilath regio, quam circuit fluuius Phiſon, exiens de paradiſo, quæ hodie India uocatur: dicta autem Euilath à quodam nepote Noe. Eſt & alia Euilath, ſolitudo cõtra faciem Ægypti. Hæc enim Euila, illa Euilath debet nuncupari. Sur quoq; eſt ſolitudo inter Cades & Barath, extẽdens deſertum uſq; ad mare rubrum, & Ægypti confinia. Percuſſum hunc terminum pepercit Agag regi, nec uoluit diſperdere omnia iuxta præceptum domini, iraſciturq; ei dominus. Factum eſt autem uerbum domini ad Samuel, dicens, Pœnitet me quod conſtituerim Saul regem, quia dereliquit me, & uerba mea opere nõ impleuit.) Neq; enim ſicut hominem, ita deum, cuiuſq; facti ſui pœnitet, cuius eſt de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia. Nos uero cum de deo hoc in diuinis ſcripturis audimus, indignũ arbitramur hoc de illo ſentire: ſed neceſſe eſt, ut aliquid dicatur, per quod hoc aliquo modo demõſtretur. Cum uerba omnia quibus humana colloquia conſeruntur, illius ſempiterna uirtus & diuinitas mirabiliter atq; incũctanter excedat, quicquid de illo humaniter dicitur, quod etiã hominibus aſpernabile uideatur, ipſa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in ſcripturis ſanctis de deo dicta exiſtimat, humanæ capacitati aptiora eſſe, q̃ diuinæ ſublimitati: ac per hoc etiam ipſa eſſe tranſcendenda, eſt ſanior intellectus, ſicut iſta qualicũq; modo tranſcenſa ſunt. Quis eſt enim hominũ, cui non occurrat in deo cuncta præſciente pœnitentiam eſſe non poſſe: & certe tamẽ hæc duo uerba ſunt, pœnitentia, & præſcientia, quorũ quia unũ congruere credimus deo, ideſt præſcientiã, negamus in eo eſſe pœnitentiã. Cũ uero alius liquidiore conſideratione iſta pertra-

De ieiunio indicto à Saul XIII

De prælio Saul cõtra Amalech XIIII

ctans

ctans quæsierit quemadmodũ uel ipsa præscientia deo congruat,& inuenerit huius etiam uerbi notionem illius ineffabili diuinitate longe alteq; superari, non miratur utrũq; de illo propter homines dici potuisse, de quo utrunq; propter ipsum incongrue diceretur. Quid est enim præsciẽtia, nisi scientia futurorum? Quid est autem futurũ deo, qui omnia tempora supergreditur? Si enim scientia dei res ipsas habet,& nõ sunt ei futuræ, sed præsentes, ac per hoc non iam præscientia, sed scientia dici potest: si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea præuenit sciendo: bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundũ futurorũ præscientiam, altero uero secundum præsentiũ scientiam. Aliquid ergo temporaliter accidit scientiæ dei, quod absurdissimũ atq; falsissimũ est. Nec enim potest quæ uentura prænoscit nosse, nisi cum uenerint, nisi bis innotescant, & prænoscendo anteq̃ sint,& cognoscẽdo cum iam sunt: ita fit ut quod longe à ueritate seclusum est, temporaliter aliquid accidat scientiæ dei, cum temporalia quæ præsciuntur, etiam præsentia sentiuntur quæ non sentiebãtur. Si uero etiam cum uenerint quæ præsciebantur esse uentura nihil noui accidet scientiæ dei, sed manebit illa præscientia sicut erat, etiã priusq̃ uenirent quæ præsciebantur, quomodo iam præscientia diceretur quãdo non est rerum futurarum? Iam enim præsentia sunt quæ futura cernebat, & paulopost erunt præterita. Præteritarum autem rerum sicut præsentium, nullomodo potest dici præscientia. Reditur ergo ad id ut fiat rebus iam præsentibus sciẽtia, quæ eisdem rebus futuris erat præscientia. & cum ea quæ præsciẽtia erat prius, postea sciẽtia fiat in deo, admittit mutabilitatẽ, & temporalis est, cum sit deus, qui uere summeq; est, nec ulla ex parte mutabilis, nec ullo motu nouitio temporalis. Placet igitur ut non dicamus præsciẽtiam, sed tantũmodo scientiam. Quæramus & hoc quomodo. Non enim scientiã solemus dicere in nobis, nisi cum sensa & intellecta memoria retinemus, cum meminimus aliquid sensisse nos uel intellexisse, ut id quod uolumus, recolamus. Quod si ita in deo est, ut possit proprie dici intelligit & intellexit, sentit & sensit, admittit tẽpus, & subrepit nihilominus illa mutabilitas quæ longe à dei substantia remouenda est, & tamen & scit deus & præscit deus ineffabili modo, sic eũ & pœnitet ineffabili modo. Cum enim scientia dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio, utraq; tamẽ scientia uocatur: & hæc quidem humana talis est, ut de illa dicat Apostolus, etiam scientia destruetur: quod nullo modo de scientia dei recte dici potest. sic & ira hominis turbida est, & non sine cruciatu animi: ira uero dei, de qua dicitur in euangelio, Sed ira dei manet super eum: & Apostolus, Reuelatur enim dei ira de cœlo super omnem impietatem: illo in tranquillitate iugiter manente, in creatura subdita exercet admirabili æquitate uindictã. Misericordiã quoq; hominis nonnulla cordis seq̃tur miseria. Vnde etiã in Latina lingua nomẽ accepit. Nam inde est etiam, q; non solũ gaudere cum gaudentib. sed etiam flere cum flentib. hortatur Apostolus. Quis aũt sano capite

dixerit

dixerit ulla miseria tangi deum? quem tamē ubiq; scriptura misericordē es/se testatur. Ita zelum humanum non sine peste liuoris intelligimus, zelan/tem uero deum non ita, sed eodem uerbo, non eodem modo. Longum est percurrere cætera, & sunt innumerabilia quibus ostenduntur, multa diuina eisdem nominibus appellari quibus humana, cum incomparabili diuersita te seiuncta sint. Nec tamen frustra eadem sunt rebus utrisq; indita uocabu/la, nisi quia hæc cognita quæ in cottidiana consuetudine uersantur, & experi mentis usitatioribus innotescunt, nonnulla ad intelligenda illa sublimia præ bent uiam. cum enim dempsero de humana sciētia mutabilitatē, qua tran/situs quosdam à cogitatione in cogitationem recolimus, ut cernamus animo quod in contuitu eius paulo ante non erat, atq; ita de parte in partem cre/bris recordationibus transilimus, unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam: quum ergo hæc cuncta detraxero, & reliquero solam uiuacitatē certę atq; inconcussæ ueritatis, una atq; æterna contemplatione conlustrantis: imò non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, si pro uiribus cogitauero: insinuatur mihi utcūq; scientia dei. quod tamen no/men ex eo quod sciendo aliquid nō latet hominē, potuit esse rei utriq; com mune: quanquam & in ipsis hominibus solet discerni à sapientia scientia, ut etiam Apostolus dicit. Alij quidem datur per spiritū sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritū. In deo autem non sunt hæc duo, sed unum. & in hominibus quidem ita discerni probabiliter solēt, ut sapien/tia pertineat ad intellectum æternorum, sciētia uero ad ea quæ sensibus cor/poris experimur. Sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen di/uersa essent, non sic ab Apostolo distinguerētur, Quod sane si ita est, ut no/men scientiæ rebus quas per sensum corporis experimur deputandum sit, nulla est omnino sciētia dei, Non enim deus per se ipsum ex corpore & ani/ma constat sicut homo: sed melius dicitur aliam esse scientiā dei, & nō eius/dem generis cuius ista est quæ hominum dicitur: sicut etiā id ipsum quod deus dicitur, longe aliud est quàm quemadmodum est dictum, quod stetit in synagoga deorum: tamē ad nō latere quoqúo modo pertinet cōmunica tio ipsa uocabuli. sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum ut remaneat uindictæ uigor, atque ita utcunque surgo ad innotescentiā illius, quæ adpellatur ira dei. Item de misericordia si auferas cōpassionem de eo quod miseraris, participatus es miserię, ut remaneat tranquilla bonitas sub/ueniendi, & à miseria liberandi, insinuatur misericordiæ diuinæ qualiscunq; cognitio. Zelum quoq; non repudiemus & aspernemur, quum scriptum in uenimus: sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris, & mor/bidam perturbationē animi, remaneatq; illud solum iudicium, quo corrup/tio castitatis impunita esse nō sinit, & assurgimus ut incipiamus aliquo mo do capere zelum dei. Qua propter quum legimus etiam deum dicentem, pœnitet me: consyderemus quod id esse soleat in hominibus opus pœniten

di,cum proculdubio reperit͛ uoluntas mutandi,sed in homine cũ dolore animi est. Reprehẽdit enim in se quod temere fecerit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate atq; ignorãtia ueniunt, & remaneat solũ,uelle ut nõ ita sit aliquid,quẽadmodũ erat. Sic potest aliquantũ intimari menti nostræ, qua regula intelligat͛ quod pœnitet deũ. Quũ enim pœnitere dicit͛,uult non esse aliquid sicut fecerat ut esset,sed tamen cum ita esset,ut ita esse debeat,& cum ita esse iam nõ sinitur,iam nõ esse debet,ita perpetuo quodam & tranquillo æquitatis iudicio,quo deus cuncta mutabilia incõmutabili uoluntate disponit. Sed quomodo præscientiã & scientiã cum laude solemus in hominibus appellare,iramq; ipsam solet humanũ genus in magnis potestatibus tremere potius q̃ reprehẽdere,congruenter putamus talia dici de deo. Qui autẽ zelat,& quẽ aliquid pœnitet, quoniam uel culpari solet, uel culpã in se corrigere, atq; ideo cũ reprehensione ista de hominibus dici, propterea mouet cũ legimus esse aliquid in deo eiusmodi. Sed illa scriptura omnibus consulens,propterea magis & ista ponit,ne illa quę placẽt sic intelligant͛ in deo, quomodo consueuerũt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicẽt, cum ea nõ uideamus sic intelligere,ut inueniunt͛ in homine,discimus etiã illa sic quærere,quæ apta esse atq; cõuenientia putabamus. Nam si ꝓpterea nõ est illud de deo dicendũ,quia in homine displicet,nõ dicamus incõmutabilẽ deũ,quia de hominibus cum reprehensione dictũ est,nõ enim est illis cõmutatio. Item sunt quædam quæ in homine laudabilia sunt,in deo autẽ esse nõ possunt,sicut pudor quod ætatũ uiridiorũ magnũ est ornamentũ,sicut timor dei,nõ tantũ in ueteribus libris laudat͛,sed Apostolus etiã dicit,Perficientes sanctificationẽ in timore dei,qui utiq; nullus in deo est. Sicut ergo quædam laudabilia hominũ recte intelligunt͛ in deo,nõ ita in hominibus,sed uocabulis tantũmodo cõmunibus,longe alia ratione & modo. Nam paulopost idẽ Samuel,cui dixerat dominus,pœnitet me quod constituerim regẽ Saul,ipsi Sauli ait de deo: quoniam nõ est sicut homo, ut pœniteat eũ. Vbi uidelicet satis ostendit etiã cum dicit deus,pœnitet me,nõ humano more accipiendũ esse,sicut iam quantũ ualuimus disputauimus. Veniens autẽ Samuel ad Saul, ait ad Saul: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit ad me dominus nocte. Dixitq; ei, Loquere. Et ait Samuel: Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?) Paruulus in oculis suis est,qui in eo quod semetipsum considerat,imparẽ se alienis meritis pensat. Nam quasi grandem se cõspicit,quisquis se super aliena merita elatione cogitationis extendit. Saul autẽ reprobus in bono quod cœperat nõ permansit,quia fastu susceptæ potestatis intumuit. At contra Dauid semper de sese humilia sentiens,eiusdemq; Saul se cõparatione postponẽs,postq; feriendi locum reperit & pepercit,eidem sæuienti aduersario humili se professione substrauit dicens, Quẽ persequeris rex Israel,quẽ persequeris? canem mortuũ & pulicem unũ. Et certe iam unctus in regẽ fuerat, iam exorante Samuele, & cornu su

De obiurgatione Samuelis in Saul. XV

per se

per se oleo fundēte didicerat,ꝙ eum diuina gratia Saul reprobato ad regni gu bernacula possidenda seruabat:& tamē persequēti aduersario mente se humili substernebat,cui diuino iudicio prælatū esse se nouerat.Illi itaq; se postponebat humilē,cui per gratiā electionis incōparabiliter se nouerat esse meliorē. Increpans Samuel Saul,cur nō audisset uocē domini,sed uersus ad prædam, fecisset malū in oculis domini,parcendo & nō interficiēdo Amalech,ait Samuel, Nunquid uult dominus holocausta & uictimas,& nō potius obediat̃ uoci domini? Melior est enim obedientia ꝗ̃ uictimæ,& auscultare magis ꝗ̃ offerre adipem arietū.quoniā quasi peccatū ariolandi est repugnare,& quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonē domini, abiecit te ne sis rex.Obedientia uictimis iure præponit̃,quia per uictimas aliena caro,per obedientiā uero uoluntas propria mactat̃.Tanto igitur quisq; deum citius placat, quanto ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia,gladio præcepti se immolat,Quo cōtra ariolandi peccatū inobediētia dicit̃, ut quanta sit uirtus obedientiæ demonstretur.Ex aduerso ergo melius ostendit̃,quid de eius laude sentiat̃. Si enim quasi ariolandi peccatū est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere,sola est quæ fidei meritū possidet,sine qua quisq; infidelis cōuincit̃, etiāsi fidelis esse uideatur. Hinc per Salomonē in ostensione obedientiæ dicit̃: Vir obediēs loquitur uictorias. Vir obediēs uictorias loquit̃:quia dum alienæ uoci humiliter subdimur,nos metipsos in corde superamus.Hinc in Euangelio ueritas dicit.Eum qui uenit ad me non eijciam foras,quia de cœlo descendi,nō ut faciā uoluntatē meā,sed uoluntatē eius qui misit me. Quid enim si suā faceret,eos qui ad eum ueniūt repulisset? Quis autē nesciat quod uoluntas filij à patris uoluntate non discrepet? Sed quoniā primus homo qui suā facere uoluntatem uoluit,à paradisi gaudio exiuit,secundus ad redemptionē hominū ueniens,dum uoluntatē se patris & non suam facere ostendit,permanere nos intus docuit: quum igitur non suā sed patris uoluntatē facit,eos qui ad se ueniunt,foras non eijcit:quia dum exēplo suo nos obedientię subdit,uiam nobis egressionis claudit. Conuersus est autē Samuel ut abiret. Saul autē apprehendit summitatē pallij eius,quæ & scissa est.Et ait ad eum Samuel.Scidit dominus regnū Israel hodie à te, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Compellimur iuxta LXX interpretū translationem hanc ponere sententiā,quia multo amplius habetur illic.Ita enim illic scriptū est.Non reuertar tecum,quia spreuisti uerbū domini,& spernet te dominus,ne sis rex super Israel.Et cōuertit Samuel faciē suā, ut abiret,& tenuit Saul pinnam diploidis eius,& disrupit eam.Et dixit ad eum Samuel.Disrumpet dominus regnū Israel de manu tua hodie , & dabit proximo tuo bono super te,& diuidetur Israel in duo , & non conuertetur,neque pœnitebit eum,quoniam non est sicut homo,ut pœniteat eum : ipse minatur & non permanet.Iste cui dicitur,spernet te dominus,ne sis rex super Israel, & disrumpet dominus regnū ab Israel de manu tua hodie , XL annos regnauit super Israel,tanto scilicet spacio temporis,quāto & ipse Dauid,& audiuit hoc primo tempore regni sui , ut intelligamus ideo dictum , quia nullus de stirpe

eius fuerat regnaturus,& respiciamus ad stirpē Dauid,unde exortus est secundum carnē,mediator dei & hominū,homo Christus Iesus. Non autē habet scriptura,quod in plerisq; latinis codicibus legitur,Disrumpet dominus regnū israel de manu tua,sicut à nobis positū est,& inuentū in Græcis. Disrumpet dominus regnū ab Israel de manu tua,ut hoc intelligatur de manu, quod est ab Israel. Populi ergo Israel personā figurate gerebat homo iste. Qui populus regnū fuerat amissurus,Christo Iesu domino nostro per nouū testamentum non carnaliter,sed spiritualiter regnaturo. De quo cum dicitur, & dabit illud proximo tuo,ad carnis cognationē refertur: ex Israel enim Christus secundū carnē,unde & Saul. Quod uero additum est,bono super te,potest quidem intelligi meliori te,ut quia ille bonus est,ideo sit super te, iuxta illud propheticum,Donec ponā inimicos tuos sub pedibus tuis,in quibus est Israel,cui suo persecutori regnū abstulit Christus,quāuis fuerit illic & Israel, in quo dolus non erat,quoddā quasi frumentū illarum palearum. Nam utiq; inde erant Apostoli,inde tot martyres,quorum prior Stephanus,inde tot ecclesiæ, quas Apostolus Paulus cōmemorat,in conuersione eius magnificātes deū. De quare nō dubito intelligendū esse quod sequitur,& Israel diuidetur in duo, in Israel scilicet inimicum Christo, in Israel ad ancillā,& Israel ad liberā pertinentē. Nam ista duo genera primum simul erāt,uelut Abrahā adhuc adhæreret ancillæ,donec sterilis per Christi gratiā fœcundata clamaret, Eice ancillā & filiū eius. Propter peccatū Salomonis regnāte filio eius Roboam, scimus Israel in duo diuisum esse,atq; ita perseuerasse, habentibus singulis partibus reges suos,donec illa gens tota à Chaldeis esset ingenti uastatiōe subuersa, atq; translata. Sed quid hoc ad Saulē? Si tale aliquid cōminandum esset,ipsi Dauid fuerat potius comminandum,cuius erat filius Salomon. Postremo nunc inter se gens hebræa diuisa nō est,sed indifferenter in eiusdē erroris societate dispersa per terras. Diuisio uero illa quā deus sub persona Saulis,illius populi & regni figurā gerentis,eidē regno & populo cōminatus est, æterna atq; immutabilis significata est,per hoc quod adiunctum est, & nō cōuertetur, neq; pœnitebit eum,quoniā nō est sicut homo,ut pœniteat eū: ipse minatur & nō permanet, id est,homo minatur & nō permanet. Non autē sic deus,quē nō pœnitet sicut hominē. Vbi enim legitur,quod pœniteat eum,mutatio rerū significatur, immutabiliter manēte præscientia diuina: ubi uero nō pœnitere dicitur,nō mutare intelligitur. Prorsus insolubilē uidemus per hæc uerba prolatā diuinitus fuisse sententiam de ista diuisione populi Israel,& omnino perpetuā. Quicunq; enim ad Christū transierunt,uel transeunt,uel transibunt,inde nō erāt, nisi secundū dei præscientiā, nō secundū humani generis unā eandēq; naturā. Prorsus quicunq; ex Israelitis adhærentes Christo, perseuerāt in illo, nunq; erunt cum Israelitis,qui eius inimici usq; in finem uitæ huius esse persistunt,sed in diuisione quæ hic prænuntiata est,perpetuo permanebunt. Nihil enim prodest testamentū uetus de monte Sina in seruitutē generans,nisi quia testimonium perhibet testamento nouo. Alioquin quādiu legitur Moyses uelamen supra

corda

corda eorum positum est, cum quisque transierit ad Christum, aufertur uelamen. Transeuntium quippe intentio ipsa mutatur de uetere ad nouum, ut non quisque intendat accipere carnalem, sed spiritualē felicitatem. Sumpsit ergo Samuel gladium, & in frusta concidit Agag. Quod faciendo Samuel usque adeo non peccauit, ut nō faciendo peccaret. Dominus enim iusserat interfici Amalechitas, qui utique nouit non solum secundum facta, uerum etiā secūdum cor hominis, quid unusquisque uel per quē perpeti debeat. Dignus ergo erat Saul cui talia iniungerentur, atque Amalechitæ, ut talia paterentur, qui diuino nomini honorē non dederunt, sed populū dei qui sicco uestigio mare transierunt, interimere uoluerūt. Igitur recedēte à Saul domino propter inobedientiā, arreptus est maligno spiritu à domino, irruebatque spiritus domini in eo malignus) Iam uero illud quod etiā malus appellatus est spūs domini, sic intelligitur, quomodo dictum est, domini est terra, tanquā creatura, & in eius posita potestate. Aut si propterea non congruit hoc locutionis exemplum, quia terra non est mala, omnis enim creatura dei bona est, illud congruat quod ipse Saul iam reprobus & sceleratus, atque iratus sancto Dauid, persecutor etiam eius, cum sæuissimæ inuidiæ facibus agitaretur, tamen adhuc christus domini dicebatur: sic eum appellauit ipse Dauid, cum uindicauit extinctum. Sed magis arbitror malignum spiritum, à quo uexabatur Saul, & ideo dictum domini, quod occulto iudicio domini Saulem uexabat. Vtitur enim deus ministris, etiam spiritibus malis ad uindictam malorum, uel ad bonorum probationem, alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamuis enim inde quisque sit malignus spiritus, quia uoluntate nocere appetit, tamen nocendi potestatem non accipit, nisi ab illo sub quo sunt omnia, certis & iustis meritorum gradibus ordinata: quia sicut non est mala uoluntas à deo, sic non est potestas nisi à deo. Quamuis enim sit in cuiusque potestate quid uelit, non est tamen in cuiusque quid possit, uel facere cuiquam, uel à quoquam pati. Nam & ipse filius unicus dei passurus ad tempus, humiliter superbe loquenti homini & dicenti, quod potestatem haberet occidendi eum & dimittendi, non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Diabolus etiam uolens nocere iusto uiro Iob, nocendi quidem uoluntate diabolus erat, sed tamen à domino deo potestatē petebat dicens, Mitte manum tuam & tange carnem eius, quamuis & ipse hoc si permitteretur, esset facturus. Ipsam enim permissionem petebat hoc modo, & manum domini appellabat permissam à domino manum suam, id est, ipsam potestatem, quam uolebat accipere. Cui congruit illud in Euangelio, quod dominus discipulis ait. Hac nocte postulauit sathanas uexare uos sicut triticum. Dictus est ergo spiritus dei malus, hoc est minister dei ad faciendū in Saul, quod eum iudex omnipotētissimus pati iudicabat, quoniā spiritus ille uoluntate qua malus erat, non erat dei, creatura uero qua conditus erat, dei erat, potestas autem quam non sua, sed domini omniū æquitate acceperat, dei erat. Verba etiā ipsa scripturarū ita se habēt. Et perrexit Sa

De Dæmonio Sauli. XVI

muel,& abijt in Ramatha,& spiritus domini recessit à Saul, & cóprehendit eum spiritus malignus à domino,& suffocabat eum. Et dixerunt pueri Saul ad eum. Ecce spiritus domini malus suffocat te) Hoc igitur à pueris eius quo modo sit dictũ spũs domini malignus, superiora uerba indicant narrantis scripturæ & dicẽtis, spiritus malignus à domino. secundũ hoc enim domini, quod à domino: quia per se ipsum necare uelle habebat, idest cóprehendere Saul: posse autẽ nó habebat, nisi summa iusticia sineretur. Si enim iuste uindicat deus, quẽadmodũ ipse dicit Apostolus, cum tradit homines ad concupiscentias cordis eorũ, nó mirũ si nihilominus iuste uindicans tradit eos etiã in cócupiscentias aliorũ nocere uolẽtium, sua semper incómutabili æquitate seruata. Animaduertendũ sanè cũ additamẽto dici, spũs domini malus. Cũ autẽ tantũmodo dicitur, spiritus domini, etiã si nó addatur bonus, ex hoc intelligit̃ bonus: unde apparet, bonũ spũm secundum substantiã, malum autẽ secundum ministeriũ dici spiritũ dei: quanq̃ quæri adhuc possit, utrum cum spiritus dei dicitur, & ex ipso iã & si nihil addat̃, intelligit̃ bonus ille qui est in trinitate cósubstantialis patri & filio, spiritus sanctus: de quo dicitur, ubi autẽ spiritus domini, ibi libertas: & iterum, nobis autẽ reuelauit deus per spiritum suũ: & illud, sic & qui dei sunt, nemo scit nisi spiritus dei: & mult s hoc modis dicitur spũs dei, & intelligit̃ spũs sanctus, etiã si nó addat̃, quoniã ea quæ circumstant satis indicãt de quo dicatur, ita ut aliquãdo nec dei addat̃, & tamẽ intelligatur ille spiritus dei principaliter sanctus. Nam quem alium cómemorat ubi dicit, ipse spiritus dat testimoniũ spiritui nostro, quia sumus filij dei, & ipse spũs adiuuat infirmitatẽ nostrã, & omnia hæc operatur unus atq; idẽ spiritus, diuidẽs singulis prout uult. Et diuisiones donationũ idem autem spiritus. In his enim omnibus sententijs, nec dei nec sanctus est additum, & tamẽ ipse intelligit̃. Sed nescio utrũ manifesto aliquo exemplo probari possit, alicubi dictũ spiritũ dei sine additamẽto, ubi spiritus ille sanctus nó significet̃: sed aliquis quãuis bonus, creatus tamẽ & códitus. Quæ enim proferuntur dubia, indigent clariore documẽto, sicut illud quod scriptũ est, Spiritus dei ferebatur super aquã. Nã & ibi spiritũ sanctum accipere quid impediat nó inuenio. Quum enim aquarũ nomine illa materies insinuaret̃ informis, quæ de nihilo facta est, unde omnia fierẽt, quid prohibet intelligere spiritũ sanctũ códitoris, qui superferebatur huic materiei nó locorum gradibus interuallisq; spaciorũ, quod nequaq̃ de ulla re incorporea recte dicitur, sed excellentia & eminẽtia dominãtis supra omnia uoluntatis, ut omnia códerentur: præsertim cum ea locutio, sicut illarum scripturarũ mos est, etiã propheticum quoddã sonet mysterium, quo futuri baptismatis ex aqua & spũ sancto populi præfigurarẽtur. Non ergo cogit quod dictũ est, & spiritus dei ferebatur super aquã, illum intelligere spiritũ, sicut nónulli intelligũt, quo mundi moles uniuersa ista corporea uelut animatur ad ministeriũ quorũq; gignentiũ, & in sua specie cótinendarũ corporaliũ creaturarũ. Creatura est enim quicqd est tale. Illud etiã qd' scriptũ est, quoniã spũs dñi repleuit orbẽ

terrarum

terrarum,non desunt qui eundē spiritum uelint accipere, inuisibilem scilicet creaturam, cuncta uisibilia uniuersali quadā aspiratione uegetantē atq; continentē. Sed neq; hic uideo quid impediat spiritū sanctum intelligere, cum ipse deus dicat apud prophetā, Cœlū & terram ego impleo. Nō enim sine suo spiritu sancto implet deus cœlū & terrā. Quid ergo mirū si de spiritu sancto eius dictū est, repleuit orbē terrarū. Aliter etiā replet sanctificando, sicut de Stephano dicitur, repletus est spū sancto, & de cæteris talibus: aliter replet sanctificante gratia, sicut quosdā sanctos: aliter astante atq; ordināte præsentia, sicut omnia. Quā ob rem nescio utrū certo aliquo documēto scripturarū possit ostendi, cum sine ullo additamēto dicitur spiritus dei, uel spiritus domini, aliquid aliud significari q̄ spiritū sanctum. Sed & si est forte quod in præsentiarū nō occurrat, illud certe arbitror nō temere dici, quoties in sanctis eloquijs cōmemoratur spiritus dei, nec additur aliquid, siue ille patri & filio cōsubstantialis spiritus sanctus, siue aliqua creatura inuisibilis intelligatur, malum autē nō posse intelligi nisi addatur etiā malus. malo enim quia bene utitur deus ad ministerium iudicij sui, appellatur etiā ipse spiritus dei ad uindictā malorū, & disciplinam uel probationē bonorum. Nec illud iam mouere nos debet, quod postea scriptū est eundē Saulem spiritu dei super se facto prophetasse, quomodo post bonū spiritū spiritus malus, & rursus post malū bonus. Hoc enim fit nō mutabilitate spiritus sancti, qui est incōmutabilis cum patre & filio: sed mutabilitate animi humani, deo cuncta distribuente, siue malis pro merito damnationis uel emendationis, siue bonis pro largitate gratiæ suę: quanq; uideri possit etiā idem fuisse dei spiritus semper in Saul, malus autē illi quod eius substātiæ capax nō esset, sed nō recte hoc uidetur. Tutior est enim ille sensus & uerior, ut pro mutabilitate affectionis humanæ, spiritus dei bonus bene afficiat, uel ad prophetiam, uel ad opus quodlibet in munere diuino: afficiat autē malus qui propter mysteriū diuinæ æquitatis omnia distribuentis, & omnia recte utentis, dicitur & ipse spiritus dei: præsertim quia dictū est, recessit ab eo spiritus dei, & cōprehendit eum spiritus malignus à domino. Nullo pacto enim potest idem uideri recessisse & adprehendisse. Porrò in nōnullis exemplaribus, & eis maxime quæ de lingua hebræa ad uerbū uidētur expressa, inuenitur spiritus dei sine additamēto positus, & intelligit̄ malus ex eo quod arripiebat Saul, & reficiebat eum Dauid tangendo citharā. Manifestū est tamē ideo nō additū malus, quia paulo superius iam dictū erat, & de uicinitate scripturæ subaudiri & intelligi poterat. Ita enim in eiusmodi exemplaribus legitur. Igitur quandocunq; spiritus dei arripiebat Saul, tollebat Dauid citharā, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo spūs malus. Siue ergo quod dictū hic non est, spūs dei, sed tantūmodo spūs malus, quod ibi minus dictū erat, tanq; redditū apparet: siue quia superius ita positū erat, Et dixerūt serui Saul ad eū, Ecce spūs dei malus exagitat te, iubeat dominus noster, ut serui tui qui corā te sunt, quærant hominē scientē

psallere cithara, ut quando te arripuerit spiritus dei malus, psallat manu sua, & leuius feras. Nō opus erat cū rursum diceret, quādocūq; spūs dei arripiebat Saul, addere malū, quia notū erat de quo tūc diceretur.

De unctione David. XVII

Itaq; Saul propter inobediētiā reprobato, mittit dominus Samuel ad Isai, & sumpto cornu olei, unxit in regē Dauid. Sed uideamus Dauid quomodo Christum prophetice signauerit. Dauid enim interpretatur manu fortis, siue desiderabilis. Et quid fortius leone illo de tribu Iuda, qui uicit mundū, & quid desiderabilius illo, de quo dicitur, Veniet desideratus cunctis gētibus. Vngitur iste Dauid in regē futurū, denuncians per unctionē illā Christū. Christus enim à chrismate appellat. Dauid ab officio pastorali ad hominū regimē trāsfertur, noster autem Dauid ipse Iesus ab ouibus Iudaicæ plebis ablatus, in regno gentium trāslatus est. A Iudea enim plebe modo Christus ablatus est, unde nūc gentiū greges pascit. Erat autē Dauid in cāticis musicus eruditus, Diuersorū enim sonorū rationabilis moderatusq; cōcentus, cōcordi uarietate cōpactā ordinatæ ecclesiæ insinuat unitatē, quæ uarijs modis quotidie resonat, & suauitate mystica modulat. Iste adhuc puer in cithara suauit imò fortiter canēs, malignū spiritū qui opabatur in Saule cōpescuit, nō quod citharæ illius tāta uirtus erat, sed figura crucis Christi, quæ de ligno & extēsione neruorū, mystice gerebat, ipsaq; passio cantabatur, in hoc tribuens moraliter exemplū, ut fastū diuitū sermone humili ad aliquod bonū puocemus. Plerūq; enim supbus diues exhortationis blandimēto placādus est, quia & plerunq; dura uulnera per lenia fomenta mollescūt, & furor insanorū sæpe ad salutē medico blandiēte reducitur. Cumq; eis in dulcedine cōdescendit, languor insanię mitigatur. Neq; enim negligēter intuendū est, quod cū Saulem spūs aduersus inuaderet, aprehensa Dauid cithara eius uesaniam mitigabat. Quid enim per Saulē nisi elatio potentiū, & quid p Dauid innuitur nisi humilis uita sanctorū. Cū ergo Saul ab immūdo spū arripit, Dauid canente eius uesania tēperatur. quia cū sensus potentiū per elationē in furorem uertit, dignū est ut ad salutē mētis quasi dulcedine citharæ, locutiōis nostræ trāquillitate reuocet.

De certamine Dauid & Goliæ. XVIII

Post hęc Dauid in pręlio gigātē supauit, cū aduersus populū dei alienigenæ dimicarēt. Prouocauit diabolus Christū, accepit arma bellica sanctus Dauid, ut aduersus Goliā pcederet. Hic arma per ætatē & paruā staturā corporis portare nō ualuit, abiecit onerātia, accepit quinq; lapides de flumine, & posuit in uase pastorali. His armatus pcessit & uicit. Hoc quidē ille Dauid. Sed si mysteria pscrutemur, in Dauid Christus intelligit, qui tēpore reuelationis noui testamēti, insinuādæ & cōmodandæ gratiæ præuidēs arma deposuit, quinq; lapides tulit. Deposuit ergo corporalia sacramēta legis, quæ nō sunt imposita gentibus. Deposuit quæ nō obseruamus, quia ueterē legē legimus, & nō obseruamus, sed tamē ad aliquā significationē pmissa & posita intelligimus. Deniq; hæc arma deposuit tanq; onera sacramentorū ueteris legis, & ipsam legē accepit. Quinq; enim lapides, quinq; libros Moysi significant. Tulit ergo illos quinq; lapides de flumine,

id est, de seculo. Labitur enim mortale seculū, & præterfluit quicquid uenit in mundū. Erant enim in flumine tanquam in populo illo primo lapides, erant illic inutiles & uacabāt. Nihil proderant, transiebant sicut fluuius. Sed quid fecit Dauid, ut lex ipsa utilis esset? Accepit gratiā. Lex enim sine gratia impleri non potest. Plenitudo enim legis charitas. Quia ergo gratia facit impleri legē, significatur gratia lacte. Hoc enim est in carne gratuitū, ubi mater nō quęrit accipere, sed satagit dare. Hoc mater gratis dat, & contristatur si desit qui accipiat. Quomodo ergo ostendit Dauid legē sine gratia operari nō posse, nisi cum illos lapides quinque, quibus significabatur lex in libris quinque, quos coniungere uoluit gratiæ, posuit in uase pastorali, quo lac mulgere cōsueuerat? His armatus processit aduersus Goliā superbū, se iactantē, de se præsumentē, tulit unū lapidē, & deiecit Diabolū: in frontē percussit, & cecidit ex eo loco corporis, ubi signū Christi nō habuit. Hoc quoque licet adtendas. Quinque lapides deposuit, unū misit. Quinque libri legis sunt, sed unitas uicit. Plenitudo enim legis charitas, ut ait Apostolus, Sufferentes inuicē in dilectione, studentes seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Deinde illo percusso atque deiecto, gladiū eius abstulit, & deinde illi caput abscidit. Et hoc facit noster Dauid. Deiecit diabolum de suis, qui credunt magis ei, quos ille in manu habebat, & de quibus certas animas trucidabat. Cōuertunt linguas suas cōtra diabolū, & sic Goliæ de gladio suo caput inciditur. Cōuenit etiā & hoc illi uiro, qui recta fide plenus, quæ sanctis solet ad iusticiā deputari, cum ea ipsa scripturæ sacræ quam hæreticus affert, testimonia colligit, & erroris eius pertinaciam inde cōuincit. Contra nos nanque dum sacræ legis testimonia apportant, secum nobis afferunt unde uincantur. Vnde & Dauid typū domini, qui uidelicet manu fortis interpretatur, Golias uero hæreticorū superbiā signans, hoc rebus locuti sunt, quod nos uerbis aperimus. Golias quippe cum gladio, Dauid uero cū uirga pastorali uenit ad præliū, sed eundē Goliā Dauid superans, suo occidit gladio. Quod nos quoque agimus, qui præmissi Dauid mēbra, ex eius fieri dignatiōe meruimus. Nā cum superbiētes hæreticos, & sacræ scripturæ sentētias deferentes, eisdem uerbis atque sentētijs quas proferūt uincimus, quasi elatū Goliā suo gladio detruncamus

De eo quod Saul pro C. præputijs Philisteorū Dauid generum ascisit. XIX

Interea uictoria Dauid animū Saul regis offendit, indignans quod Saul in mille, & Dauid in decē milibus, cōclamantiū publicæ gratulationis ora insonarēt. Hinc inuidia Saulis & semen odiorū aduersus Dauid, quē dissimulator callidus, ut sine insidijs suis posset offerre discrimini, statuit eū Michol filiæ suæ nuptijs alligari, si centū sibi allophylorū præputia uictor offerret, pro quibus centum ducenta dedit. Et unde creditus est regio perire uoto, inde auctus est gloriosiori tropheo. Ita & Iudæi dum cōtra uoluntatē dei Christum occidere nituntur, per id salutem gentium egerunt, per quod crediderunt extinguere. Quod uero Dauid prius alienigenarum præputia attulit, & sic denuo filiæ Saul nuptus hæsit, significabat quod Christus nō prius synagogā cōnubio suo sponderet, nisi ante gloriosus in gentibus fieret. Prius enim in nationibus resecauit carnis pollutionē, & postea copulatus est synagogę. Postquam enim

enim ficut fcriptũ eft,introierit plenitudo gentiũ,tunc omnis Ifrael faluus fiet. Dupla aũt,id eft, cc præputia attulit,fiue ꝓ Iudæis & gẽtibus adquifitis, fiue quia maior eft numerus adquifitiõis populi gentiũ,ꝗ̃ credentiũ Iudæorũ.Auxit deinde odiũ Saul aduerfus Dauid in tãtũ ut rex ad medelã fui fpiritus Dauid de more pfallentẽ,iaculo conaret̃ cõfigere.Sed quid eft qđ dum Saulẽ fpiritus aduerfus inuaderet,apprehenfa Dauid cithara, eius uefaniã mitigabat? Per Saulẽ enim Iudæorũ elatio,per Dauid aũt humilitas Chrifti fignificatur. Quũ ergo Saul ab immundo fpiritu arripitur,Dauid canẽte,eius uefania temperatur: quia quum fenfus Iudæorũ per blafphemiã in furorem uertitur, dignũ eft ut ad falutẽ mẽtes eorũ quafi dulcedine citharæ locutionis euangelicæ

De fuga Dauid. XX tranquillitate reuocentur. Mittit Saul cuftodes ad domũ Dauid, ut cuftodirẽt eũ,& interficeretur. Abceffit aũt Dauid nocte & fugit, atqꝫ faluatus eft. Quũqꝫ ueniffent nuncij Saul, inuenerũt ftatuã in lecto Dauid pofitã,& pellẽ pilofam caprarũ ad caput eius) Audiamus ergo quid hoc fignificet,quod miferit Saul ad cuftodiendã domũ Dauid, ut eum interficeret.Hoc nõ ad crucẽ domini, fed tamẽ ad paffionẽ eius pertinet.Cruci fixus enim Chriftus & mortuus & fepultus eft.Erat ergo illa fepultura tanqꝫ domus,ad quã tanqꝫ ad cuftodiẽdũ mifit regnũ Iudæorũ,quãdo cuftodes adhibiti funt fepulchro Chrifti.Quomodo ergo cuftodita eft domus,fi Dauid figurabat Chriftũ,ut Chriftus interficeret̃,dum nõ in fepultura Chriftus, fed in cruce fit interfectus? Refertur ergo ad corpus Chrifti,quia interficere Chriftũ,erat tollere nomẽ Chrifti,Neqꝫ enim crederetur in Chriftũ,fi mendaciũ præualeret cuftodũ, qui corrupti funt ut dicerẽt,quia dormiẽtibus nobis uenerũt difcipuli eius,& abftulerũt eũ.Hoc eft itaqꝫ uelle Chriftũ interficere,nomẽ refurrectiõis eius extinguere, ut mẽdaciũ euangelio ꝑferret̃. Sed ficut illud nõ ualuit Saul, ut interficeret Dauid,fic nec hoc potuit regnũ Iudæorũ efficere, ut memoriã Chrifti deleret. Ifti autẽ qui de Saul uirtute, id eft,de regno Iudæorũ in Chriftũ præfumere uoluerũt,offenderunt lapidẽ offenfionis tanquã in ftatuam, & hedus uifus eis erat agnus,quia in quo peccatũ nõ inuenerũt,quafi peccatorem perfecuti funt.

De fuga Dauid ad Samuelem. XXI Igit̃ Dauid regiæ manus ictum euitãs,eiufqꝫ perfecutionẽ declinans fugit, uenitqꝫ ad Samuelẽ,& mifit Saul nuntios qui adprehenderẽt Dauid. Samuel autẽ erat inter prophetas,& cœtus prophetarũ,qui illo tẽpore ꝓphetabãt. Nuntij autẽ qui miffi funt accepto eiufdẽ fpũ prophetauerunt, miffifqꝫ alijs hoc contigit,& tertijs nihilominus. Poftea uero cum & ipfe Saul ueniffet,factus eft fuper eum fpiritus domini, & ambulabat ingrediẽs & prophetabat) Nõ enim poteft hic nifi fpũs bonus intelligi, per quẽ fancti prophetæ futurarum rerũ imagines & uifa cernebãt, nõ ex eo tantũ quia dictũ eft, & prophetabat. Nam in exemplaribus quæ funt ex Hebræo hoc quoqꝫ inuenitur de fpiritu malo dictum ita.Poft diem aũt alterũ inuafit fpiritus dei malus Saul, & ꝓphetabat in medio domus fuę.Et in alijs fcripturarum locis fepę inuenit̃, quod prophetia nõ tantũ bona, fed & mala dicit̃, & prophetæ dicti funt Baalim,& exprobratum eft quibufdã qui prophetabant in Baal. Nõ ergo propterea

terea necesse est intelligi bonus spiritus qui factus est postea super Saul, quia dictũ est,& ambulabat ingrediens & prophetabat: sed quia sine additamento positũ est,& factus est dei spiritus super eũ. Nõ enim sicut in illo loco dictũ erat supra dei spũs malus, ut ex hoc posset & in cõsequentibus subaudiri, quinimo superiora magis magisq; attestantur, illũ spũm dei bonum fuisse & uere propheticũ. Dauid enim erat cum Samuele, & misit Saul nũtios qui apprehenderẽt Dauid. Quomodo aũt Samuel erat inter prophetas & cœtus prophetarũ, qui illo tempore prophetabãt,& nuntij qui missi sunt, accepto ab eodẽ spiritu prophetauerunt, missisq; alijs hoc cõtigit,& tertijs nihilominus? Postea quũ & ipse Saul uenisset, factus est & super eũ spiritus dei,& ambulabat ingrediens & prophetabat. Quũ enim dicitur, factus est & super ipsos spũs domini,& prophetabant & ipsi, idem utiq; spiritus erat, qui erat in prophetis. Inter quos & Samuel inuẽtus est,& ex hoc utiq; necesse est intelligi illum spiritũ bonũ: atq; ideo quæstio diligẽter discutienda est, quomodo & illi cum missi essent ad tenendũ hominẽ, & ad necem ducendum, tali spiritu affici meruerũt: & Saul ipse qui miserat ueniẽs & ipse,& sanguinem innocentẽ quęrẽs effundere, accipere meruit spiritũ illum,& prophetare. Hic nimirũ illud occurrit, quod apostolus Paulus exponit, supereminẽtem uiã demõstrans. Si linguis hominũ inquit loquar & angelorũ, charitatẽ aũt nõ habeam, factus sum uelut æramentũ sonãs, aut cymbalũ tinniens. Et si habuero prophetiã,& sciero omnia sacramenta,& omnẽ scientiã, & si habuero omnẽ fidẽ, ita ut mõtes transferã, charitatẽ aũt nõ habeam, nihil sum: & si distribuero omnẽ substantiã meã,& si tradidero corpus meũ ut ardeã, charitatẽ aũt nõ habeam, nihil mihi prodest. Quo in loco manifestũ est, eũ munera illa cõmemorasse, quæ sancti spũs diuisionibus dant᷑, sicut superius dicit. Vnicuiq; aũt datur manifestatio spũs, ad utilitatẽ. Alij aũt datur per spũm sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ, secundũ eundẽ spũm, alteri aũt fides in eodẽ spiritu, alij donatio curationũ in uno spũ, alij operatio uirtutũ, alij prophetia, alij dijudicatio spirituũ, alij genera linguarũ. Omnia aũt hæc operatur unus atq; idẽ spiritus, diuidens propria unicuiq; prout uult. Satis igit᷑ apparet inter dona spũs sancti esse ꝓphetiã, quã tamẽ si quis habeat & charitatẽ nõ habeat nihil est. Ex quo intelligit᷑, fieri posse, ut qdã etiã indigni uita ęterna regnoq; cœlorũ aspergant᷑ quibusdã spũs sancti muneribus, nõ habentes charitatẽ, sine qua illa munera nonnihil sunt, sed illis nihil prosunt. Prophetia quippe sine charitate, sicut iam demõstratũ est, non perducit ad regnũ dei. Charitas uero sine prophetia utiq; perducit. Quũ enim loquens de membris Christi ait, Nũquid omnes apostoli, nunquid omnes prophetæ, indubitãter ostendit, etiã eum qui prophetiam nõ habet, posse in membris Christi numerari, ubi quẽ locum haberet sine charitate, sine qua homo nihil est, si non habet? Nullo modo autem ita diceret, quando de membris agebat, quibus corpus Christi impletur, nunquid omnes habent

charitatem

charitatẽ,quẽadmodũ dicit,nunquid omnes apoſtoli,nunquid omnes pro-
phetæ,nunquid omnes uirtutes, nũquid omnes dona habẽt curationũ? Et
cætera huiuſmodi. Sed dicit aliquis poſſe quidẽ fieri,ut prophetiã quiſq; nõ
habeat. Nihil eſt homo habens prophetiã,ſine charitate. Ita fortaſſe quem-
admodũ poſſumus dicere,nihil eſſe hominẽ habentẽ animã ſine mente: nõ
quia poteſt inueniri homo:qui mentẽ nõ habeat,habens animã,ſed quia ni-
hil eſſet ſi inueniri poſſet:ſic etiã dici poteſt corp9,ſi figurã habeat,colorẽ nõ
habeat,uideri nõ poteſt, nõ quia eſt corpus,cui deſit color, ſed quia ſi deeſ-
ſet,cerni nõ poſſet. Ita fortaſſe dictũ eſt,quod ſi quiſq; habeat prophetiã, &
charitatẽ nõ habeat,nihil eſt:nõ quia poteſt in quoquã eſſe prophetia ſine
caritate,ſed quia ſi eſſet,prodeſſe non poteſt. Opus igitur eſt ad ſoluẽdum
iſtam quæſtionem,ut oſtendamus aliquem reprobum hoc donum habuiſ-
ſe prophetiæ. Quod ſi neminem inueniremus,hoc iſte ipſe Saul ſatis oſten
deret. Sed tamen & ille Balaam reprobus apparet. Nõ enim eum tacet ſcri-
ptura diuino iudicio eſſe damnatum, & tamen prophetiam habebat. quia
ei charitas deerat,inerat uoluntas maledicendi populo Iſraelitico,quam ho-
ſtis precio comparauerat,qui eum ad maledicendum mercede conduxerat.
Dono tamẽ ille prophetizandi,quo aſpergebatur,benedicebat inuitus. nec
illa uerba parum adteſtantur huic ſententiæ,quæ in Euangelio ſcripta ſunt,
multos dicturos in illa die,Domine domine, in nomine tuo mãducauimus
& bibimus:& in nomine tuo prophetauimus: in nomine tuo multas uirtu-
tes fecimus. Quibus tamen dicturus eſt, Non noui uos,recedite à me ope-
rarij iniquitatis. Non enim eos mentientes putabimus iſta dicturos in illo
iudicio,ubi nullus erit fallẽdi locus: aut ullam uocem talium legimus, dicen-
tium,dileximus te. Poterunt ergo dicere, in nomine tuo prophetauimus,cũ
ſint improbi & reprobi,non autem poterunt dicere, dilectionem quã man-
daſti tenuimus. Nam ſi dicunt,tũc eis reſpondebitur,non noui uos. In hoc
enim cognoſcitur,inquit,quia diſcipuli mei eſtis,ſi uos inuicem diligatis. Ex-
emplum itaq; huius Saul reſiſtit ſuperbis nõnullis hæreticis,qui uel aliquid
boni de muneribus ſancti ſpiritus negant poſſe dari eis,qui ad ſortem ſan-
ctorum non pertinent,quum eis dicimus habere poſſe illos baptiſmi ſacra-
mentum. quod cum ad eccleſiam catholicam ueniunt,non eſt in eis ullo mo-
do uiolandum,aut quaſi non habeant tradendum. Sed tamen eos nõ ideo
ſaluti debere confidere,quia non improbamus quod illos accepiſſe concedi-
mus,ſed oportere cognoſcere unitatis ſocietatẽ uinculo charitatis ineũdam,
ſine qua omnino quicquid habere potuerunt,quamuis per ſe ſanctum atq;
uenerandũ,ipſi tamen nihil ſunt, tãto indigniores effecti premio uitæ æter-
næ, quanto illis donis non bene uſi ſunt, quæ in hac uita quæ tranſitura
eſt acceperunt. Non autem bene utitur niſi charitas,& charitas omnia tole-
rat,atq; ideo non ſcindit unitatem,cuius ipſa eſt fortiſſimum uinculum. Nõ
enim & ſeruus ille non accepit talentum, aut aliquid aliud intelligit talentũ,
quàm

quàm munus utiq; aliquod diuinum. Sed qui habet dabitur ei, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Quod non habet auferri non potest, sed aliud non habet, ut merito auferatur quod habet. Non habet charitatem utendi, ut auferatur quicquid aliud habet, quod sine charitate nõ prodest. Non igitur mirum regem Saul & eo tempore quo primum unctus est, accepisse spiritum prophetandi, & postea quum esset propter inobedientiam reprobatus, recedente ab eo spiritu dei, arreptum esse maligno spiritu à domino: qui etiam ipse spiritus domini appellatus est propter ministeriũ, quia omnibus, & spiritibus malis bene utitur dominus, uel ad damnationẽ quorundam, uel ad probationem: & quamuis non sit malignitas à deo, non est tamen potestas nisi à deo. Dictum est etiam sopor domini, qui occupauerat eiusdem Saul milites, cum Dauid hastam & cyphum abstulisset, à capite dormientis: non quia tunc sopor in domino erat, ut ipse dormiret, sed quia ille sopor qui tunc homines adprehenderat, nutu dei erat infusus, ne Dauid & serui eius in eo loco præsentia sentiretur. Neq; illud mirũ est, rursus eundem Saul accepisse spiritum prophetiæ cum persequeretur iustum, & eum comprehensurus & necaturus uenisset in locum ubi erat congregatio prophetarum. Sic enim satis demonstratum est, neminem de tali munere securum esse debere, tanquam sit acceptissimus deo, si non habeat charitatem: quandoquidem illud donum, & Sauli dari potuit, propter archanũ quidem alicuius sacramenti, sed tamen dari potuit reprobato & inuido & ingrato & reddenti mala pro bonis, & ne post ipsam quidem acceptionem spiritus correcto in melius & mutato. Iuit autem Ionathas ad Dauid, quem in persequutionibus patris sui nõ iustis dolebat fatigari. Si uixero, facies mihi misericordiam domini: si autem mortuus fuero, non auferes misericordiã tuam à domo mea usq; in sempiternum, quando eradicauerit dominus inimicos Dauid unum quẽq; de terra) Cum adiũgeret scriptura, pepigit ergo fœdus Ionathas cum domo Dauid, continuo subintulit dicens, Et requisiuit dominus de manu inimicorum Dauid. Per anticipationem utiq; fecit, prius historiæ interserendo, quod multo post tempore factum est, cum interfecto Saule, regnum ad domum Dauid translatum est, & qui innocentem eum iniuste persequebãtur, iuste sunt diuinitus ultione mulctati. Tunc enim requisiuit dominus de manu inimicorum Dauid, quare uirum sanctũ afflixerint: tunc cogebantur rationem reddere odiorum, quibus cõtra illum tanto tempore sæuierant. Quod & de Absalon, & de Seba filio Bochri, & de cæteris hostibus Dauid æque potest intelligi. Aliter. Si scire uis quid de manu inimicorum Dauid requisierit Dominus, potes ni fallor à superiore sententia, qua dictum est, quod fœdus pepigerit Ionathas: requisiuit enim, quare non & ipsi fœdus cum eo pacis inire uoluerint, cum quo esse dominum uiderunt. Iccirco autem scriptura hic sententiam hanc præoccupando interponere uidetur, ut testimonium Ionathæ quo dixerat, quando eradicauerit do-

De fœdere Dauid & Ionathæ. XXII

minus inimicos Dauid ununquemq; de terra:non ipso Dauid se de aduersarijs ulciscente,sed iudicante domino pro illo.Bene autem subiungitur, Et addidit Ionathas iurare Dauid,eo quod diligeret illum , Sicut animã enim suam ita diligebat eũ : ut ille nimirum qui tam perfecto iuxta legẽ dei amore complectebatur Dauid, à perditione inimicorũ eius uideretur inmunis, qui & si sit ita morte præreptus,ut regnũ cum eo,ut sperabat,habere nequiuisset commune,absq; ulla tamen contradictione regni cœlestis consortium cum eo,quem pro gloria uirtutũ tantopere dilexit , cum esset & ipse uir uirtutum,accepit. Surrexit itaq; Dauid iterum, ut fugeret in die illa à facie Saul,uenitq; ad sacerdotem Abimelech,à quo & gladium Golię sustulit, & panes propositionis accepit.Ex qua re & sacerdoti mortẽ intulit,& animaduersionem religiosæ ciuitati) Hæc itaq; gestorum fides est.Sed quantum ad sacramentum prophetię pertinet,in Christo domino nostro impletum est, qui positus in carne,dum insectationem declinaret Iudaicam ad Apostolos transit,cum quibus & desideratum sibi cibum sumpsit . Desiderio enim inquit desideraui hoc pascha manducare uobiscum.ex quibus Goliæ,id est,diaboli arma sustulit,fortis enim spolia ipse diripuit.His ergo à quibus receptus est Christus,tribulationes induxit diabolus,& mortẽ. Omnes enim, ut ait Apostolus,qui in Christo pie uolunt uiuere,persecutiones patiuntur. Et dominus ait,Si me persequuti sunt,& uos persequentur. Quod uero dominus in euangelio Abiathar principem sacerdotum Abimelech appellat, nihil habet dissonantiæ. Ambo &enim fuerunt illic, cum ueniens Dauid panes petijt & accepit:Abimelech uidelicet princeps sacerdotum,& Abiathar filius eius. Occiso autem Abimelech à Saule cum uiris domus suæ generis sacerdotalis LXXXV fugit Abiathar ad Dauid,& comes factus totius exilij eius,postea regnante eo summi sacerdotij gradum & ipse accepit,ac toto tempore regni illius in pontificatu perseuerans,multo maioris excellẽtiæ, q̃ pater suus effectus est , ideoq; dignus fuit, cuius memoriã dominus etiã uiuente patre,quasi summi sacerdotis faceret) In Doech autem Idumeo qui sacerdotes domini prodidit , Iudæ proditoris persona signatur,per quẽ ista operatus est diabolus,ut eius proditione facta in Christo persecutione postea ecclesia pateretur,& occiderentur multi discipuli Christi & sacerdotes, & pro nomine eius persecutionis exitia paterentur . Quidam dicunt Doech antichristum significasse,cuius membrũ Iudas extitit:quia sicut ille sacerdotes LXXX peremit,sic & iste martyres , qui fidem resurrectionis tenent,sit occisurus. Interea Dauid cum fugeret Saul , latere uoluit apud regem quendam Geth nomine Achis:sed cum gloria eius fuisset commemorata, ne per liuorem rex,ad quem fugerat,aliquid in eum machinaretur,finxit insaniam,& quasi furore correptus , mutauit os suum, defluebantq; saliuæ in barbam eius , conlabebaturq; in manibus eorum , & procidebat ad ostia portæ.Et dixit Achis rex ad seruos suos . Quid huc mihi adduxistis istum?

De aduentu Dauid ad Abimelech. XXIII

De fuga Dauid ad Achis. XXIIII

Nunquid

Nunquid deerunt nobis furiosi? Et sic eum dimisit) Achis interpretatur quo modo est, per quod significatur ignorantia, & uerbum mirantis & nō agnoscentis: quod in gente Iudæorum impletum est, qui dum uiderunt Christū, non agnouerunt, coram quibus mutauit os suum, & abijt. Erant enim præcepta legis carnalia, erat sacrificium secundum ordinē Aaron, & postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secund ordinem Melchisedech, Mutauit ergo os suum in sacerdotio, mutauit in præceptis, dans aliud testamentū euacuata carnali operatione: atq; inde collapsus est in manibus eorum, quando eum comprehendentes crucifixerūt: & procidebat ad ostia portæ, hoc est, humiliabat se, hoc est, procidere ad ostium fidei nostræ. Ostium enim portæ initiū fidei, inde incipit ecclesia, & peruenit usq; ad speciem, ut cum credit ea quæ non uidet, mereatur perfrui eum ea uidere facie ad faciem cœperit. Quod uero in illo quasi furore saliuæ decurrebāt super barbam eius, Apostolus hæc aperit dicens: Iudæi signa petunt, & Græci sapiētiam quærunt, nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidē scandalum, gentibus autē stulticiā, ipsis uero Iudæis uocatis & Græcis Christū dei uirtutem, & dei sapientiam, quia quod stultum est dei, sapientius est hominibus, & quod infirmū est dei, fortius est hominibus. Saliuæ enim significant infirmitatem, sed quod infirmum est dei, fortius est hominibus: non tantum saliuæ adtendantur, sed adtende quod super barbā decurrunt. Quo modo enim in saliuis infirmitas, sic in barba uirtus ostenditur. Texit ergo uirtutem suā corpore infirmitatis suæ, & quod forinsecus infirmabatur tanquam in saliua apparebat, intus autem diuina uirtus tanquam barba tegebatur. De hinc in heremo Engaddi cum persequendum Dauid Saul appeteret, ingressus est Dauid in spelūcam, & ibi latebat. Sed & rex improuisis exceptus insidijs, quod innocuo moliebatur inciderat. Scriptū est enim qui fodit foueam, incidet in eam. Dauid autem bona pro malis retribuens inimicum non occidit, sed pro testimonio oram clamidis regiæ abstulit, cum facilius esset exceptum insidijs aduersarium perdere magis quàm fallere. Quid ergo est quod iste fugiens à facie Saul in spelunca latuit? Quare autē latuit? nisi ut occultaretur, & non inueniretur. Quid est contegi spelunca, nisi contegi terra? Qui enim fugit in spelunca, terra tegitur ne uideatur. Portabat autem terram Iesus, carnem quam acceperat de terra, & in ea se occultabat, ne à Iudæis inueniretur deus. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Quare ergo dominum gloriæ non inuenerunt? Quia in spelunca se texerat, id est, carnis infirmitatem solū obiciebat, & maiestatem diuinitatis corporis tegmine tanquam speluncæ abdito contegebat. Illi ergo non cognoscentes persecuti sunt hominem, nec mori potuit nisi in homine, nec crucifigi potuit nisi in homine, quia nec teneri potuit nisi in homine. Opposuit ergo male quærentibus terram, seruauit bene quærentibus uitam. fugit ergo secundum carnem in speluncam à facie Saul, quia passus est

Quod in spelunca Dauid Saulis chlamidem abscidit. XXV

 sus est

ſus eſt, uſq; adeo ſe occultans Iudæis,ut moreretur. Sed quare uſq; ad mor-tem uoluit eſſe patiens,ut fugeret à facie Saul in ſpeluncã. Etenim ſpelunca inferior pars terræ poteſt accipi,& certe quod manifeſtũ eſt,& notum omnibus,corpus eius in monumẽto poſitũ eſt, quod erat exciſum in petra. Hoc ergo monumentũ ſpelunca erat,illuc fugit noſter Dauid à facie Saul. Tam diu enim perſecuti ſunt illũ Iudæi, quo aduſq; poneret̃ in ſpelũca. Sed quid eſt quod Saul perſecutor ad purgandũ uentrẽ ſpeluncã ingredit̃, niſi quod Iudæi in Chriſtũ conceptã mentis maliciã, quaſi odorẽ fœtidũ emiſerũt,& cogitata noxia factis deterioribus,dũ Chriſtũ perimũt oſtẽderũt. ſed tamẽ Dauid Saulẽ occidere noluit, & cũ eũ in abdito occultatus antro haberet in poteſtate,reſeruare potius q̃ occidere maluit:ita & Chriſtus dũ eſſet in ſpelunca carnis,perſecutorẽ populũ in poteſtate habuit,& nõ occidit.Scriptum enim erat de his p̱ prophetã,ne occideris eos.Tamẽ deniq; Dauid ſummitatẽ clamidis eius ſilẽter abſcidit,ut oſtenderet ꝓphetia Chriſtũ Iudæos nõ occidiſſe,ſed tamẽ eius regni gloriã abſtuliſſe,ſicq; eos perſecutiõe ſua uacuos ſede,uel imperio reliquiſſe:clamidis enim abſciſio,regni eſt amputatio.In eo aũt quod tantũ ueneratus eſt Saul ipſe Dauid, ut p̱cuſſo corde pœnituerit,quãdo in tenebroſo occultatus antro,quò etiã Saul urgẽte intrauerat neceſſitate naturæ,exiguã particulã ueſtis eius retrorſum latẽter abſcidit, ut haberet unde mõſtraret quomodo ei pepercerit,cũ poſſet occidere, atq; ita ſuſpicionẽ de animo eius,qua ſanctũ Dauid putãs inimicũ ſuũ uehemẽter perſequebatur,auferret:futuri regni erat umbra in ęternitate mãſuri.Oleũ quippe illud quo unctus eſt pro chriſmate,ab eo Chriſtus eſt dictus.Ne itaq; reus eſſet tanti ſacramenti in Saule uiolati, quia uel indumentũ eius ſic attrectauit,extimuit.Ita enim ſcriptũ eſt. Et p̱cuſſit cor Dauid ſuper eũ,quia abſtulit pinnã clamidis eius.Viri aũt qui cũ illo erãt,ut Saulẽ in manus ſuas traditũ interimeret,ſuadebãt.Non mihi,inquit,cõtingat à domino, ut faciã uerbũ hoc dño meo Chriſto domini,inferre manũ meã ſuper eũ, q̄a Chriſtus domini hic eſt.Huic ergo umbræ futuri nõ propter ipſam, ſed propter illud q̊d præfigurabat,tãta ueneratio exhibebat̃. Moraliter uero quid per Saul niſi mali rectores,quid p̱ Dauid niſi boni ſubditi deſignant̃? Saul igit̃ uentrem purgare,eſt prauos præpoſitos conceptã in corde maliciã uſq; ad opera miſeri odoris extendere,& cogitata apud ſe noxia factis deterioribus exſequendo mõſtrare.Quẽ tamẽ Dauid ferire metuit,quia ſubditorũ mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes,præpoſitorũ uitã nullo linguæ gladio percutiũt,etiã cũ de imperfectione reprehendũt.Qui & ſi quãdo propter infirmitatẽ ſeſe uix abſtinere poſſunt,ut extrema quædã atq; exteriora præpoſitorũ mala,ſed tamẽ humiliter loquãtur,quaſi orã clamidis ſilẽter incidunt:quia uidelicet dũ prælatę dignitati ſaltẽ innoxie & latenter derogãt, quaſi regis ſuperpoſiti ueſtẽ fœdãt.Sed tamẽ ad ſemetipſos redeũt, ſeſq; uehemẽtiſſime uel de tenuiſſima uerbi laceratiõe reprehendũt. Vnde bene &

illic

illic scriptũ est. Post hæc Dauid pcussit cor suũ, eo q abscidisset orã clamidis Saul: facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum reprehendenda recte iudicantur. Si quando uero contra eos uel in minimis lingua labitur, necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, & cum prępositæ potestati deliquerit, eius contra se iudicium à quo sibi prælatus est perhorrescat. Nam cum prępositis delinquimus, eius ordini qui nobis eos prætulit obuiamus. Vnde Moyses quoq; cum contra se & Aaron conqueri populũ cognouisset, ait. Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur uestrum, sed contra dominum.

De aduentu Dauid ad Nabal. XXVI

Posthæc Dauid descendit in solitudinem Aon, ubi Nabal habitabat, nomenq; uxoris eius Abigail, Ad quem Dauid mittens pueros suos, ut quodcunq; inuenisset, manus eius misisset Dauid & pueris suis. Quos ille stulte repellens, nuntiauerunt Dauid. Tũc Dauid accinctus armis, uoluit eũ deprædare. At Abigail abiȷt obuiam Dauid, interpellans pro se & pro domo sua, quem uir eius stulticia & ebrietate sopitus offenderat. Si enim surrexit homo aliquando persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita, quasi in fasciculo uiuentium apud dominum deum tuũ. Porrò anima inimicorum tuorũ rotabitur quasi in impetum, & circulo fundæ. Pulcherrima comparatione statum iustorum à reproborum sorte discernit. Horum quippe animas appellat uiuentes, ut illorum econtrario spirituali morte præoccupatas insinuet: iuxta illud prophetæ. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Hos fasciculo, illos lapidi fundę assimilat. Fasciculus enim constringitur, ut integer maneat, & conseruetur: lapis in funda expeditus ponitur, ut abiȷciatur. Sic etenim in hoc seculo electi pressuris tribulationum coangustantur, ut his admoniti artius se adinuicem manu sui redemptoris in perpetuum conseruent. At uero reprobi quanto latius in hac uita uoluptatibus propriȷs uelut liberi dimittuntur, tanto longius in futuro à diuinæ uisionis gloria proȷciuntur, ut de eis merito dicatur, Equidem ipsi de manu tua repulsi sunt. Mire autem omnipotentem prouidentiam describit superni protectoris cum dicit, animam uiri sancti quasi in fasciculo uiuentium, apud eum esse custoditam, Sicut enim facillimum est cuilibet fasciculum herbæ uel fœni sua manu retentum conseruare, ita uirtus domini & saluatoris nostri omnes per orbem electos ab initio usque in finem seculi, ne quis ex eis ulla ratione pereat, sine labore tuetur, iuxta quod ipse in Euangelio sub figura ouium de eis loquens, & sequuntur me, inquit, & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea. Sicut fasciculus unus, quibuslibet uinculis alligatur, ita omnes cœtus sanctorum una eademq; fide, spe & charitate adinuicem constringitur, uno diuinæ protectionis munimine circundatur. Patet sanè literæ sensus, quia anima Dauid persequentibus licet hostibus custodita semper fuit in sorte uiuentium. Porrò inimici eius insistentibus sibi aduersitatibus sicut lapis funda circumactus, sic instabili motu perturbandi, & suis de finibus essent ex-

pellendi, uel etiã ab humanis rebus auferendi. Et in hoc facto Abigail, quid nobis per renuntiationẽ suã innuit, nisi quod iracundos melius corrigimus, si in ipsa ira sua à cõmonitione declinamus? Perturbati quippe quid audiãt ignorãt, sed ad se reducti, tanto libentius exhortationis uerba recipiũt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autẽ furore ebriæ, omne rectũ quod dicitur, peruersum uidetur. Vnde & recte Nabal ebrio culpã suã laudabiliter tacuit, quam digesto uino laudabiliter dixit. Idcirco enim malum quod fecerat cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audiuit.

Quod Dauid dormiẽti Sauli hastam scyphũq; abstulit. XXVII

Item Dauid fugiens à facie Saul, castra regis ingressus est, & cum dormientẽ inuenisset, non percussit, non occidit, sed solam lanceam quæ erat ad caput eius fixa, & cyphum aquæ, qui erat ad caput eius, sustulit. Dormientibus cunctis egressus de castris, transiuit in cacumine mõtis. Quid ergo est hoc? Persequebãtur namq; Christum Iudæi, sed persequendo dormiebant, quia non uigilabant corde. Duricia enim cordis obdormitio est: dormiunt in uitam ueterem, non euigilant in nouam. Venit Christus nõ eos occidit, sed tulit ab eis cyphum aquæ, id est, gratiam legis: tulit & sceptrum regale, regni scilicet potestatem, quam pro magno habebant, & unde se protegebãt temporaliter, & quam aduersus deum per incredulitatem gerebant. Deinde uictor noster Dauid de castris eorũ regressus, transcendit in altitudinem montis cœlorum.

De prælio Dauid in Amalech. XXVIII

Interea fugiens Dauid dum pergeret ad Achis regem philistinorum, in præliũ aduersus Israel insurrexerũt Amalechitæ, & irruerũt in Sicelech, succendẽtes eã, & captiuãtes omnia quæ erãt Dauid & puerorũ eius. Reuersus ergo Dauid ad persequẽdos Amalechitas, inuenit Aegyptiũ puerum lassescentẽ, quẽ Amalechitæ ægrotũ in itinere reliquerãt. Hũc autẽ Dauid inuentũ, cibo reficit, ducem sui itineris fecit: sicq; Amalechitas persequitur, epulantesq; reperit, & funditus extinguit. Quid est quod Aegyptius Amalechita puer in itinere lassatus residet, nisi quod amator præsentis seculi peccati sui nigredine opertus, sępe ab eodem seculo infirmus despectúsque relinquitur, ut cum eo nequaquã currere ualeat, sed fractus aduersitate torpescat. Hos ergo eligit deus, quos despicit mundus, quia plerunq; ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Is enim qui patrem reliquit, & partẽ substantiæ quã perceperat prodige expendit, postquã esurire cœpit, in se reuersus dixit, Quàm multi mercenarij patris mei abundant panibus. Longe quippe à se recesserat, quando peccauit: & si non esurisset, in se minime redisset. Qui postquam terrenis rebus indiguit, tũc cogitare cœpit, quid de spiritalibus amisit. Infirmi quiq; atq; in hoc mundo despecti, plerunq; tanto celerius uocẽ dei audiunt, quanto & in hoc mundo non habent ubi delectentur. Quod bene iam dictus Amalechitarum puer ille designat, qui Amalechitis prædantibus atq; currentibus æger remansit in uia, fame sitiq; aruit, quem tamen Dauid inuenit, ei cibum potumq; præbuit, qui ilico conualescens dux Dauid factus est, conuiuantes Amalechitas reperit, & eos qui se debilem reliquerãt, cum magna fortitudine prostrauit. Amalechitæ quippe po-

pe po-

pe populus lambens uocatur. Et quid per lambentem populum, nisi mentem secularem designatur. Quæ terrena cuncta ambiendo quasi lambit, dum solis temporalibus delectatur, Quasi enim populus lambens prædam facit, dum terrena diligentes lucra de alienis damnis congregant. Sed puer Aegyptius æger in uia relinquitur, quia peccator quisque dum infirmari ab huius mundi statu cœperit, mox secularibus mentibus in despectum uenit. Quem tamen Dauid inuenit, eiꝗ cibum & potum præbuit, quia manu fortis dominus abiecta mundi non despicit, & plerunque eos qui mundum sequi minime ualent, quasi in uia remanent, ad amoris sui gratiam conuertit, eisꝗ uerbi sui cibum porrigit, & quasi duces sibi in uia dirigit, dum suos etiam prædicatores facit. Dum enim Christum peccatorũ cordibus inferunt, quasi Dauid super hostes ducũt. Qui cõuiuantes Amalechitas uelut Dauid gladio feriunt, quia superbos quosque qui se in mundo despexerãt, domini uirtute prosternunt. Puer ergo Aegyptius qui in uia remanserat, Amalechitas interfecit, quia plerunque ipsi mentes secularium prædicando superant, qui prius cum secularibus in hunc mundum currere non ualebãt.

De Saul cõsulente Pythonissam. XXIX

Post mortem autẽ Samuelis congregati sunt Philistijm cõtra Israel, consuluitꝗ Saul dominum, & non respondit ei. Quæsiuit autem Saul Pythonissam, quæ suscitaret illi Samuelem, statimꝗ suscitatus ait ad eum. Quare inquietasti me ut suscitarer? & cætera. Quæritur secundum historiam, utrũ Pythonissa ipsum prophetam de inferno euocauerit, am aliquam imaginariam illusionem fallacia dæmonum fictam. De qua quæstione beatæ memoriæ Augustinus Mediolanensi episcopo Simpliciano ita scripsit. Inquiris inquã, utrum spiritus immundus qui erat in Pythonissa, potuerit agere ut Samuel à Saule uideretur, & loqueretur cum eo: sed multo maioris miraculi est, quod ipse sathanas princeps immundorum spirituum potuit loqui cum deo, & petere tentandum Iob iustissimum uirum, qui etiam apostolos tentandos petijt. Aut si hoc ideo non habet difficilem quęstionem, quia per quam uoluerit creaturam, cui uoluerit creaturæ, ubiꝗ præsens ueritas loquitur, nec propterea magni meriti est, cui loquitur deus. Interest enim quid loquitur, quia & imperator cum multis innocentibus nõ loquitur, quibus prouidentissime consulit ad salutem: & cum multis nocentibus loquitur, quos iubet interfici. Si ergo propterea hinc nulla quæstio est, nulla sit quæstio, quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti uiri loqui potuerit: omnibus enim sanctis deus creator & sanctificator longe utique maior est. Quod si hoc mouet, quod licuerit maligno spũi excitare animã iusti, & tanquã de abditis mortuorũ receptaculis reuocare, nõnne magis mirãdũ, quod sathanas ipsum dominũ assumpsit, & cõstituit super pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit hoc ille, & modus quo Samueli factũ est, ut excitaretur, similiter latet: nisi forte quis dixerit faciliorẽ fuisse diabolo licentiã ad dominũ uiuũ, unde uoluit assumendum, & ubi uoluit constituendum, ꝗ̃ ad Samuelis defuncti spiritum à suis sedibus excitandũ. Quod si illud in euan-

gelio nos ideo non perturbat, quia dominus uoluit atque permisit, nulla diminutione suæ potestatis & diuinitatis id fieri, sicut ab ipsis Iudæis, quanquam peruersis atque immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri se & uinciri & illudi & crucifigi atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione diuinæ uoluntatis permissum fuisse, ut non inuitus nec dominante atque subiugante magica potentia, sed uolens atque obtemperans occultæ dispensationi dei, quæ pythonissam illam & Samuelem latebat, consentiret spiritus prophetæ sancti se ostendi aspectibus regis, diuina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis à malis uiuis euocata, si uenerit amittere uideatur dignitatem suam, cum uiui plerunque boni uocati ad malos ueniant, & agant cum eis quod officium postulat æquitatis, seruato atque inconcusso decore uirtutis suæ, & illorum uicijs pro rerum præsentium uel usu uel necessitate tractatis? quanquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus, & expeditior intellectus, ut non uere spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam: quam propterea scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt: sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua parte materiæ metalli aut ligni, uel cuiusque rei aptæ ad opera huiusmodi, quæque etiam uidentur & in somnis, & omnes ferè imagines earum rerum quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. Quis enim est qui hominem pictum dubitet uocare hominem, quandoquidem & singulorum quorumque picturam cum aspicimus proprie incunctanter quæque nomina adhibemus: uelut cum intuentes tabulam aut parietem, dicimus ille Cicero est, ille Salustius, ille Achilles, ille Hector: hoc flumen Simois, illa Roma, cum aliud nihil sint, quàm pictæ imagines. Vnde cherubin, cum sint cœlestes potestates, fictæ tamen ex metallo, quod imperauit deus super archam testamenti magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam cherubin illæ quoque effigies uocitantur. Item quisquis uidet somnium, non dicit uidi imaginem Augustini, aut Simpliciani, sed uidi Augustinum, aut Simplicianum, cum eo tempore quo tale aliquid uidit nos ignoraremus, usque adeò manifestum est non ipsos homines, sed imagines uideri. Et Pharao se spicas dixit uidisse in somnis, & boues, non spicarum aut boum imagines. Si ergo liquido constat nominibus eorum quorum imagines sunt, easdem imagines appellari, non mirum est quod scriptura dicit Samuelem uisum, etiam si forte imago Samuelis apparuit, machinamento eius qui transfigurat se in angelum lucis, & ministros suos uelut ministros iusticiæ. Iam uero si illud mouet, quomodo à maligno spiritu Sauli uera prędicta sint, potest & illud mirum uideri, quomodo dæmones agnouerunt Christum, quem Iudæi non agnoscebant. Cum enim uult deus etiam per infimos supremosque spiritus aliquem cognoscere temporalia duntaxat atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est & non incongruum, ut omnipotens & iustus ad eorum pœnam, quibus ista prædicuntur ut malum quod imminet eis antequam ueniat prænoscendo patiantur, occulto ap-

paratũ ministrorũ suorũ, etiã spiritibus talibus aliquid diuinatiõis imparti/at, ut quod audiũt ab angelis, denuntient hominibus. Tantũ autẽ audiũt, quantũ omniũ dominus atq; moderator, uel iubet uel sinit. Vnde etiã spũs pythonicus in actibus Apostolorũ attestatus Paulo apostolo, euãgelizare est conatus. Miscẽt tamẽ isti fallacias, & uerũ quod nosse potuerũt, nõ docen di magis q̃ decipiẽdi fine prænuntiãt, & forte hoc est quod cum illa imago Samuelis Saulẽ prædicaret moriturũ, dixit etiã secũ futurũ, quod utiq; fal/sum est. Magno quippe interuallo post mortem separari bonos à malis in euãgelio legimus, cum dominus inter superbũ illũ diuitẽ, cum iam apud infe ros tormẽta pateret̃, & illũ qui ad eius ianuã ulcerosus iacebat, iã in requie cõstitutus, magnũ chaos interiectum esse testatur. Aut si propterea Samuel Sauli dixit, mecũ eris, ut nõ ad æqualitatẽ felicitatis, sed ad parẽ cõditionem mortis referat̃, ut uterq; homo fuerit, & uterq; mori potuerit, iamq; mortu/us, mortẽ uiuo prænuntiabat: perspicit quantũ opinor prudentia tua, secun/dum utrunq; intellectũ habere exitũ iam lectionẽ, quæ nõ sit cõtra fidẽ: nisi forte profundiore & perplexiore inquisitione, quæ uel uiriũ mearũ, uel tẽpo ris excedit angustias, inueniat̃ ad liquidũ, uel posse uel nõ posse animã hu/manã cũ ex hac uita migrauerit, magicis carminibus euocatã, uiuorũ appa/rere cõspectibus, etiã corporis liniamẽta gestãtẽ, ut nõ solũ uideri ualeat, sed & agnosci: & si potest, utrũ etiã iusti anima nõ q̃dẽ cogat̃ magicis, sed digne tur ostẽdi, occultioribus imperijs summæ legis obtẽperãs: ut si fieri nõ posse claruerit, nõ uterq; sensus in hui⁹ scripturæ tractatiõe atq; expositiõe admit/tatur, sed illo excluso imaginario, simulatio Samuelis diabolico ritu facta in telligat̃. Sed quoniã siue illud fieri possit, siue nõ possit, tamẽ fallacia satha/næ atq; imaginũ simulandarũ callida operatio decipiendis humanis sensi/bus multiformis inuigilat, pedetentim quidẽ ne inquisitionibus diligentiori bus p̃scribamus, sed tamen potius existimemus tale aliquid factũ maligno spũ pythonissæ illius ministerio, q̃diu nobis aliquid amplius excogitare, at/que explicare nõ datur. Igitur exorto prælio percusserunt Philistei Israel plaga magna, mortuusq; est Saul & Ionathas fili⁹ eius. Euadẽs aũt quidã, uenit ad Dauid in Sicelech, & nũtiauit Dauid plagã magnã, quæ facta est in populo, insuper etiã mẽtiẽdo addidit, quod ille p̃cussisset Saul. At Dauid christũ dñi uindicans, iussit eũ occidi. Et planxit Dauid planctũ huius/cemodi super Saul & super Ionathan filiũ eius, & præcepit ut docerẽt filios Iuda, sicut scriptũ est in libro iustorũ. Hoc ideo fecit ut quia Philisteos sagit/tarijs abundare iam nouerat, unde & Saul maxime horum ictibus perierat, eandem bellandi artẽ & sui milites ad reuincẽdos eos discerent. Quod uero sequitur, sicut scriptũ est in libro iustorum, ipsum librum hodie nusq̃, neq; apud ipsos Hebræos inueniri posse asseuerãt, sicut nec librum bellorum do mini, cuius in libro Numerorum mentio est, neq; carmina Salomonis, neq; disputationes eius sapientissimas de lignorũ natura herbarumq; omnium, itemq;

De cæde Saul li. XXX

itemq́ iumentorum, uolucrum, reptilium & piscium: uel quod in libro dierum dicitur, reliqua uero operum Salomonis priorum & nouissimorum scripta sunt in uerbis Nathan prophetæ, & Abiæ Salonitis, in uisione quoque Addo uidentis cõtra Hieroboam filium Nabath: & multa huiusmodi uolumina, quæ scriptura quidem probat, sed hodie constat non esse. Vastata nanque à Chaldæis Iudæa, etiã bibliotheca antiquitus cõgregata inter alias prouinciæ opes hostili est igne consumpta, ex qua pauci qui nunc in sancta scriptura continentur libri, postmodum Esdræ pontificis & prophetæ sunt industria restaurati. Vnde scriptum est de eo. Ascendit Esdras de Babylone, & ipse scriba uelox in lege Moysi: uelox uidelicet quod promptiores literarum figuras quàm eatenus Hebræi habebant, reperit: & in epistola regis Persarũ Artaxersis, Esdræ sacerdoti Scribæ legis dei cœli doctissimo, salus.

De luctu Dauid pro clade Israel. XXXI Montes Gelboe nec rores nec pluuia ueniãt super uos, neque sint agri primitiarum, quia ibi abiectus est clypeus fortiũ, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo) Scire debes quia ueraciter Saul, qui post unctionem sancti chrismatis, à quo & christus domini uocatus est, occidi meruit, mortem ueri Christi, quam sine culpa subire dignatus est insinuat. montes quoq; Gelboe in quibus interijt, superbos Iudaicæ plebis conatus, quibus contra autorem uitæ rebellabant, insinuant. Vnde bene Gelboe uolutatio siue decursus interpretatur. Volutabantur enim in sorde peccatorum, iuxta illud prouerbium, & sus lota in uolutabro luti: atq; à rectitudine uiæ salutaris aberrantes, iam iamq́ ad inferiora, hoc est, huius seculi desideria infima decurrebant, ob quorũ desiderium regẽ cœli & terræ in mortem tradere nõ dubitabant: propter quod eis merito optatur, ne rorẽ de cœlo pluuiamúe suscipiant: quod hodie rebus ipsis uidemus expletũ, in eo quod illos gratia cœlestis deserens ad plebẽ gentiũ translata est. Quod etiã Isaias sub figura uineæ futurũ illis ex persona domini cõminatus est dicens, & nubibus mandabo, ne pluant super eam hymbrem. Quod est aperte dicere, Et Apostolis atq; apostolicis uiris omnibus mandabo, ne illis ultra uerbũ uitæ prædicẽt, sed irrigatione uerbi cœlestis, quod à se proterui repulerunt, indignos in sua sterilitate uacuos, ac perpetuo igni comburendos relinquant. De quibus & bene dicitur, ut agri primiciarum esse non possint. Superbę quippe Hebræorum mentes primitiuos fructus non ferũt, quia in redemptoris aduentu ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluerunt. Sancta namq; ecclesia in primitijs suis multitudine gentium fœcundata, uix in mundi fine Iudæos, quos inuenerit, suscipit: & extrema colligens, eos quasi reliquias frugum ponit. De quibus nimirum reliquijs Isaias dicit. Si fuerit numerus filiorũ Israel quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Possunt tamẽ idcirco Gelboe montes ore prophetæ maledici, ut dum fructus exarescens è terra non oritur, possessores terræ sterilitatis damno feriantur, quatinus ipsi maledictionis sententiam accipiant, qui apud se mortem regis suscipere

iniqui-

iniquitate sua exigente metuissent. Nec tibi absurdũm uideri debet, ut mala reproborum acta boni aliquid significent, aut rursum bona iustorum opera in contraria significatione ponantur. Lege moralia sancti papæ Gregorij, ubi exposuit quomodo beatus Iob maledixit diei suo dicens, pereat dies in qua natus sum, & cætera, & uidebis quia usitatissimum est in scripturis, ut & bona in malorum significatione accipiantur, & econuerso. Deniq; Vriam fidelissimum Dauid regis militem, ac pijssima atq; innocentissima eius opera uel dicta in mala significatione, & econtra ipsum Dauid in maximo suo scelere in bono accipiendum interpretantur. Alioquin si non per bona malũm, & bona per malum significari possent, nunquam liceret nigro atramento nomen dei, sed semper lucido auro deberet scribi, quia deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ: nec rursum in titulis psalmorum nomen Absalon & Doech hominũ reproborum minio fulgẽte, sed solo atramento deberet scribi. Sicut ergo in paginis librorum quouis colore, & mala possunt & bona absq; ulla reprehensione figurari: ita & in parte significationũ per quælibet hominum gesta, & bona rectissime & mala possunt exprimi: quamuis & multo sæpius contingat, & multo dulcius audiatur, bona per bona, & mala figurari per mala. Sicut autem in pictura parietum neq; obscurum æthiopem candido, neq; candidi corporis siue capilli Saxonem atramento decet depingi: ita in retributione meritorum iuxta suũ quisq; opus recipiet, & qualis erit actu, talis etiam uultu apparebit in iudicio, neq; omnino ad rem quid quisque figurarit, sed quid egerit pertinebit.

INDEX CAPITVM
LIBRI SECVNDI

FINIS

DIVI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVN IN LIBROS REgum,ad Veranium & Salonium fratres episcopos, Liber secundus.



ROMISSIONES dei quæ factæ sunt ad Abraham, cuius semini & gentem Israeliticam secundum carnem, & omnes gentes deberi secundum fidem, deo pollicente didicimus,quemadmodum compleantur per ordinē temporum procurrens dei ciuitas indicauit. Quoniam ergo superioris libri usq; ad regnum Dauid factus est finis,nunc ab eodē regno quantū suscepto operi sufficere uideat', cætera quę sequūtur attingimus. Hoc itaq; tēpus, ex quo sanctus Samuel prophetare cœpit, & deinceps donec populus Israel captiuus in Babyloniā duceretur, atq; inde secūdū sancti Hieremiæ prophetiā,post LXX annos reuersis Israelitis domus dei instauraretur,totū tēpus est prophetarū. Quāuis enim & ipsum Noe patriarchā,in cuius diebus diluuio uniuersa terra deleta est,& alios supra & infra usq; ad hoc tempus, quo reges in dei populo esse cœperunt, propter quædā per eos futura, siue quoquo modo significata siue prædicata,quæ pertinerēt ad ciuitatē dei regnumq; cœlorū,nō immerito possumus appellare prophetas,præsertim quia nōnullos eorū expressius legimus nūcupatos,sicut Abrahā,sicut Moysen:tamē dies ꝓphetarū pręcipue maximeq; hij dicti sunt,ex quo cœpit prophetare Samuel,qui & Saulē prius, & eo reprobato,ipsum Dauid deo præcipiēte unxit in regē,de cuius stirpe cæteri procederēt,quousq; illos succedere sic oporteret.Quæ igitur à prophetis sint prædicta de Christo,cum moriēdo decedentibus,& nascēdo succedentibus suis membris ciuitas dei per ista curreret tēpora, si omnia uelim commemorare in immēsum pergitur:primū quia ipsa scriptura quæ per ordinē reges eorumq; facta & euenta disserens uidetur tanq; historica diligentia rebus gestis occupata esse narrandis,si adiuuante dei spiritu cōsiderata tractetur,uel magis uel certe non minus prænuntiandis futuris quàm præteritis enuntiandis inuenietur intenta: & hoc perscrutando indagare ac disserendo monstrare,quàm sit operosum atque prolixum,& quàm multis indigeat uoluminibus, quis ignorat, qui hæc uel mediocriter cogitat? Deinde quia ea ipsa quæ ad prophetiam non ambigitur pertinere, ita sunt multa de Christo regnoq; cœlorum,quę ciuitas dei est,ut ad hoc aperiendū maior sit disputatio necessaria, q̃ huius operis modus flagitat. Proinde ita si potuero stilū moderabo meū,ut huic operi in dei uoluntate peragendo,nec ea quæ supersunt dicā,nec ea quæ satis sunt prætermittā. Erat igitur iam in terra promissionis semen Abrahæ,id est,populus Israel secundum carnem, atq; ibi nō solū tenendo ac possidendo ciuitates aduersariorū uerum etiam

reges habendo regnare iam cœperat, impletis de ipso populo promissionibus dei magna iam ex parte, non solũ quæ tribus illis patribus, Abraham, Isaac & Iacob, & quæcũq; aliæ temporibus eorũ, uerũ etiam quæ per ipsum Moysen, per quẽ populus idem de seruitute Aegyptia est liberatus, & per quẽ cuncta præterita reuelata sunt temporibus eius, cum populum per heremum duceret, factæ fuerant. Neq; autem per insignem ducem Iesum Naue per quem populus ille in promissionis inductus est terrã, expugnatisq; gentibus eam XII tribubus, quibus iusserat deus, diuisit, & mortuus est: neque post ullũ tãto tempore iudicem impleta fuerat promissio dei de terra Chanaan, à quodã flumine Aegypti, usq; ad flumen magnũ Eufraten: nec tamẽ adhuc prophetabatur futurũ, sed expectabatur implendum. Impletum est autẽ per Dauid, & eius filium Salomonẽ, cuius regnũ tanto quãto promissum fuerat spacio dilatatũ est. Vniuersos quippe illos subdiderunt, tributariosq; fecerunt. Sic igitur in terra promissionis secundũ carnẽ, hoc est, in terra Chanaan, sub regibus semen Abrahæ fuerat constitutũ, ut nihil inde super esset, quo terrena illa promissio dei nõ cõpleretur: nisi ut in eadẽ terra quantum ad prosperitatẽ attinet tẽporalẽ, posteritatis successionũ incõcusso statu usq; ad mortalis huius seculi terminũ gens permaneret Hebræa, si domini dei sui legibus obediret. Sed quoniã deus nouerat, hoc eam nõ esse facturam, usus est eius etiã temporalibus pœnis ad exercendos in ea paucos fideles suos, & admonẽdos qui postea futuri erãt in omnibus gẽtibus, quod eos admoneri oportebat, in quibus alterã promissionẽ reuelato nouo testamento per incarnationẽ Christi fuerat impleturus. Quo circa sicut oracula illa diuina ad Abrahã, Isaac, & Iacob, & quæcunq; alia signa uel dicta prophetica in sacris literis præcedẽtibus facta sunt: ita etiã cæteræ ab isto regũ tempore prophetię partim pertinẽt ad gentẽ carnis Abrahæ, partim uero ad semẽ illud eius, in quo benedicent omnes gẽtes cohęredes Christi per testamentũ nouũ, ad possidendũ uitã æternã regnumq; cœlorũ. Partim ergo ad ancillã quæ in seruitute generat, id est, terrenã Hierusalẽ, quæ seruit cũ filijs suis: partim uero ad liberã ciuitatẽ dei, id est, uerã Hierusalẽ æternã in cœlis, cuius filij omnes secundũ deũ uiuentes peregrinant in terris. Sed sunt in eis quædã quæ ad utranq; pertinere intelligant, ad ancillã proprie, ad liberã figurate. Tripartita itaq; reperiũtur ꝓphetarũ eloquia. Siquidẽ aliqua sunt ad terrenam Hierusalẽ spectãtia, aliqua ad cœlestẽ, nõnulla ad utrãq;. Post mortem Saul, uenerũt uiri Iuda, & unxerũt Dauid in Hebron, ut regnaret super domũ Iuda. Et nũtiatũ est Dauid quod uiri Iabes Galaad sepelissent Saul. Misit ergo Dauid nuntios ad uiros Iabes galaad, dixitq; ad eos. Benedicti uos domino, quia fecistis misericordiã hãc cũ domino uestro Saul, & sepelistis eũ. Et nũc retribuet quidẽ uobis dominus misericordiã & ueritatẽ) Cur ergo isti qui Saulẽ & eius filiũ sepelierũt, misericordiã fecisse dicuntur, & ob hoc à rege pio benedicũtur: nisi quia bene afficiunt corda miserantiũ, quando cõdolẽt mortuorũ corporib. alienis, quæ illo affectu, quo nemo carnem suam

De unctione Dauid. II

suã unq̃ odio habuit, uolunt fieri post mortẽ suam corporibus suis: & quod sibi exhiberi uolũt, quãdo sensuri nõ sunt, alijs nõ sentientibus curãt exhibere dum sentiunt. Dauid uncto super domũ Iuda rege, Abner filius Ner, Hisboseth filiũ Saul regẽ constituit super uniuersum Israel. Egressusq́ʒ est Abner filius Ner cũ pueris Hisboseth, de castris Gabaon. Porrò Ioab filius Saruiæ cũ pueris Dauid egressi de Hebron, cõcitauerũt bellũ iuxta piscinã Gabaon, & persequebatur Asahel Abner. Locutus est Abner ad Asahel dicens. Recede noli me sequi, ne cõpellar confodere te in terra. Qui cõtempsit, & noluit declinare. Percussit ergo eũ Abner auersa hasta in inguine, & transfodit eũ, & mortuus est) Cuius Asahel typũ tenuit, nisi eorũ quos uehementer arripiens furor, in præceps ducit: qui in eodem furoris impetu tanto cautius declinãdi sunt, quãto & insanius rapiunť. Vnde & Abner qui sermone nostro patris lucerna dicitur, fugit: quia doctorũ lingua quæ supernũ dei lumen indicat, cum per abrupta furoris mentẽ cuiuspiam ferri cõspicit, cumq́ʒ cõtra irascentẽ dissimulat uerborũ iacula reddere, quasi persequentẽ nõ uult ferire. Sed cum iracundi nulla cõsideratione se mitigant, quasi Asahel persequi & insanire nõ cessat, necesse est ut hij qui furẽtes reprimere conantur, nequaq́ʒ se in furore erigant, sed quicquid est tranquillitatis ostendãt: quædam uero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animũ pungãt. Vnde & Abner cũ cõtra persequentẽ subsistit, nõ eũ recta, sed auersa hasta transforauit. Ex mucrone quippe percutere, est impetu apertę increpationis obuiare: auersa uero hasta persequentẽ ferire, est furentẽ tranquille ex quibusdã tãgere, & quasi parcẽdo superare. Asahel aũt protinus occubuit, quia cõmotæ mẽtes dum parci sibi sentiunt, & tamẽ responsorũ ratiõe in intimis sub tranquillitate tangunť, ab eo quod se erexerãt, statim cadũt. Qui ergo à feruoris sui impetu sub lenitatis percussiõe resiliũt, quasi sine ferro moriunť.

Igitur ueniẽtes filij Remon Berothitæ, Rechab, & Bahana, ingressi sũt feruẽte die, in domũ Hisboseth, q dormiebat supra stratũ suũ meridie. Ingressi sunt aũt domũ, & hostiaria dom⁹ purgãs triticũ obdormiuit: assumẽtes spicas tritici latẽter ingressi sunt, & pcusserũt eũ in inguine) Ostiaria triticũ purgat, cum mentis custodia discernẽdo uirtutes à uitijs separat. Quæ si obdormierit, in mortẽ proprij domini insidiatores admittit: quia cum discretionis sollicitudo cessauerit, ad interficiendũ animũ malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollũt, quia mox bonarũ cogitationũ germina auferunt: atq́ʒ in inguine feriunt, quia uirtutẽ cordis delectatione carnis occidũt. In inguine quippe ferire est, uitã mentis carnis delectatione perforare. Nequaq́ʒ uero Hisboseth iste morti succũberet, si nõ ad ingressum domus mulierem, id est, ad mentis aditũ mollẽ custodiã deputasset. Fortis nãqʒ uigilq́ʒ sensus præponi cordis foribus debet, quẽ nec negligentiæ somnus opprimat, nec error ignorantiæ fallat: unde & bene Hisboseth appellatus est, qui custode fœmina hostium gladijs nudatur. Hisboseth quippe, uir cõfusionis dicitur,

uir autē confusionis est, qui forti mentis custodia munitus nō est: quia dum uirtutes se agere existimat, subintrantia uitia nescientem necant. Tota igitur uirtute muniendus est aditus mētis, ne quādo eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Congregauit autē Dauid omnes electos ex Israel xxx milia. Surrexit itaq; & abijt, & uniuersus populus qui erat cum eo de uiris Iuda, ut adducerēt archā dei super qua inuocatum est nomē domini exercituū, sedente cherubin super eam) Congregauit Dauid omnes electos ex Israel xxx milia, quia dominus ecclesiā primitiuā ex Israel instituit, nō quidē omnē Israel, sed electos quosq; sibi cōsocians. Non enim omnes qui ex Israel, hij sunt Israelitæ, sed filij promissionis deputātur in semine. Qui xxx milia fuisse referuntur, id est, fidei, operis, & spei firmitate perfecti. Tria enim propter cōfessionē sanctæ trinitatis ad fidem pertinent, decē propter decalogū legis ad opera, mille propter sui perfectionem ad spem uitæ æternæ, qua superius aliquid nō est, sicut numero millenario maior nullus est. Si enim x milia, si xxx milia, si etiam mille milia dixeris, nō ipsum mille numerādo transcendēdo, sed per se, uel per minores numeros sæpius ducendo multiplicas. Tria ergo per decē multiplica, ne fides sine operibus mortua sit. Item triginta per mille multiplica, ut fides quæ per dilectionē operatur, nō alibi q̄ in cœlis retributionē speret. Electi igitur ex Israel, populos recte credentes, operātes, sperantes insinuant. Viri aūt Iuda qui erant cū Dauid, ipsos populos & doctores, qui lateri Christi quasi familiarius adhærebāt, indicant: quo utroq; stipatus exercitu, domini archā adducere, id est, ecclesiā dilatare, & in eorū qui nō crediderūt cordibus inserere gaudet. Imponit᷑ autē archa plaustro nouo, ut noui testamēti gratia renouatis in baptismo mētibus infundat᷑, uinumq; nouū nouis utribus mandetur. Erat quidē prius archa in domo Amminadab, qui erat in Gabaa: quia eadem quæ nūc prædicatur ecclesiæ fides, & ante incarnationis dominicæ tempus florebat in his qui patriarcharū prophetarumq; sunt deuotionē secuti. Amminadab enim qui interpretat᷑ pater meus spontaneus, uel Abrahā patrem fidei, uel Moysen legislatorē significat, qui uterq; in Gabaa custodit archā, quia sublimi uirtutis exēplo credentiū pectora munit. Vnde & Gabaa collis interpretat᷑, qui est locus in ciuitate Cariathiarim. Allata ergo foris archa, ludebat Dauid & omnis Israel corā domino diuersis musicorū generibus: quia mox inchoante nouæ gratiæ prçconio, dominus ad exhibendas deo patri laudes humilitatis omnes inuitat dicēs, Qui mihi ministrat, me sequatur: alij dando per spūm sermonē sapiētiæ, alij sermonē sciētiæ, alij genera linguarū, alij gratiā curationū, & cętera. Sed his atq; huiusmodi charismatum generibus progrediēte archa, id est, crescēte ecclesia primitiua, uentū est ad areā Naor, id est, aream præparatā, gentiū uidelicet ecclesiā fidei ueritate cōsecrandā: de qua Ioānes ait, & permūdabit aream suā. Ibi sacerdos qui archā incautius quasi corrigēdo tetigit, mox à domino percussus, occubuit: quia

De adducta archa per Dauid. IIII

quia Iudæorũ populus dũ gẽtibus inuidet,salutis se munere priuat, dumq; legẽ uult euãgelio miscere,utriusq; sibi gratiã tollit.Et tenuit, inquit, eã quoniam calcitrabãt boues.Boues quippe calcitrare est, prædicatores euãgelij liberius circa fidẽ agere,neq; secundũ cõsuetudinẽ legis ingredi, sed sabbata, neomenias,circumcisionẽ,uictimasq; spũaliter interpretari. Quos uelut errantes corrigere tentabant, qui descendẽtes de Iudæa docebãt fratres, quia nisi circũcidamini secundũ morẽ Moysi,nõ potestis salui fieri: & de quibus Iacobus ad Paulũ, Vides,inquit, frater, quot milia sunt in Iudæis,qui crediderunt,& omnes æmulatores sunt legis?Ob causam igitur sacerdotis occisi, noluit Dauid ad se diuertere archã domini in ciuitatẽ Dauid,sed diuertit eã in domo Obetedom Gethei,Quia respuentibus uerbũ Iudæis, ne amplius audita & nõ suscepta prædicatio noceret, Apostoli ab eis ablati, & ad gẽtes imbuẽdas missi sunt. Vnde & locus areæ Naor,quę gentiũ fidẽ domini gratiæ præparatã demõstrat,percussio Oza nũcupat᷑, uidelicet quia illorũ delicto salus gẽtibus aduenit. Obetedom nãq; interpretat᷑ seruiens homo,ille est utiq;,de quo dominus ad patrẽ,Cõstitues,inquit,me in caput gentiũ,populus quẽ nõ cognoui seruiuit mihi. Vbi & Iudęorũ abiectionẽ,quasi Ozæ mortẽ præmittens,ait:Eripies me de cõtradictionibus populi.Nomẽ quoq; urbis cõgruit,Hæc enim interpretat᷑ torcular,significãs crucẽ, in qua uitis uera calcari & exprimi dignata est,à qua cunctus gentiũ populus merito Getheus appellari potest,cũ dicitur:Mihi autẽ absit gloriari,nisi in cruce domini nostri Iesu Christi.Tres autẽ menses,quibus ibidẽ arca demoratur:fides, spes & charitas est. Sicut enim dieb. adimplet᷑ mẽsis,ita singulæ uirtutes suis quæq; passibus ad perfectionẽ ueniũt.Hij mẽses quousq; plenitudo gentium intret,currere nõ cessant.Tandẽ rediens Dauid,arcã in ciuitatẽ Dauid inducet,quia dominus Enoch & Helia prædicantibus, conuertet corda patrum in filios.Boues & arietes immolãs, hoc est,eos qui aream domini triturant,& ouiũ eius ducatũ gerunt,martyrij sanguine coronãs,& ipse quoq; suę incarnationis & passionis exemplũ eatenus Iudæis nõ creditũ palàm manifestans.Hoc enim significat,quod & ipse Dauid accinctus erat ephot lineo, quod de terra procreatũ multiplici labore ad candorẽ uestis peruenit,ueritatem humanæ carnis inter flagella triũphantis ostẽdit. Verũ cũctis exultantibus,& ad arcæ cœlestis introitum hymnos resonantibus: sola Michol filia Saul arcã ducentibus abest, quin etiã per speculũ Dauid humiliatũ despicit:quia credentibus in mũdi fine Iudæis,erunt nõnulli qui Christũ professione,sed opere sequãtur antichristũ:quibus merito cõgruit,quod eadẽ Michol,quæ ob figurandã instabilitatẽ carnaliũ,aqua omnis interpretatur, nõ uxor Dauid,sed filia Saul appellatur: quia qui fidetenus Christo seruiũt,nõ illius regno coronandi,sed persecutorũ eius,quos imitati sunt, anathemate sunt damnãdi. Verũ si despiciant humilitatẽ ecclesiæ,cõdemnãtur:nihilominus arca domini suũ locũ ingreditur, & ponit᷑ in medio tabernaculi, quod

tetenderat ei Dauid, id est, fides ecclesiæ prædicatur, proficit, inseritur cordibus omnium, quos dominus ad uitam præordinauerat æternam.

Offert Dauid holocausta & pacifica coram domino, fidem deuotionémque ecclesiæ commendat patri Christus qui est ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis, qui in exemplum Dauid fideles humilésque benedicens, salubris mysterij pascit alimentis, partitur singulis collyridam panis unam, illius utique qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Et assaturam bubulæ carnis unam, illius scilicet uituli saginati, qui pro reuertente ad patrem filio iuniore mactatus, & igne passionis assatus est dicens, Exaruit uelut testa uirtus mea. Et similam frixam oleo, carnem uidelicet à peccati labe mundissimam, sed ob humanæ salutis uberrimam dilectionem, crucis sartagine tortam. Et merito una panis collyrida, & una carnis assatura datur, quia unus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus & pater omnium. Aliter hæc munera fideles accipiunt, quando unus panis, & unum corpus multi sumus in Christo, & suæ carnis singuli lasciuiam castigantes, ac seruituti subijcientes, spiritus sancti igne decoquunt, nec non & fructus operum bonorum oleo misericordiæ pinguissimos compassione proximi feruere faciunt. At contra filia Saul frustra cubiculum regis ingressa, nullus concepti seminis fœtus datur, quia qui uerbum Dei auretenus percipiunt, absque boni operis prole diem perpetuæ mortis expectant. In hac historia beati regis & prophetæ Dauid, qua arcam dei adduxisse narratur: moraliter humilitas adprobata, superbia damnata, & temeritas uindicata monstratur: quia & ipse Dauid coram arca domini humiliter saltando non erubuit, mox promissionem filij dei ex sua stirpe nasciturі suscipere promeruit: & coniunx quæ eandem illius humilitatem despexit, eius semine fœcundari non merita, perpetuæ sterilitatis pœnam luit. Intueri enim libet, quanta uirtutum munera Dauid perceperat, atque in his omnibus quàm forti se humilitate seruabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam exsternere, à rege proposita extinctis allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctúmque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere? Et tamen cum arcam dei Hierusalem reuocat, quasi oblitus prælatum se hominibus, admixtus populis ante arcam saltat: & quia coram arca saltare, ut creditur, uulgi mos fuerat, rex se in diuino obsequio per saltatum rotat. Ecce quem dominus cunctis singulariter prætulit, sic se sub domino & exæquando minimis & abiecta exhibendo contemnit: non potestas regni ad memoriam ducitur, non subiectorum oculis saltando uilescere metuit, non se honore prælatum cæteris ante eius arcam qui honorem dederat recognoscit: coram deo egit debilia uel extrema, ut illa ex hu

militate

militate solidaret, quæ corã hominibus gesserat fortia. Quid de eius factis ab alijs sentiatur ignoro, ego Dauid plus saltantem stupeo quàm pugnantem. Pugnando quippe hostem subdidit, saltando autem coram domino semet ipsum uicit. Quem Michol Saul filia adhuc ex tumore regij generis insana, cum humiliatum despiceret dicens, quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur unus de scurris: protinus audiuit: Ante dominum qui elegit me potius quàm patrem tuũ: ac paulopost ait: & ludam & uilior fiam, plus quàm factus sum, eroq; humilis in oculis meis. Ac si aperte dicat. Vilescere coram hominibus appeto, quia me coram deo ingenuum per humilitatem quæro. Sunt uero nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt, quia in honoribus positi, nihil se esse nisi puluerem fauillamq; perpendunt: sed tamen coram hominibus uiles apparere refugiunt, & contra hoc quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius uenustate palliantur. Et sunt nonnulli qui uiles uideri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt deiectos se exhibendo contemnunt: sed tamen apud se introrsus quasi ex ipso merito ostensæ uilitatis intumescunt, & tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elationem premunt: quæ utraque elationis bella, magna Dauid circumspectione deprehendit, mira uirtute superauit. Quia enim de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non quærit, insinuat dicens, Ludam & uilior fiam. Et quia per hoc quod uilem se exterius præbuit, nequaquam interius intumescit, adiungit, Eroq; humilis in oculis meis. Ac si dicat, Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me interius adtendo. Quid ergo acturi sunt quos doctrina eleuat, si Dauid ex carne sua uenturum redemptorem nouerat, eiusq; gaudia prophetando nuntiabat, & tamen in semetipso ceruicem cordis ualida discretionis calce deprimebat dicens: eroq; humilis in oculis meis? Sacerdos quoque qui arcam inconsiderata temeritate tetigit, ausus sui reatum immatura morte purgauit, minores deterioresq; demonstrat, qui intelligere non ualent, & despiciunt uel facta uel dicta meliorum: sed eo ab eis nõ temere reprehendenda sunt, quo adprehendi nequaquam ueraciter possunt. Sæpe aliquid à maioribus dispensatorie agitur, quod à minoribus error putatur: sæpe multa à fortibus dicuntur, quæ idcirco infirmi dijudicant, quia ignorant. Quod bene bubus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca signauit, quam leuites qui casuram credens erigere uoluit, mox sententiam mortis excepit. Quid est namque mens iusti, nisi arca testamenti? Quæ gestata bubus calcitrantibus inclinatur, quia nonnunquam etiam qui bene præest, dum subiectorum populorum confessione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione permouetur. Sed in hoc quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa fortitudinis, casus putatur imperitis. Vnde & nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt:

ſed ad uicia ipſa ſua temeritate deficiunt. Leuites ergo quaſi manū adiuuās tetendit, ſed delinquens uitam perdidit: quia dum infirmi quiꝗ fortiū facta corripiunt, ipſi à uiuentium ſorte reprobantur. Aliquando etiam ſancti uiri quædā minimis condeſcendentes dicunt, quædā uero ſumma contemplantes proferunt, dumq́ꝫ uim uel cōdeſcenſionis uel altitudinis neſciunt, audacter hæc ſtulti reprehendūt. Et quid eſt iuſtū de ſua cōdeſcenſione uelle corrigere, niſi inclinatā archā ſuperba reprehenſionis manu releuare? Quid eſt iuſtum de incondita locutione reprehēdere, niſi motū eius fortitudinis lapſum putare. Sed perdit uitā qui arcam dei tumide ſubleuat, quia nequaꝗ ſanctorum recta corrigere præſumeret, niſi de ſe prius meliora ſenſiſſet. Vnde & leuites iſdem recte Oza dicitur, quod uidelicet robuſtus domini interpretatur, quia præſumptores quiqꝫ niſi audaci mente robuſtos ſe in domino crederent, nequaquam meliorum facta uel dicta uelut infirma iudicarēt.

Dauid à propheta uetatur ædificare templū. V

Poſt hæc cum regi Dauid multa proſpera proueniſſent, cogitauit facere deo domum, templum ſcilicet illud excellentiſſimum diffamatum, quod à rege Salomone filio eius poſtea fabricatum eſt. Hoc eo cogitante, factum eſt uerbum domini ad Nathan prophetam, quod perferret ad regē. Vbi cum dixiſſet dominus, quod non ab ipſo Dauid ſibi ædificaretur domus, neqꝫ per tantum tempus ſe mandaſſe cuiquā in populo ſuo, ut ſibi fieret domus cedrina, & nūc inquit hęc dices ſeruo meo Dauid. Hęc dicit dominus. Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius: ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius uſqꝫ in ſempiternum: ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Hanc tam grandem promiſſionem qui putat in Salomone completam, multum errat. Adtendit enim quod dictum eſt, hic ædificabit mihi domum, quoniā Salomon templum illud nobile ſtruxit: & non adtendit, fidelis erit domus eius, & regnū eius uſqꝫ inæternum coram me. Adtendat ergo & aſpiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis, colentibus deos falſos, & ipſum ab eis regem aliquando ſapientem in eandem idololatriam ſeductum atqꝫ deiectum: & non audeat exiſtimare deum, uel hoc promiſiſſe mendaciter, uel talem Salomonem domumq́ꝫ eius futuram non potuiſſe præſcire. Non hinc autem deberemus ambigere, nec ſi non in Chriſto Ieſu domino noſtro, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, iam uideremus iſta compleri, ne uane atqꝫ inaniter hic alium aliquem requiramus, ſicut carnales Iudæi. Nam & ipſi uſqꝫ adeo filium quem loco iſto regi Dauid promiſſum legūt, dicunt non fuiſſe Salomonem, ut eo qui promiſſus eſt, tanta iam manifeſtatione declarato, adhuc mirabili cæcitate aliū ſe ſperare dicant. Facta eſt quidem nonnulla imago rei futuræ etiam in Salomone, in eo quod templum ædificauit, & pacem habuit ſecundum nomen ſuum: Salomon quippe pacificus latine: & in exordio regni ſui mirabiliter laudabilis fuit: ſed eadem

ſua

sua persona per umbrã futuri prænũtiabat etiã ipsum Christũ dominũ, nõ exhibebat. Vnde quædã de illo ita scripta sunt, quasi de ipso ista prædicta sint, dũ scriptura sancta etiã rebus gestis prophetissa, quodãmodo in eo figurã deliniat futurorũ. Nã præter libros diuinæ historiæ, ubi regnasse narratur, psalmus etiã LXXI titulo nominis eius inscriptus est: in quo tã multa dicunt, quæ omnino ei cõuenire nõ possunt, domino autẽ Christo aptissima perspicuitate cõueniũt, ut euidenter appareat, quod in illo figura qualiscũq; adumbrata sit, in isto ueritas præsentata. Notũ est enim quibus terminis regnũ cõclusum fuerat Salomonis, & tamẽ in eo psalmo legit, ut alia taceã, dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terræ, quod in Christo uidemus impleri. A flumine quippe dominãdi sumpsit exordiũ, ubi baptizatus à Ioãne, eodẽ mõstrãte cœpit agnosci à discipulis, qui eũ nõ solũ magistrũ, uerũ etiã dominũ appellauerunt. Nec ob aliud uiuente adhuc patre suo Dauid, regnare Salomon cœpit, quod nulli regũ illorũ contigit, nisi ut hinc quoq; satis eluceat, nõ esse ipsum quẽ prophetia presignat, ista quæ ad patrẽ eius loquitur dicẽs. Et erit cũ cõpleti fuerint dies tui, & dormieris cũ patribus tuis, suscitabo semẽ tuũ post te, qui exiet de uentre tuo, & præparabo regnũ illius. Quomodo ergo propter id quod sequitur, Hic ædificabit mihi domũ, iste Salomõ putabit prophetatus: & nõ potius propter id quod præcedit, cum cõpleti fuerint dies tui, & dormies cũ patribus tuis, suscitabo semẽ tuũ post te, alius pacificus intelligit esse promissus, qui nõ ante sicut iste, sed post mortẽ Dauid prænuntiatus est suscitandus. Cũ enim longo interposito tẽpore Iesus Christus ueniret, proculdubio post mortẽ regis Dauid, cui sic est promissus, eũ uenire oportebat, qui ædificaret domũ deo, nõ de lignis & lapidibus, sed de hominibus, qualẽ illũ ædificare gaudemus. Huic enim domui dicit Apostolus, hoc est, fidelibus Christi: Templũ enim dei sanctũ est, quod estis uos. Propter quod in psalmo LXXXVIII, cuius titulus est, intellectus ipsi Ethan Israelitæ, cõmemorant promissiones dei factę regi Dauid, sicut & in hoc regũ libro positæ sunt, ita & ibi quædã similia dicuntur: sicut est illud. Iuraui Dauid seruo meo usq; in æternũ, præparabo semen tuũ, & cætera. Illud uero quod dicit, si quid inique aliquid gesserit, arguam eum in uirga uirorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autẽ meã non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quẽ amoui à facie mea: nõ dixit ab eis, sed dixit ab eo. Non enim Christi ipsius, qui est caput ecclesiæ, possunt inueniri ulla peccata, quæ opus esset humana correptiõe seruata misericordia diuinit⁹ coerceri, sed in eius corpore ac mẽbris quod populus eius est. Illud uero quod locutus est deus ꝑ Nathan ad Dauid, nullo modo prætermittendũ est ubi ait, Et ponã locũ populo meo Israel, & plantabo illũ, & inhabitabit seorsum, & nõ sollicitus erit ultra, & nõ apponet filius iniquitatis humiliare eũ sicut ab initio, à dieb⁹ quib. cõstitui iudices super populum meũ Israel. Hoc tam magnum bonum quisquis in hoc seculo & in hac terra

sperat

ſperat,inſipiẽter facit. An quiſpiam putabit in pace regis Salomonis id eſſe completũ. Pacem quippe illam,ſcriptura in umbra futuri excellenti prædicatione cõmendat. Sed huic ſuſpitioni uigilanter occurſum eſt,cum poſtea ꝙ dictũ eſt,& nõ apponet filius iniquitatis humiliare eum,cõtinuo ſubiunctũ eſt,ſicut ab initio à diebus,quibus cõſtitui iudices ſuper populũ meum Iſrael. Iudices namq; priuſꝙ reges ibi eſſe cœpiſſent,ſuper populũ illum fuerãt cõſtituti,ex quo terrã promiſſionis accepit: & utiq; humiliabat eũ filius iniquitatis,id eſt,hoſtis alienigena per interualla temporũ,quibus leguntur pacem alternaſſe cum bellis,& inueniuntur illic pacis tẽpora prolixiora,ꝙ Salomon habuit,qui XL regnauit annos. Nã ſub eo iudice, qui eſt appellatus Aoth,LXXX pacis anni fuerunt. Abſit ergo ut Salomonis tempora in hac promiſſiõe prędicta eſſe credant,multo minus cuiuslibet regis alterius. Nõ enim quiſꝙ eorũ in tanta,quanta ille pace regnauit,nec unꝙ omnino gens illa regnum tenuit,ut ſollicita nõ fuerit, ne hoſtibus ſubderetur:quia in tãta mutabilitate rerum humanarũ nulli aliquãdo populo cõceſſa eſt tanta ſecuritas,ut huius uitæ hoſtiles nõ formidaret incurſus. Locus ergo iſte qui promittitur tam pacatæ ac ſecuræ habitationis,æternus eſt, æterniſꝙ debet in illa Hieruſalẽ libera,ubi erit ueraciter populus Iſrael. Hoc enim nomẽ interpretatur,uidens deũ,cuius pręmij deſiderio,pia per fidẽ uita in hac erumnoſa peregrinatione ducenda eſt. Nuntiante uerba hæc Nathan ad Dauid, ingreſſus eſt rex Dauid,& ſedit coram domino) Quid in hac ſeſſiõe intelligendum eſt,niſi quia ſedit in cõſpectu domini,ſiue ubi erat archa teſtamẽti per quã iam ſecretior & cõmendatior præſentia quædã domini accipi poteſt:ſiue quia oraturus ſedit,quod nõ fit recte niſi in cõſpectu dei,hoc eſt,in intimis cordis? Poteſt enim ſic accipi quod dictũ eſt ante dominũ, ubi nullus eſſet hominum,qui audiret orantẽ. Siue ergo propter archam teſtamenti,ſiue propter ſecretum remotis arbitris,ſiue propter intimũ cordis,ubi erat orantis affectus,cõuenienter dictum eſt,ſedit ante dominũ: niſi forte quod ſedens orauit,hoc mouet, cum & ſanctus Helias hoc fecerit, quando pluuiam orando impetrauit. Quibus ammonemur exemplis, non eſſe præſcriptum,quomodo corpus cõſtituatur ad orandum,dum animus deo præſens peragat intentionem ſuam. Nam & ſtantes oramus,ſicut ſcriptũ eſt, Publicanus autem de longe ſtabat. Et fixis genibus, ſicut in actibus Apoſtolorũ legimus. Et ſedentes,ut ecce Dauid & Helias. Niſi autem etiam iacẽtes oraremus,non ſcriptum eſſet in pſalmis, Lauabo per ſingulas noctes lectũ meum,lachrymis meis ſtratũ meũ rigabo. Cum enim quiſꝙ orationẽ quærit, collocat membra,ſicut ei occurrerit,pro tempore poſiti corporis ad mouendum animũ:cum autẽ nõ quærit,ſed infertur appetitus orandi,& aliquid repente uenit in mentẽ,quo ſupplicandi moueatur affectus,gemitibus inenarrabilibus,quocunꝙ modo inuenerit hominẽ,nõ eſt utiq; differenda oratio, ut quæramus quò ſecedamus,aut ubi ſtemus, aut ubi ꝓſternamur. Gignit enim

enim sibi mētis intentio solitudinē,& sæpe etiā obliuiscit se,uel quā cœli partem, uel in qua positione corporis mēbra illud tēpus inuenerit. Fecit quoque Dauid sibi nomē,cum reuerteretur capta Syria in ualle Salinarū cęsis XII milibus) Quid per percussam multitudinē à Dauid in Salinarū ualle significatur,nisi quia redemptor noster suo uidelicet discretionis examine, in his qui de illo praua sentiūt,stulticiā immoderati saporis extinguit? Factum est post hæc,ut moreret rex filiorū Ammon, & regnaret Annon filius eius pro eo.Dixitq; Dauid.Faciam misericordiā cū Annon filio Naas,sicut fecit pater eius mecū misericordiā.Misit ergo Dauid cōsolans eum per seruos suos super patris interitu.Cum autē uenissent serui Dauid in terrā filiorū Ammon, dixerunt principes filiorū Ammon ad Annon dominū suum. Putas quod propter honorē patris tui Dauid miserit ad te cōsolatores, & nō potius ut inuestigaret & exploraret ciuitatem,& euerteret eam,misit seruos suos Dauid ad te? Tulit itaq; Annon seruos Dauid,rasitq; dimidiam partē barbæ eorū, & præcidit uestes eorū medias usq; ad nates,& dimisit eos.Quod cū nuntiatū fuisset Dauid,misit in occursum eorū. Erāt enim uiri confusi turpiter ualde.Et mandauit eis Dauid.Manete in Iericho donec crescat barba uestra,& tunc reuertimini) Sicut enim Annon rex Ammon seruos Dauid ad se missos deturpauit,atq; ludibriter fœdatos ad eundē Dauid remisit,ita & diabolus princeps huius mundi plerosq; religiosos per subripientia uitia deturpare cōsueuit.Qui dū eorū latētia mala in aperta & flagitiosa perpetrataq; luxuria detegit,quasi eorū indumentis usq; ad nates abscisis, nudos à dignitate castitatis relinquit:& dum pristinā eorū fortitudinē eripit, uelut barbam radit:quos tamen uerus Dauid,dominus scilicet & saluator noster clementi respectu à pœnitentiæ indulgentia nō exclusit.Quos & in Iericho, hoc est,sub anathemate pœnitentiæ residere iubet,donec sacramēta spiritualia,& fortitudinē mentis,quæ peccando perdiderūt, satisfaciendo recipiāt, & sic demū in conspectu eius stare ualeāt. Factum est autē,dum surgeret Dauid de stratu suo post meridiem,& deambularet in solario domus regię, uidit mulierē se lauantē,mittensq; tulit eam,& dormiuit cum ea,& concepit. Cumq; cognouisset Dauid,misit ad Ioab dicēs.Mitte ad me Vriam Etheum. Veniens Vrias ad Dauid,misit epistolam Dauid per Vriam ad Ioab, ut poneret Vriam,ubi fortissimum prælium esset,fecitq; Ioab ita, & mortuus est Vrias Etheus) Plerunq; quædam res per historiam uirtus est, per significationem culpa:sicut aliquando res gesta in causa facta damnatio est, in scripto autem prophetia uirtutis. Quod utrunque citius ostendimus, cum huius sacræ scripturæ testimonium ad utraque adprobanda ad medium deducimus.Quis namque audiens non solum fidelium, sed etiam infidelium non omnimodis detestetur: quod Dauid in solario deambulans, Bersabeæ Vriæ concupiuit uxorem. Quem tamen à prælio reuertentem ire ad domum admonet, pedes lauare: qui protinus respondit, dicens,arca domini sub pellibus est,& ego in domo mea requiescam? Quem Dauid

De iniuria Ammonitarū in legatos Dauid. VI

De adulterio Dauid. VII

Dauid ad mensam propriã suscepit,eiq; epistolas per quas mori debeat,tradidit. Cuius Dauid in solario deambulans,typũ tenuit,nisi eius de quo scriptum est,in sole posuit tabernaculũ suum? Et quid est Bersabeę ad se producere,nisi legẽ literæ carnali populo coniunctã, spirituali sibi intellectu sociare? Bersabeæ enim puteus septimus dicitur, quia nimirũ per cognitionẽ legis infusione spiritualis gratiæ perfecta nobis sapiẽtia ministratur. Quẽ uero Vrias nisi Iudaicũ populũ signat,cuius nomẽ interpretatũ dicit̃, lux mea dominus. Iudaicus autẽ populus,quia de accepta legis sciẽtia extollitur, quasi de dei luce gloriatur. Sed huic Dauid uxorẽ abstulit,sibiq; cõiunxit, quia uidelicet manufortis quod Dauid dicitur, in carne redemptor noster apparens,dum spiritualiter loqui legẽ innotuit,per hoc quod iuxta literã tenebatur,hãc à Iudaico populo extraneã monstrauit,sibiq; cõiunxit, quia semper illã prædicando declarauit. Vriã tamẽ ad domũ Dauid ire admonet, pedes lauare: quia incarnatus dominus ueniẽs Iudaico populo præcipit ut ad conscientiã redeat,& sordes operũ fletibus tergat, ut spiritualiter mandata legis intelligat,ut post tantã duritiã præceptorũ fontẽ baptismatis inueniens, ad aquã post laborẽ decurrat. Sed Vrias qui archã dñi esse sub pellibus meminit,respõdit,quod domũ suã intrare nõ possit. Ac si Iudaicus populus dicat: Ego mãdata dei in sacrificijs carnalibus uideo,& redire ad cõscientiã per spiritualem intelligentiã non requiro. Quasi enim archã sub pellibus dicit esse, quia præceptis dei nõ nisi adhibendũ ministeriũ sacrificij carnalis intelligit. Hũc tamẽ etiã redire ad domũ nolentẽ Dauid ad mensam uocat,quia quãuis Iudaicus populus ad cõscientiã reuerti cõtemnat,ei tamẽ redemptor ueniens,mãdata spũalia prædicat,dicens, Si crederetis Moysi,crederetis forsitan & mihi,de me enim ille scripsit. Legẽ itaq; Iudaicus populus tenet, quæ eius diuinitatẽ loquitur,cui isdem populus credere dedignat̃. Vnde & Vrias ad Ioab cũ epistolis,ex quibus occidi debeat,mittitur: quia idem ipse Iudaicus populus legẽ portat,qua cõuincente moriatur. Dum enim mandata legis retinẽs implere nititur,ipse nimirũ defert iudiciũ, unde damnet̃. Quid ergo perfecto isto Dauid scelestius,quid Vria mundius dici potest? Sed rursus per mysteriũ quid Dauid sacratius,quid Vria infidelius inuenitur: quando & ille per uitæ culpã prophetiæ signat innocentiã, & iste per uitæ innocentiã,in prophetia exprimit culpã? Virtus nãq; sacri eloquij sic transacta narrat,ut uentura exprimat: sic in facta re adprobat,ut in mysterio contradicat,sic gesta dãnat,ut hæc mystice gerenda persuadeat. Ad hoc enim in scriptura sacra uirorũ taliũ,id est Dauid & Petri,peccata sunt indita, ut cautela minorũ sit ruina maiorũ. Ad hoc uero utrorũq; illic etiã pœnitẽtia insinuat̃, & uenia,ut spes pereuntiũ sit recupatio perditorũ. De statu ergo suo Dauid cadẽte nemo superbiat,de lapsu etiã suo Dauid surgẽte nemo desperet. Ecce q̃ mirabiliter scriptura sacra eodẽ uerbo supbos premit,quo humiles leuat, unamquamq; rem gestam retulit, & diuerso modo superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles uero ad fiduciam reuocauit. O inæstimabile

bile noui generis medicamẽtum,quod uno eodemq́ ordine positum, & pre/mendo tumentia exsiccat, & subleuando arentia infundit. De maiorum nos lapsu terruit,sed de reparatione roborauit. Sic quippe semper sic nos diuinæ dispensationis misericordia & superbientes reprimit,& ne ad desperationem corruamus fulcit. Sed quia exigente causa Dauid ad medium deducto tanti facinoris memoriam fecimus,lectoris fortasse animus mouetur, cur omnipo/tens deus eos quos in perpetuum elegit,quos ad donorum quoq; spiritalium culmen assumpsit, illæsos à corporalibus uitijs non custodit. Vnde quia satis fieri citius credimus,breuiter respõdemus.Nonnulli enim percepto dono uir/tutum per impensam gratiam bonorum operum in superbiæ uitium cadunt, sed tamen quomodo ceciderint nõ agnoscunt. Proinde contra eos hostis an/tiquus, qui iam interius dominatur, exterius etiam sæuire permittitur, ut qui in cogitatione elati sunt, per carnis luxuriam prosternantur. Scimus autem, quia aliquando minus est in corporis corruptione cadere, quàm cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Sed cũ minus turpis superbia creditur, minus uitat́:luxuriã uero eo magis erubescũt homines,quo simul omnes tur/pem nouerunt. Vnde fit plerũq; ut nonnulli per superbiam in luxuriam cor/ruentes,ex aperto casu malum culpæ latentis erubescant, & tunc etiam maio/ra corrigunt, cum prostrati in minimis grauius confunduntur. Reos enim se inter minora conspiciunt, qui se liberos inter grauiora crediderant. Pia enim domini dispensatione laxatus nonnunquã malignus spiritus de culpa ad cul/pam trahit:& dum plus percutit, inde eum quem ceperat amittit: atq; unde uicisse cernitur,inde superatur,Cõsiderare libet, intra munitum gratiæ sinum quanto deus misericordiæ fauore nos continet. Ecce qui de uirtute se extollit, per uitium ad humilitatem redit: & qui de acceptis uirtutibus extollitur, non gladio,sed(ut ita dixerim)medicamẽto uulneratur. Quid est enim uirtus,nisi medicamentum?& quid uitium,nisi uulnus? Quia ergo nos de medicamẽto uulnus facimus,facit ille de uulnere medicamẽtum, ut qui uirtute percutimur, uitio curemur.Nos namq; uirtutum dona retorquemus in usum uitiorum, il/le uitiorum illecebras assumit in arce uirtutũ, & salutis statum percutit, ut ser/uet: ut qui humilitatem curantis fugimus,saluti cædẽtis hæreamus. Sed inter hæc sciendum quod pleriq; hominũ, quo in multis corruunt, artius ligantur: cumq; eos antiquus hostis ex uno uitio percutit,ut concidant,ex alio quoq; li/gat,ne surgant. Consideret itaq; homo cum quo aduersario bellum gerat, & si iam in se aliquid deliquisse perpendit, saltem per culpam pertrahi ad cul/pam pertimescat,ut studiose uitentur uulnera, quibus frequenter interficitur: quia ualde rarum est, quod hostis noster electorum salutem etiam uulneri/bus seruet. Erudiendos enim, sicut diximus, electos suos dominus sæpe ten/tatori subijcit,sicut post paradisi claustra,post tertia cœli secreta,ne reuelatio/num magnitudine Paulus extolli potuisset, ei Satanæ angelus datus est: sed ut præfati sumus, ipsa hac tentatione disponitur, ut qui elati perire poterant,

ff humi/

humiliati à perditione seruentur. Secreto ergo dispensationis ordine unde sæuire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas dei: quia aduersarius noster inde obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram nequissimæ uoluntatis suæ. His ita gestis, misit dominus Nathan ad Dauid. Et ueniens Nathan proposuit similitudinem de diuite & paupere: unus habens oues & boues, alter tantũmodo ouem unam, hanc unam ouem pauperis tulit diues. Audito hoc Dauid, indignatus ait aduersus hominẽ illum, Viuit dominus, quia filius mortis est, uir qui fecit hoc. Dixit autem Nathan ad Dauid, Tu es ille uir. Et dixit Dauid ad Nathã, Peccaui domino. Dixitq; Nathan ad Dauid, Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, non morieris.) Si peccatum Dauid tam detestabile dominus transtulit, quid est quod omnia quæ de eodem peccato per prophetã ei à domino dicta sunt postmodum tolerauit? Sed proculdubio dominus delictum sine ultione non deserit: aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc deus cum homine uindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcit, quod nullatenus sine uindicta dimittit. Sic enim Dauid audire post confessionem meruit, Dominus transtulit peccatum tuum: & tamen post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ quam perpetrauerat exsoluit. Sic nos salutis unda à culpa primi parentis absoluit, sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoq; adhuc carnaliter obimus: qa delicta nostra siue per nos, siue per semetipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum studet maculas temporali afflictione tergere, quas in perpetuum non uult uindicare. Quod uero dicit, Duo homines erant in ciuitate una, Vrias & Dauid intelligitur. Et addisce personas. Pauperculi ouem meliorem dicit, hoc est uxorem eius quæ adulterata est, quæ de mẽsa eius uescebatur, & de calice eius potabat, & in gremio eius cubabat. Considera pauperem incentiua pietatis habere fulcimina, in diuitib. autem multa superbia. Apud pauperes uxor & ancilla & ministra est, & procreat filios, & ipsa mater & nutrix est: apud diuites autẽ non est ita, sed cum generauerit filiũ, statim eum tradit foris: & pietatis insignia, abscidit superbia. Erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater. Quis ergo in gremio eius cubabat. Auxit parabolã, narratione pietatis. Venit ergo peregrinus homo ad regem illum. Quis itaq; est peregrinus? Concupiscentia uidelicet. Vt ergo illius ostenderet castitatem, peregrinam concupiscentiam nominauit. Nunq̃ enim alienas nuptias dissipauit, neq; iniquis conspexit oculis, sed percussus in illa muliere perdidit castitatem, quia paululum se reddiderat remissiorem securitate pacis. Venit peregrinus, iniqua & agrestis concupiscentia ad illum diuitem. Venit & ille, accepit non de gregibus suis uel armẽtis, ut peregrino pararet epulas, sed misit & rapuit ouem pauperis quę in sinu eius cubabat, & de mensa edebat. Hæc igitur cum audisset Dauid, iratus est ualde aduersus hominem illum, & dixit ad Nathan, Viuit dominus, quoniam filius mortis est, uir qui fecit hoc, Quem reddet in quadruplum, & ipse gladio punietur. O iudicij

Nathã ad Dauid missus VIII

dicij superefflucntem iustitiam. Non enim erat illa amoris fibra, ut iuste non diceret. Iubet quidem in quadruplum secundum legem, lex enim præcepit furantem quadrupli restitutione uinciri: iste autem & legem est prætergressus. Iubet quidem & ipsum interimi, & in quadruplũ obnoxium detineri. Prompsit itaq; sententiam, & iudicium elimatum. Cum hoc audisset propheta, iactat omnem umbram imaginis, & in medium profert gladium, & cum fiducia dicit, Tu es rex, qui hoc opus fecisti. O' sectura non gladio secans sensum doloris, sed compendio accusationis. Cum enim oportuit, occultauit narrationem: cum uero tempus inuenit, statim percussit & abscidit, sine grandi plagæ uulnere, hoc solummodo dicens, Tu es rex. At ille uelociter ad conscientiam rediens, tanquam fidelis & idoneus seruus, culpam simpliciter cõfitetur, & dicit, Peccaui domino: & propheta respondit, Et dominus transtulit peccatum tuum. Velox cõfessio, uelocior medicina. Facto peccauit, uerbo pœnituit. Annuit deus, & correctio facta est: uulnus apparuit, & sanitas redijt. Sed nõ fuit his propheta contentus. Nam post correctionem, post pœnitentiã, post peccatorum absolutionem, psalmum ob causam scripsit: ita ut etiam posteræ generationi fiat illius passio medicina, & illius naufragium sit alijs portus, & quibus ille uulneratus est & emendauit, alijs in ijsdem incidentibus ipsa possint uti medicina, & emẽdatione sanari. Fugiens Dauid Absalon filium suum, nudisq; pedibus incedens transgressus est torrentem Cedron, & cunctus populus cum eo, & peruenerunt usq; Baurim. Et ecce egressus Semei filius Gera de cognatione domus Saul, mittens lapides maledicebat regem, dicens, Egredere, egredere uir sanguinum & uir Belial.) Quisquis fidelium diuinæ gratiæ illustratione cõpungitur, & sancto desiderio de imis ad summa supernæ contemplationis penna festinat, hæc gesta beati Dauid, & aliorum sanctorum præcedentiũ patrum, ubi aliquid iniuste perpessi sunt, ante mentis oculos ponat: atq; in eis se imitatione exercendo proficiat, & quod in pręsenti titillat ex uitio, uel præteritorum malorum memoria reprimat, uel donorum præcedentium consolatione restinguat, uel etiam imitatione, ut dictum est, patrũ præcedẽtium retundat. Quod necesse est, ut sicut proposuimus, exemplis euidentioribus approbemus. Vt enim unum de multis loquar, quatenus studiosus lector multa in uno intelligat, quisquis uerborũ contumelijs pressus cum uirtute patiẽtiam seruare non sufficit, Dauid factum ad memoriã reducat. Qui cum Semei tot conuitijs urgeretur, & armati proceres ulcisci contẽderent, ait, Quid mihi & uobis filij Saruiæ? Dimittite eũ ut maledicat. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret Dauid. Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecit? Et paulopost, Dimittite eum, ut maledicat iuxta præceptũ domini, si forte respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Quibus profecto uerbis indicat, quia pro perpetrato Bersabeæ scelere, exsurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetrauit, & cõtumeliosa uerba non tam conuitia, quàm ad-

De Dauid fugato per filium IX

iutoria credidit, quibus se purgari sibiq; misereri posse iudicauit. Tunc enim illata conuitia bene toleramus, cum in secreto mentis ad male perpetrata recurrimus. Leue quippe uidebitur, quod iniuria percutimur, dū in actione concipimus, quia peius est quod meremur. Sicq; fit ut contumelijs gratia, q̄ ira debeatur, quarum interuentu deo iudice pœna grauior declinari posse confiditur. Illud uero quid significet, quod parricida filius Absalon patrē insequēs, primo pater eius declinans fugit ante faciem eius, securus de uictoria: qui aspiciebat impium perire, quem etiam fleuit magno luctu, & deplorauit exitum parricidæ. Scribitur enim fugisse Dauid à facie bellantis aduersum se filij: & quoniam scriptum est de populo Hierusalem, Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem contemnentes spreuerunt me: filius ipsius significatur tropice, idest populus Iudaicus, qui eum tradidit. Absalon autem, sicut quidam interpretantur, intelligitur patris pax. Quod mirum uidetur in historia, quemadmodum patris pax possit intelligi, qui patrem bello persequutus est. Sed qui diligenter ad allegoriam intendunt, inspiciunt Absalon esse Hierusalem: quia etiam & ipsa, pax interpretatur, à cuius facie Christus fugit, quando eam patiendo deserens in gentibus per fidem successit. Alij Absalon, Iudam traditorem accipiunt, quem tanta & tam miranda patientia Christus pertulit tanquam bonum, cum eius cogitationes non ignoraret, cum adhibuit conuiuio, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit & tradidit. Quod deniq; & in ipsa traditione osculum accepit, bene intelligi Christū pacem exhibuisse traditori suo, quāuis ille tam sceleratæ cogitationis interno bello uastaretur. Et ideo Absalon patris pax dicitur, quia pater habuit pacem, quam ille non habuit. Sed fortasse quis dicat, si Dauid imaginem Christi gerebat, quomodo multas uxores habuisse & concubinas scribitur, cum has res Christus & horrescat & damnet? Hoc enim in prophetia fiebat. Multæ enim uxores Dauid, multarum gentium & nationum imaginem indicabant, quæ per fidem Christi consortio iungerentur: concubinæ uero eius significant hæreticorū ecclesias, quæ sub Christi nominis titulo se manere gloriantur. Sed quia propter carnalia lucra Christum sectantur, non coniuges, sed concubinæ uocantur. Deniq; nunc reges si plures habeant uxores uel cōcubinas crimen est, quia iam transierunt figuræ, pro quibus uxorum uel concubinarū uenia concedebatur. At nunc quia figuræ trāsierunt, uenia nulla datur. Percusso Absalon cum redisset Dauid in Hierusalem, dixit Amasæ, ut congregaret omnes uiros Iuda in diem tertium, & constitueret eum principem pro Ioab. Qui moratus extra placitum, præcepit Dauid Ioab & Abisai, ut irent & apprehenderent Siba filium Bochri. Cumq; uenisset Ioab in Gabaon, Ioab tenuit manu dextra mentū Amasæ, quasi osculans eum, percussit eum in latere, & mortuus est.) Quid est quod Ioab Amasæ mentum manu dextra tenuit, & sinistram ad gladium latenter mittens, eius uiscera effudit: nisi hoc quod patēter datur intelligi? Dextera namq; manu tenere, est quasi ex benignitate blandire: sed

sinistram

finistram ad gladiũ mittit,qui latenter ex malicia percutit. Sequitur psalmus XVII. Et merito quæritur,cur solus iste psalmus in libris Regũ reperiatur conscriptus. Nec immerito psalmus iste in Regum libris solus inuenitur,quia regnum illud significat,ubi aduersarium nõ habebimus. Titulus enim eius est, In die qua eripuit eum dominus de manu inimicorum eius,& de manu Saul. Quis enim figuratur in Dauid, nisi ille qui uenit secũdum carnem ex semine Dauid? Qui utiq; in corpore suo,quod est ecclesia,adhuc patitur inimicos,unde illi persecutori quẽ uoce prostrauit, & in suum corpus trãjciens quodãmodo manducauit,insonuit de cœlo, Saule,Saule,quid me persequeris? Quãdo autem meretur eripi hoc corpus de manu inimicorũ eius,nisi cum illa nouissima inimica destruetur mors,ut perueniat ad regnum dei? Diligam te dñe, uirtus mea) Diligã te dñe,per quem fortis sum. Dñe firmamentũ meum,& refugiũ meum,& liberator meus) Domine qui me firmasti,quia refugi ad te: refugi ad te,quia liberasti me. Deus meus adiutor meus,& sperabo in eum) Deus meus qui mihi adiutoriũ prius uocationis tuæ præstitisti, ut sperare in te possim. Protector meus,& cornu salutis meæ, & liberator m.) Protector meus,quia non de me præsumpsi,quasi erigens aduersum te cornu superbiæ: sed teipsum cornu,hoc est firmã celsitudinẽ salutis inueni,quod ut inuenirem redemisti me. Laudans inuocabo dñm,& ab ini.meis saluus ero) Non meã gloriam,sed domini,quærens inuocabo dñm: & non erit unde mihi noceant iniquitatis errores. Circũdederunt me dolores mortis) Hoc est dolores carnis. Et torrentes iniqui.contur.me) Turbæ iniquæ ad tempus cõmotæ uelut flumina pluuialia cito desitura,egerunt ut cõturbarent me. Dolores inferni circũdederunt me) In his qui me circũdederunt ut perderent,erant dolores inuidiæ,qui mortem operantur,perducuntq; ad infernũ peccati. Præuenerunt me laquei mortis) Præuenerunt me ut priores nocere uellent,quod eis postea redderetur. Tales autem homines capiunt in perditionẽ, quib.mala persuaserint iactatione iustitiæ, cuius non re sed nomine aduersus gentes gloriantur. Et in pressura mea inuocaui do.& ad deum me.cla. Et exaudiuit de templo sancto suo u.m.) Et exaudiuit de corde meo in quo habitat,uocẽ meam. Et clamor m.in conspectu eius) Et clamor meus,quem non in aurib.hominũ,sed coram ipso intus habeo,introiuit in aures eius. Et cõmota est & contremuit terra) Ita clarificato filio,cõmoti sunt & contremuerunt peccatores. Et fundamenta montiũ conturb.sunt) Et spes superborũ quæ in hoc fuerunt seculo conturbatæ sunt. Et cõmota sunt,quoniã iratus est eis d.) Vt scilicet iam fundamentum non haberet in cordib.hominũ,spes temporaliũ bonorum. Ascendit fumus in ira eius) Ascẽdit lachrymosa deprecatio pœnitentiũ,cum cognouissent quid minetur deus impijs. Et ignis à facie eius exardescit) Et flagrantia charitatis post pœnitentiã de notitia eius exardescet. Carbones succensi sunt ab eo) Quia iam mortui erant deserti ab igne boni desiderij ac luce iustitiæ,& frigidi tenebrosiq; remanserant,rursus accensi & illuminati reuixerunt.

Psalmus decimusseptimus. X

Et inclinauit cœlum,& descendit)Et humiliauit iustũ ut descenderet ad ho-
minum infirmitatem. Et caligo sub pe.e.)Caligo ei sub pedib.est,quia non
ea claritate ab inferiorib.cernit̃,quæ in superiorib.dominatur.Impij enim qui
terrena sapiunt,caligine maliciæ suæ non cognouerunt eũ.Terra enim sub pe
dib.eius,tanq̃ scabellũ pedum eius. Et ascendit super Cherubin & uolauit)
Cherubin quippe plenitudo scientiæ dicitur.Proinde super plenitudinẽ scien
tiæ ascẽdisse & uolasse perhibet̃,quia maiestatis eius celsitudinẽ scientia nulla
cõprehendit.Volauit ergo qui longe in altum ab intellectu nostro se rapuit,
ut nemo ad deũ perueniret, nisi per charitatẽ. Plenitudo enim legis charitas.
Et cito se incomprehensibilẽ monstrauit dilectorib.suis, ne illũ corporeis ima
ginationib.cõprehendi arbitrarentur. Super Cherubin dñs ascendit & uola-
uit,quia super plenitudinẽ scientiæ quæ esse in hominib.potuit,incarnationis
suæ gloriã exaltare dignatus est:ut hoc eius uolare,sit potẽtiæ suæ mysterium
ab intellectu humano subducere.Quantalibet enim plenitudine scientiæ uita
spiritaliũ fulgeat,apprehendere non ualet,quomodo factum sit,ut qui extitit
conciperetur,& ante secula autor hominũ,nasceretur homo in fine seculorum,
deus caro,uerbũ infans fieret.Vnde & recte illic additur, Volauit super pen
nas uẽtorum)Quia uidelicet trãscendit omnes intellectus animarum. Vento
quippe animã figurari pro uelocitate suæ cogitationis,non inconueniẽter acci
pimus.Illa aũt celeritas qua se incomprehensibilẽ esse monstrauit super uirtu
tes animarum est,quib.se uelut pennis,æternis timorib.in auras libertatis ex-
tollunt. Et posuit teneb.latibulũ suum)Et posuit obscuritatẽ sacramẽtorum
& occultam spem in corde credentium,ubi lateret ipse non eos deserens:quia
dum caligine nostræ infirmitatis obscuramur,per ignorãtiam nostram nobis
absconditur,ne à nobis modo in ęterna & firma claritate uideatur.In his etiam
tenebris ubi per fidẽ adhuc ambulamus non per speciem, q̃diu quod non ui
demus speramus,per patientiã expectamus.Quia uero autor noster nobis in
hoc exilio deiectis,lucem suæ uisionis abstulit,sese nostris oculis quasi in tene
brarum latibula abscondit,quas nimirum cæcitatis nostræ tenebras cum stu-
diose conspicimus,mentem ad lamenta reuocamus. Flet enim cæcitatẽ quam
foris patitur,si humiliter meminit quo de interiori lumine priuat̃. Cumq; te-
nebras quib.circũdatur respicit,per splendoris intima ardenti se desiderio af-
fligit,omniq; intentionis nisu semetipsam concutit,& supernam lucem quam
condita deseruit, repulsa quærit.Vnde fit plerũq; ut in ipsis pijs fletib.illa in-
terni gaudij claritas erumpat, & mens quæ in corpore prius cæca iacuerat,ad
inspectionẽ fulgoris intimi superius uegetata conualescat. In circuitu eius ta
bernac.eius)Conuersi tamẽ ad ipsum ambiunt,qui credunt ei, quia in medio
ipsorum est cum omnib.ęqualiter fauet,in quib.tanq̃ in tabernaculo habitat
in hoc tẽpore. Tenebrosa aqua in nu.aeris)Nec propterea quisq̃ in illa luce
quæ futura est,cum ex fide ad speciẽ uenerimus,iam se esse arbitret̃,si scriptu-
ras recte intelligit.In ꝓphetis enim atq; in omnib.diuini uerbi prædicatorib.

doctrina

doctrina obscura est, quia ante aduẽtum dñi dum occultis sacramẽtis grauidi in ministerijs mensam gestarent, intuentium oculi eorum intelligentia caligabant. Præ fulgore in consp. eius) In cõparatione fulgoris, qui est in cõspectu manifestationis eius. Nubes ipsius trãsierunt) Prædicatores uerbi eius non iam in Iudææ finib. continentur, sed transierunt ad gentes, & uniuersa mundi spacia miraculorũ claritate percurrunt. Grando & carb. ignis) Obiurgationes figuratas, quib. uelut grandine corda dura tunduntˀ, si terra dura & mitis, id est pius animus exceperit, duricia grandinis in aquam, id est terror fulguratæ & quasi cõgelatæ obiurgationis, in doctrinã satiantem resoluitur, igne aũt charitatis accẽsa corda reuiuiscunt. Hæc omnia in nubib. ipsius ad gentes transierunt, quia uidelicet sancti uiri corda audientium & terrentes feriunt, & blandientes infundunt. Nam queadmodum feriant, propheta testatˀ, dicens, Virtutem terribilium tuorum dicent, & mag. tuam n. Et queadmodum blandientes rigent, secutus adiunxit, Memoriã abundãtiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt. Et into. de cœlo dñs) Et euangelica tuba de corde iusti sonuit. Et altiss. dedit uocem suam) Vt haberemus eam, & in ꝓfundo rerum humanarũ audiremus cœlestia. Et emisit sagitttas, & dissipauit eos) Et emisit euangelistas pennis uirtutũ recta itinera transuolantes, non suis, sed eius à quo missi sunt, ut alijs essent odor uitæ in uitã, alijs odor mortis in mortem. Et coruscationes multiplicauit, & cõturbauit eos, & apparuerunt fontes aquarum) Et apparuerunt qui facti erant in prædicantib. fontes aquarum, salientium in uitã æternam. Et reuelata sunt fundamenta orbis terrarum) Reuelati sunt prophetæ qui non intelligebantˀ super quos ædificaretur orbis terrarum credens domino. Ab increpatione tua dñe) Clamãtis, appropinquabit super uos regnum dei. Ab inspiratione spiritus iræ t.) Dicentis, Nisi pœnitentiã egeritis, omnes similiter moriemini. Misit de summo, & accepit me) Vocando ex gentib. in hæreditatem gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Assumpsit me de multitudine aquarũ) Assumpsit me de multitudine populorum. Eruit me de inimicis meis fortissimis) Eruit me de inimicis meis, qui præualuerunt ad affligẽdam & ad peruertendã istam temporalẽ uitam meam. Et ab his qui oderunt me, quoniã confortati sunt super me) Ab his qui oderunt me, quoniam conf. sunt super me, quamdiu sub ipsis sum ignorans deum. Preuenerunt me in die afflictionis meæ) Priores mihi nocuerunt in tẽpore, quo mortale & laboriosum corpus gero. Et factus est dominus firmam. meum) Et quoniã amaritudine miseriarum firmamentum terrenæ uoluptatis contribulatum atq; conuulsum est, factus est dominus firmamentum meum. Et eduxit me in latitudinem) Et quia carnales patiebar angustias, eduxit me in spiritalem fidei latitudinem. Eruit me quoniã uoluit me) Quoniam uol. me, anteq̃ illum ego uellem. Eruit me de inimicis me. potentiss.) Qui mihi inuidẽt iam uolenti eum. Et ab his qui oderunt me) Quia uolo eum. Et retribuet mihi dominus secũdum iustitiam bonæ uoluntatis)

 Qui

Qui prior præbuit misericordiã,antecp̃ haberem bonam uolũtatem. Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi)Et secũdum puritatem factorum meorum retribuet mihi,qui tribuit mihi ut bene facerem, educẽdo me in latitudinem fidei. Quia custodiui uias domini)Vt latitudinem bonorum operum quæ per fidem sunt, longanimitas perseuerantiæ consequatur.

Nec impie gessi à deo m.quoniam omnia iu.eius in c.m.sunt semper) Quoniam omnia iudicia eius,id est præmia iustorum,& pœnas impiorum,& flagella corrigendorum,& tentationes probandorum, perseueranti contemplatione considero. Et iustitias eius non repuli à me) Quod faciunt deficientes sub sarcina earum,& reuertẽtes ad uomitum suum. Et ero immaculatus coram eo,& ob.me ab in.mea.Et retribuet mihi d.secundũ iu.meam)Itaq; non solum propter latitudinem fidei,quæ per dilectionẽ operatur, sed etiam propter longitudinem perseuerantiæ retribuet mihi dominus secũdum iustitiam meam. Et secũdum purit.ma.mearum retribuet mihi in consp.oculorũ eius) Non quod homines uident,sed in conspectu oculorũ eius,quoniã quæ uidentur tẽporalia sunt,quæ aũt non uidentᷣ æterna sunt,quò pertinet altitudo spei.

Cum san.sanctus eris)Est etiã occulta ꝓfunditas qua intelligeris,cũ sancto sanctus eris,quia tu sanctificas. Et cũ uiro in.innocẽs e.)Quia nulli noces,sed criniculis peccatorũ suorũ unusquisq; cõstringitᷣ. Et cum electo el.e.)Et ab eo quẽ eligis eligeris. Et cũ peruer.subuerteris)Et cũ peruerso uideris peruersus, ob quod eis non faues,peruersus esse uideris,quoniã dicunt,non est recta uia dñi, & ipsorum uia non est recta. Quoniam tu populũ humilem sal.facies) Hoc aũt peruersum uidetur peruersis,quod cõfitentes peccata sua saluos facis.

Et oculos superborũ humil.)Ignorantes autem dei iustitiã,& suam uolẽtes constituere,humiliabis. Quoniam tu illuminas lucern.m.dñe)Quoniã non est nostrum lumen ex nobis,sed tu illuminabis lucernã m.dñe. Deus m.ill. ten.meas)Nos enim in peccatis nostris tenebræ sumus,sed deus meus illuminabit ten.meas. Quoniam à te eripiar à tentatione)Quoniã non à me,sed à te eruar à tent. Et in deo meo transgr.murum)Et non in me,sed in deo meo transg.murũ,quem inter homines & cœlestem Hierusalem peccata erexerũt.

Deus meus immacul.uia eius) Deus meus non uenit in homines,nisi mundauerint uiã fidei,qua ueniat ad eos,quia immaculata uia eius. Eloquia dñi igne exami.)Eloquia dñi igne examinationis probantur. Protector est om. speran.in se) Et omnes qui nõ in seipsis,sed in illo sperant,eadem tribulatione non consumũtur:spes enim sequitur fidem. Quoniã quis deus præter dñm cui seruimus? Et quis deus præter d.nostrũ?) Et quis deus præter dñm,quem post bonam seruitutem tancp̃ hæreditatẽ sperãtes filij possidebimus? Deus qui præcinxit me uirt.) Deus q̃ præcingit ut fortis sim,ne defluẽtes sinus cupiditatis impediãt opera & gressus meos. Et posuit imma.uiã m.)Et posuit imma.uiã charitatis qua ad illũ ueniã,sicut est immaculata uia fidei qua uenit ad me. Qui perfecit pedes m.tancp̃ cerui) Qui perfecit amorẽ meũ ad transcen

dendа

denda spinosa & umbrosa implicamenta huius seculi. Ceruos, spiritales uiros appellat, propter alacritatem uelocis cursus. Robustorum enim mẽtes in deo immobiliter fixæ tanto aduersa quæcꝫ despiciunt, quanto cernunt quod contra præcepta cõditoris excrescunt. Æternitatis quoqꝫ præmia præstolãtes, uires ex aduersitatibus sumunt: quia crescente pugna, gloriosiorem sibi non ambigunt manere uictoriam. Sic itaqꝫ electorum desideria dum premuntur aduersitate proficiũt, sicut ignis flatu premitur ut crescat, & unde quasi extingui cernitur, inde roboratur. In eo namqꝫ ostendimus, quanta ad deum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla & mollia, sed etiã per aspera & dura transimus. Bene ergo per Psalmistam dicitur, Qui perfecit pedes meos tanquam cerui. Ceruus enim cum montium iuga conscendit, quæcꝫ aspera, quæcꝫ se obijciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, etiam absqꝫ ullo cursus sui obstaculo in superioribus eleuatur. Ita etiam electorũ mentes quæcꝫ sibi in hoc mundo obsistere atqꝫ obuiare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more ceruorum despectis terrenarum rerum sentibus in superna se euehunt. Et super excelsa statuit me.) Et super cœlestem habitationem figet intentionẽ meam, ut impleatur in omnem plenitudinem dei. Qui docet manus meas ad prælium.) Qui docet me operari ad superandos inimicos, qui nobis intercludere regna cœlestia conantur. Et posuit ut arcum æreum brachia mea.) Et posuisti infatigabilem intentionem bonorum operum. Et dedisti mihi protectionẽ salutis t. & dextera t. suscepit me) Idest fauor gratiæ tuæ suscepit me. Et disciplina tua direxit me in finem) Et correctio tua me deuiare non sinens direxit, ut quicquid ago, in eum finem referam qui cohæret mihi. Et disciplina tua ipsa me d.) Et eadẽ correctio tua ipsa me docebit peruenire, quò direxi. Dilatasti gressus meos subtus me.) Nec impedient carnales angustiæ, quoniã latam fecisti charitatẽ meam operantem hilariter, etiam de ipsis quæ subter me sunt, mortalib. rebus & membris. Et non sunt infir. uestigia mea) Et non sunt infirmata siue itinera mea, siue signa, quæ impressi ad imitandum sequentibus. Persequar inimi. meos & compr. illos) Persequar affectus carnales meos, ne ab eis comprehẽdar: sed apprehendam illos ut absumantur. Et non conuertar donec defi.) Et ab ista intentione non conuertar ad quietẽ, donec deficiant qui obstrepũt mihi. Et confrin. illos, nec poterunt st.) Confringam illos, nec durabunt aduersum me. Cadent sub pedes m.) Dilectos illis præponam amores, quibus ambulo in æternum. Et præcinxi. me uirtute ad bel.) Et constrinxisti fluentia desideria carnis meæ uirtute, ne in tali pugna præpedirer. Supplantasti insurg. in me subter me) Decipi fecisti eos qui me insequebãtur, ut subter me fierent, qui super me esse cupiebant. Et ini. m. ded. mihi dorsum) Et inimicos meos conuertisti, & dorsum mihi eos fecisti esse, idest ut sequerentur me. Et odio ha. me disper.) Alios aũt eorum qui in odio perdurarunt, disperdidisti. Clama. nec erat qui sal. fa.) Quis enim saluos faceret, quos tu non faceres? Ad dñm nec

exaudiuit eos.) Nec ad quemlibet,sed ad dominum clamauerunt,nec exaudi tione dignos iudicauit,non recedētes à malitia sua. Et comminuam illos ut puluerem iuxta faciem uenti.) Et comminuam illos, aridi enim sunt non reci/ piētes imbrem misericordiæ dei:ut elati & inflati superbia,ab spe firma & in/ concussa,tanquam terræ soliditate & stabilitate rapiantur. Vt lutum platea rum delebo eos.) Per latas quàm multi ambulant uias perditionis,luxurian/ tes,& lubricos delebo eos. Erues me de cōtradictionibus populi.) Erues me de contradictionib.eorum qui dixerunt,Si dimiserimus eum uiuum,seculum post illum abit. Constitues me in caput gentium.Populus quē non cogno/ ui,seruiet mihi.) Populus gentium quem corporali præsentia non uisitaui,ser uiuit mihi,neq; oculis me uidit:sed recipiens prædicatores meos,in obauditu auris obaudiuit mihi. Filij alieni mētiti sunt m.) Filij non mei dicēdi,sed po tius alieni,quib.recte dicebatur,Vos à patre diabolo estis, mentiti sunt mihi.

Filij alieni inu.sunt,& clau.à semi.suis.) Et tanquam uno pede debiles,quia uetus tenentes,nouum respuerunt. Filij alieni quibus ut renouarētur nouum testamentum attuli,in ueteri homine remanserunt.Claudi effecti sunt etiam in ipsa ueteri lege,potius suas traditiones sequentes quàm dei.Calumniaban tur enim de manibus nō lotis,quibus tales erant semitæ quas ipsi fecerant, & consuetudinē tribuerant,errando ab itinere præceptorum dei. Viuit domi/ nus & benedictus d.m.) Secundum carnem autem sapere,mors est, uiuit do/ minus & bene.d.m. Et exaltetur deus salu.meæ.) Et non terrena cōsuetudi/ ne de deo salutis meæ sentiam, sed æternam ipsam salutem, in excelso de illo sperem. Deus qui das uindictas mi.) Deus qui uindicas me, subdendo sub me populos. Liberator meus de inimi.m.iracundis) Clamantibus,Crucifi/ ge,crucifige. Ab insurgentib.in me exal.me) Ab insurgētibus in me Iudæis exaltabis me,resurgētem à morte. A` uiro iniquo erip.me) A` regno eorum iniquo erues. Propterea confi.t.in g.domine) Propterea per me tibi confite buntur gentes domine. Et nomini tuo psallam.) Et latius innotesces bonis operib.meis. Magnificās salutes regis ipsius) Deus qui magnificat,ut ama/ biles faciat salutes,quas eius filius dat credētibus. Et faciens misericordiam Christo suo.) Deus qui facit misericordiam Christo suo. Dauid, & semini eius usq; in seculum.) Ipsi liberatori manu potenti, qui uicit hunc mundum, & eos quos credentes in euangelio genuit in æternum. Quæcūq; in hoc psal/ mo dicta sunt, quæ ipsi domino non proprie, idest capiti ecclesiæ congruere non possunt,ad ecclesiam referenda sunt. Totus enim Christus hic loquitur, in quo sunt omnia membra eius. Hæc autem sunt uerba nouissima,quæ di xit Dauid filius Isai) Verba nouissima Dauid non finienda dicit, sed perfici/ enda:non consumenda,sed quæ cunctis fidelibus perfectionis plenitudinem conferant. Spiritus domini locutus est super me,& sermo eius per linguam meam.) Spiritum domini,spiritum sanctum dicit:sermo dei, Christus filius dei accipitur,ipse est enim Christus dei Iacob. Præuaricatores autem quasi

spinæ

spinæ euellentur uniuersi. Præuaricatores Iudæi atq; hæretici, uelut spinæ de ecclesia quæ est terra uiuētium euulsi atq; incendio æterno cōbusti peribunt. Hæc nomina fortium Dauid: sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres. Ipse est quasi tenerrimus ligni uermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. Non Iesbaa, ut quidam putant, sed ipse Dauid est dictus quasi tenerrimus ligni uermiculus, per quod uirtus simul bellica, & modesta uiri designatur ciuilitas: quia uidelicet sicut ligni uermiculus, tener quidem & fragilis toto suo corpore, necnon & permodicus apparet, nihilominus tamen fortissimum robur exedens consumit & corrosum reddit, unde & à terendo ligna teredonis nomen habet: sic ille affabilis omnibus domi & quietus atq; humilis uidebatur, & in certamine publico robustum se ac intolerabilem hostibus exhibebat. Absurdum non est, ut ij tres fortissimi Dauid & Eleazar & Sama, intelligantur trinitas, deus pater, & filius, & spiritus sanctus, ad quorum æqualitatem cæteri fortissimi non peruenerunt. Item ipse Dauid in prælio Philistinorum cum sitiens uersaretur in bello, & aquā quæreret, Quis mihi potum dabit, ait, de lacu qui est in Bethlehem: & ad portas erat iter cisternæ, & Dauid interfusus hostibus, & media hostiliū cinxerat septa castrorum: præciderunt tres uiri multitudinem aduersariorum, & hauserunt aquam de lacu qui erat in Bethlehem, & obtulerunt regi bibēdam, sed rex noluit bibere, sed profudit illam domino, dixitq;, Non contingat mihi hoc facere, ut sanguinem uirorum qui abierunt, exanimis bibam. Vicit ergo naturam, ut sitiens nō biberet, & exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret. Quod si altius uelis spectare & introspicere mysterium, sitiebat Dauid, non aquam, quæ est in Bethlehem, sed oriundum in eadem Bethlehem ex uirgine Christum in spiritu præuidebat. Ergo uolebat bibere, non aquam fluminis, sed lauacrum ex latere Christi fluens: hoc est, non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi. Vnde etiam non bibit oblatam aquam, sed domino fudit, significans se sitire sacrificiū, non naturæ fluentum, sed illud sacrificium in quo esset remissio peccatorū: illum sitire fontem æternum, nō qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena deleret. In hoc facto cogitandum summopere est, quantum ad mores hominum pertinet, ut qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat: ut qui commisit prohibita, à semetipso abscidere debeat etiam cōcessa, & se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse. Lex certe ueteris testamenti alienam uxorem concupisci prohibet, regi uero fortia iubere militibus uel aquam desiderare non pœnaliter uetat. Et cuncti nouimus quod Dauid concupiscentiæ mucrone transfixus, alienam uxorem & concupiuit & abstulit, cuius culpam digna uerbera sunt sequuta, & malum quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui quum longe post contra hostium cuneos se daret, aquam bibere ex cisterna ex desiderio uoluit, cuius electi milites inter cateruas aduersantium

De siti Dauid XI

medias

medias erumpentes, aquam quam desiderauerat illæsi detulerunt. Sed uir domini flagellis eruditus, semetipsum protinus cum periculo militum aquam se desiderasse reprehēdit, eamq́ domino fundens libauit, sicut hic scriptum est, Libauit eam domino. In sacrificio quippe domini aqua effusa conuersa est, quia culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquā timuit, postea etiam quia aquam concupisset, expauit. Qui enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum iam rigidus etiam à licitis abstinebat. Ad hanc aquam hauriendam irruperunt tres fortes, Abisai frater Ioab, & Banaias filius Ioiadæ. Iste Banaias percussit duos leones Moab, & ipse descendit & percussit leonem in media cisterna diebus niuis. Quomodo sit factum, Iosephus narrat apertius: quia uidelicet cisterna fuerit nimiū profunda, quæ tempore hyemis cum essent omnia niuib. plena, ipsa quoq́ nimio niuiū aggestu fuerit coæquata: quā cum leo superueniens periculi nescius incidisset, ibidemq́ conclusus grandi rugitu clamaret, accurrebāt homines uidere quid esset: & dum cum alijs ad tale spectaculū adueniret Banaias, desiliuit statim in cisternam, & aggressum medijs in niuibus percussit & interfecit leonem. Dehinc texitur catalogus uirorum fortium in figura sanctorum, qui fortitudine uirtutum boni operis & scientia diuinæ trinitatis fulti, non tantummodo seipsos ab hostibus malignis defendunt, uerum infirmos quoslibet protegunt. Peccat post hæc Dauid populum numerando.) Præcepit enim Dauid Ioab, ut perambularet totum Israel, & afferret populi numerū. Et hoc ideo scriptura dicit, Quia furor domini cœpit irasci contra Israel. Quid in hoc facto aliud demonstratur, nisi quia sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis etiam uiri boni delinquant in uita pastoris? Iste enim deo attestante laudatus, iste supernorum mysteriorum conscius Dauid propheta, tumore repentinæ elationis inflatus populum numerando peccauit, & tamen uindictam populus Dauid peccante suscepit. Cur hoc? Quia uidelicet secundum meritū plebis, disponuntur corda rectorum. Iustus uero iudex peccantis uitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit. Sed quia ipse sua scilicet uoluntate superbiens, à culpa alienus nō fuit: uindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæuiēs quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoq́ populi intimo cordis dolore prostrauit: certum uero est, quod ita sibi inuicem & rectorum merita cōnectantur & plebeium, ut sæpe ex culpa pastorum, deterior fiat uita plebeiū: & sæpe ex merito plebeium, mutetur uita pastorum. Sed quia rectores habent iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temere uitam iudicare regētium. Neq́ enim frustra per semetipsum dominus æs nummulariorum effudit, & cathedras uendentium columbas euertit: nimirum significans, quia per magistros quidem uita iudicatur plebeium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum: quamuis etiam subditorum uitia, quæ à magistris modo uel dissimulantur, uel iudicari

De peccato Dauid in populo numerando XII

cari

cari nequeunt,eius proculdubio iudicio reseruantur. Igitur dum salua fide res agitur,uirtutis est meritum,si quicquid prioris est toleratur: debet tamen humiliter suggeri,si fortasse ualeat quod displicet emendari: sed curandum summopere est,ne in superbiã transeat iustitiæ inordinata defensio:& dum rectitudo incaute diligitur,ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur: nec eum sibi præesse quisq; despiciat, quem fortasse contingit ut in aliqua actione reprehendat.contra hunc tumorẽ superbiæ, subditorũ mens ad custodiam humilitatis edomatur,si infirmitas propria incessanter attẽditur. Nam uires nostras ueraciter examinare negligimus, & quia de nobis fortia credimus,idcirco eos qui nobis prælati sunt,districte iudicamus. Quo enim nosmetipsos minus agnoscimus, eo illos quos reprehendere nitimur, plus uidemus. Singula hæc mala sunt, quæ sæpe à subditis in prælatos, sæpe à prælatis in subditos committuntur:quia & subditos omnes ij qui præsunt, minus quàm ipsi sunt sapientes arbitrantur:& rursum qui subiecti sunt,rectorum suorum actiones iudicant: & si ipsos regimen tenere contingeret, se potuisse agere melius putant. Vnde plerumq; fit ut & rectores minus prudenter ea quæ agenda sunt uideant, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat: & nonnunquam is qui subiectus est, hoc cum prælatus fuerit faciat,quod dudũ fieri subiectus arguebat:& pro eo quod illa quæ iudicauerat perpetrat,saltem quia iudicauit erubescat. Igitur sicut prælatis curãdum est,ne eorum corda æstimationis singularis sapientiæ locus superior extollat:ita subiectis prouidẽdum est,ne sibi rectorum facta displiceant. Si autem magistrorum uita iure reprehenditur, oportet ut eos subditi etiam cum disciplina uenerentur. Sed hoc est solerter intuendum, ne aut quem uenerari necesse est,imitari appetas: aut quem imitari despicis,uenerari contemnas. Subtilis etenim uia tenenda est, uia rectitudinis & humilitatis,ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant,quatenus subditorum mens à seruanda magisterij reuerentia non recedat.

INDEX CAPITVM
LIBRI TERTII

De claſſe

FINIS

DIVI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVM IN LIBROS Regum,ad Veranium & Salonium fratres episcopos, Liber Tertius.



SENVIT Dauid,ungiturq; Salomon in regem super Is/rael in Gion,ut impleretur in illo illa promissio quę facta est ad Dauid,Non tu ædificabis mihi domum,sed filius tuus qui egredietur de utero tuo. In quo quidẽ futuræ rei imago facta est, in eo quod templũ ædificauit, & pacem habuit secundũ nomen suum. Salomon quippe interpretatur pacificus,ac per hoc illud uocabulũ illi uerissime congruit, per quem mediatorem ex inimicis,accepta remissione peccatorum,reconciliamur deo.Etenim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius. Idem ipse est pacificus,ille qui fecit utraq; unum,& medium parietẽ soluens inimicitias in carne sua,legemq; mãdatorum decretis euacuans, ut duos conderet in se unum nouũ hominẽ, faciens pacem his qui longe, & pacem his qui prope. Ipse in euangelio dicit,Pacem meam do uobis,pacem relinquo uobis.His & alijs multis testimonijs,dominus Christus pacificus esse mõstratur. Nam id quod ædificauit templum excellentissimum domino,& ibi Christum significat,qui ædificauit domum deo in cœlestibus, nõ de lignis & lapidibus,sed de omnibus sanctis,hoc est fidelibus,quibus dicit Apostolus,Templum dei sanctum est,quod estis uos.Tribus nominibus uocatum fuisse Salomonem scripturæ manifestissime docent:pacificum,id est Salomonẽ:& Ididam,id est dilectum domini:& Coëleth,idest Ecclesiasten.Ecclesiastes autẽ Græco sermone appellatur,qũi cœtum,id est ecclesiã congregat,quem nos nuncupare possumus Concionatorem,qui loquitur ad populum,& sermo eius non specialiter ad unũ,sed ad uniuersos generaliter dirigitur. Porrò pacificus & dilectus domini,ab eo quod in regno eius pax fuerit,& eũ dominus dilexerit,appellatus est.Nam & psalmus XLIIII,& LXXI, dilecti & pacifici titulo prænotãtur, qui tametsi ad prophetiam Christi & ecclesiæ pertinentes,felicitatem & uires Salomonis excedant,tamen secundũ historiam,super Salomonem conscripti sunt. Abijt itaq; Salomon in Gabaon,& immolauit ibi holocaustũ domino,ubi apparuit ei dominus per noctem,& exaudiuit deprecationẽ quam po

De successione Salomonis I

De sapientia collata Salomoni & iudicio eius II

ſtulauit,deditq́ꝫ ei ſapientiam & ſcientiam,in tantum ut nullus ante ſimilis illi fuerit,nec poſt illum ſurrecturus ſit.) Poſt acceptam autem diuinitus ſapientiam,mox turpium mulierum de cauſa iudicio tentatur. Vbi notãdum quod poſtq̃ꝫ dominus erroris noſtri tenebras,lucis ſuæ cognitiõe illuſtrat,mox tentationis aculeo uiſitando probat: quia & accedendo corda noſtra ad uirtutes prouehit,& recedendo concuti tentatione permittit.Si enim poſt uirtutũ munera nulla tentatione cõcuteretur,hoc iam ſe habere animus ex ſeipſo gloriaretur. Vt ergo ea infirmitatis dona habeat,& infirmitatẽ ſuã humiliter agnoſcat, per acceſſum gratiæ ad alta ſuſtollitur, & per receſſum quid ex ſeipſo ſit probatur.Quod bene nobis ex hiſtoria ſacræ huius lectionis innuit, quia Salomon & diuinitus accepiſſe ſapientiam, & tamen poſt acceptam eandem ſapientiam, meretricum ſtatim pulſatus quæſtione memoratur. Mox enim ut gratiam tantæ reuelationis accepit, certamẽ turpium mulierum pertulit: quia nimirum cum ſæpe mentem noſtram conceſſis uirtutib. reſpectus intimæ claritatis illuminat, hanc protinus lubricæ cogitationes turbant: ut quæ ſubleuata immenſo munere exultat,etiam tentatione pulſata quid ſit inueniat.Sic Helias & uiſitatus deſuper ſermone cœlos aperuit, & tamen probatus ſubito infirmus per deſerta fugiens nimium mulierẽ expauit: ſic Paulus ad tertium cœlum ducitur,paradiſi penetrans ſecreta conſiderat: & tamẽ ad ſemetipſum rediens contra carnis bellũ laborat,legem aliam in membris ſuſtinet,cuius rei bello fatigari ſpiritus lege dolet. Et poſt dationem ergo muneris idcirco deus hominẽ probat,quia & collato munere ſubleuat,& abſtracto paululũ,ipſum ſibi hominem monſtrat. Quod eouſq́ꝫ proculdubio patimur,donec de terra funditus & labe peccati ad promiſſæ incorruptionis ſubſtãtiam reformemur. In iſto iudicio Salomonis,ubi primũ habuiſſe iudiciũ inter duas mulieres deſcribitur de pietate certantes,quarum in una dilectio ardebat,in altera ſimulatio ſubripiebat, Chriſti figura fuit: ubi improba plebs, ſcilicet ſynagogæ,uel hæreticorum,ueræ matris,hoc eſt eccleſiæ filium appetebat;quem nõ ut reſeruaret,ſed reuera ut interimeret,cupiebat.Sed ſicut gladio Salomonis dirimẽte,ꝓpriæ matris gemitu iſte uerus repertus eſt partus: ita & ſpiritu Ieſu Chriſti docente,plerũq́ꝫ hi qui à matre ſeducti & capti ſunt errore hæreticorũ,nonnunq́ꝫ merentur pro ſemetipſis gementem recognoſcere eccleſiã matrem. Vnde ſatis conuenienter apparet,hanc mulierem hæreticorũ uel ſynagogæ figuraſſe impietatẽ:qui & ſuos nequiter nutriendo interimunt,& alienos quouſq́ꝫ perdant illiciendo perſuadent.Moraliter uero in hac ſententia quid aliud per matres lactentium,niſi doctorũ ordo?quid uero per earum filios, niſi diſcipulorum perſona ſignatur?Nam magiſtri nimirum uigilantes quidem ſcientia, ſed uita dormientes,auditores ſuos quos per uigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt,per ſomnũ torporis occidunt:& negligendo opprimunt,quos alere uerborum lacte uidebãtur. Vnde plerũq́ꝫ dum ipſi reprehẽſibiliter uiuunt,& habere diſcipulos uitę laudabilis nequeunt,alienóſq́ꝫ

ſibi

ſibi attrahere conantur: quatinus dum bonos ſe habere ſequaces oſtendunt apud iudicia hominum excuſent mala quę agunt,& quaſi ſubditorum uitam mortifera neglegētia tegant. Vnde & illic mulier quæ filiū extinxit proprium, quæſiuit alienum: ſed tamen ueram matrem Salomon inuenit, quia uidelicet cuius fructus uiuat, uel cuius intereat, in extremo examine ira diſtricti iudicis demonſtrat. Vbi & illud ſolerter eſt intuendū, quod uiuens filius prius diuidi pręcipitur, ut ſoli poſtmodū matri reddatur: quia in hac uita quaſi partiri conceditur uita diſcipuli, dum ex illa nonnunquā alter apud deum meritum, alter apud homines laudē habere permittitur. Sed falſa mater eum quem non genuit, occidi non metuit: quia arrogātes magiſtri & charitatis ignari, ſi pleniſſimum nomen laudis ex alienis diſcipulis conſequi nequeunt, eorum uitam crudeliter inſequuntur. Inuidiæ enim face ſuccēſi, nolunt alijs uiuere, quos ſe conſpiciunt non poſſe poſſidere. Vnde & illic peruerſa mulier clamat, Nec meus ſit, nec iſtius. Vt enim diximus, quos ſibi obſequi non uident, ad gloriam temporalem, eos alijs inuidēt uiuere per ueritatem. Vera autem mater ſatagit, ut eius filius ſaltem apud extraneā ſit & uiuat, quia concedunt ueraces magiſtri diſcipulos, ut ex eorum diſcipulis alij quidem magiſterij laudē habeant, ſi tamen integritatē uitæ ijdem diſcipuli non amittant. per quæ pietatis uiſcera uera mater agnoſcitur: quia omne magiſterium in examine charitatis approbatur. & ſola totum recipere meruit, quæ quaſi totum conceſſit: quia fideles præpoſiti pro eo quod ex bonis diſcipulis ſuis, non ſolum alijs laudem non inuident, ſed utilitatem eis etiam prouectius exorant, ipſi & integros & uiuentes filios recipiunt, quando in ſuperno examine ex eorū uita perfectæ retributionis gaudia conſequuntur. Loquutusq; eſt Salomon tria milia parabolas, & fuerunt carmina eius qnq; milia) Quid enim per tria milia parabolas, niſi plenitudo fidei in lege & euangelijs à Chriſto tradita deſignatur? Quæ dum tota multipliciter per allegoriæ ſenſum ſub myſterio trinitatis diſſeritur, quaſi tria milia parabolæ nuncupantur. Carmina eius quinq; milia, pro quinq; ſenſibus corporis intelligūtur, quos qui in diuerſis uirtutibus bene egerit beatus eſt, & per eos quaſi quinq; milia carmina domino canit. Diſputauit autem Salomō à cedro uſq; ad hyſſopum) Cedri nomine, celſitudo gratiæ in electis accipitur, ſicut & propheta teſtatur, dicens, Iuſtus ut palma florebit, & ſicut c. quæ eſt in l.m. Hyſſopus autem herba eſt humilis ſaxo hærens, qua ſignatur humilitas Chriſti. Redemptor quippe noſter à cedro uſq; ad hyſſopum diſputauit, quia ab alta excellentia gloriæ cœli uſq; ad carnis humilitatē deſcendendo peruenit. Siquidē & cedri nomine prauorū ſuperba elatio deſignatur, ſicut per Dauid dicitur, Vox domini cōfringentis cedros. A' cedro itaq; Chriſtus uſq; ad hyſſopum diſputat, quia ipſe prauorum corda & humilium iudicat. Super ligna autem diſputauit, dum in cruce pepēdit. Tunc enim in cedro ſeculi arrogātiam inclinauit, quam etiam ad hyſſopi humilitatem, id eſt uſq; ad crucis ſtultitiā ac contemptibilē fidem deduxit. Sequitur dehinc hiſtoria

De parabolis, carminibus, & diſputationibus Salomonis III

Quomodo Hiram Salomonem in opere templi iuuit. IIII

quãdo Salomon ædificaturus domum dño quæsierit auxilium ab Hiram rege Tyri, qui erat amicus Dauid omni tẽpore, & cum ipso Salomone, postquam regno potitus est, pacẽ habere iam cœperat, promptumque mox ad adiuuandum se omnibus eius inuenerit animum, ita ut artifices illi & ligna & aurum, prout opus habebat, dederit, cuius beneficij gratia Salomon ei per annos singulos plurimos tritici & hordei choros, in cibum domui eius dabat. Nulli autem dubium quod Salomon qui interpretatur pacificus, & ipso nomine & serenissimo regni sui statu, illum significet de quo Esaias dixit, Multiplicabitur eius imperiũ, & pacis non erit finis. Hiram uero qui Latine dicitur uiuens excelse, credentes ex gentibus & uita simul cum fide gloriosos figuraliter exprimit. Neque aliquid prohibet, quin Hiram, quia rex erat regalique potẽtia Salomonem in ædificio domus domini iuuabat, conuersos ad fidem ipsos rerum dominos typice denuntiet, quorum ope constat ecclesiam sæpius adiutam ac nobiliter augmentatã, & eius hæreticos, schismaticos & paganos, principalib. erectos esse decretis. Petit ergo Salomon in opere templi auxiliũ ab Hiram, quia cum ueniens in carne dominus dilectam sibi domum uidelicet ecclesiam ædificare disponeret, non de Iudęis tantũmodo, uerum etiam de gentib. adiutores operis elegit. Nã de utroque populo ministros sermonis assumpsit. Misit Hiram Salomoni præcisa de Libano ligna cedrina & abiegna, quæ in domum dñi ponerentur: quia conuersa gentilitas misit ad dñm uiros quondam ad seculum claros, sed securi dominicæ increpationis de monte suæ superbiæ iam deiectos & humiliatos, qui ad normã euãgelicę ueritatis instituti, in ædificio ecclesiæ pro suo quique merito & tẽpore collocarent. Misit etiã artifices, quia cõuersos ad uerã sapientiã philosophos, qui gratia eruditionis populis quoque regendis iure præponerẽtur, dño gentilitas obtulit: qualis ipsis apostolorum temporib. Dionysius Ariopagita, qualis deinceps doctor suauissimus & fortissimus martyr Cyprianus, aliique quamplurimi. Misit & aurũ quod in eadẽ significatione accipitur, quia nimirũ uiros sapientia & ingenio præclaros ostendit: pro quib. oblationib. cunctis gentilitas à dño dona expectat gratiæ cœlestis, triticũ uidelicet uerbi dei, & oleum charitatis & unctionis atque illuminationis spiritus sancti. Conuenit apte reb. ecclesiæ, quod auxilium operis sancti flagitans, ait ad Hiram Salomon, Præcipe igitur ut præcidãt mihi cedros de Libano, & serui mei sint cum seruis tuis) Serui quippe Hiram qui præcidebãt cedros Salomoni de Libano, doctores sunt electi de gentib. quorum officij est, eos qui in hoc mundo rebus & gloria lætabãtur, à superbiæ fastu corrigendo sternere, atque ad hoc secundũ sui redemptoris eorũ uota transferre. cum quib. uidelicet seruis erant & serui Salomonis, ac pariter memorato instabãt operi: quia primi doctores ex gentib. necesse habebãt ipsorũ apostolorũ, qui à dño didicerunt, eruditione in uerbo fidei institui, ne si absque magistris docere inciperent, magistri existerent erroris. Idcirco etenim Salomon seruos Hirã cædere sibi uoluit ligna de Libano, quia doctiores erãt seruis suis ad cædendũ: sed

idcirco

idcirco etiã seruos suos simul adesse uoluit, ut ostẽderent cædentib. cuius men suræ ligna fieri deberẽt. Cuius rei figura in promptu est, quia nimirũ apostoli certius uerbũ euãgeliĳ qui à dño audiere nouerũt, sed gẽtiles ab errore cõuersi atq; ad ueritatẽ euãgeliĳ transformati, melius ipsos gentiũ errores nouerãt: & quo certius nouerũt, eo artificiosius hos expugnare atq; euacuare didicerunt. Paulus qdẽ sacramẽtũ euãgeliĳ quod per reuelationẽ didicerat melius nouit, sed Dionysius melius reuincere poterat falsa ethnicorũ dogmata, quorũ cum errorib. syllogismos à puero & argumẽta cuncta nouerat. Cui sensui cõuenit apte quod sequit᷑, Scis enim ꝙ non est in populo meo uir, qui nouerit ligna cædere, sicut Sidonĳ.) Nõ enim erat in populo Iudæorũ ubi dñs corporaliter præsens docebat, ullus uirorũ qui tam docte nosset refellere errores gẽtilium, ꝙ ipsi ad fidem conuersi gentiles, & ex gentib. facti Christiani. Sidonĳ nãq; & Tyrĳ, quia gentiliũ fuerunt populi, merito in figura gentiũ accipiunt᷑. Quod autem seruos suos Salomon noster in hoc opus miserit, in sequentib. mystico sermone designat᷑, cum dicitur, Elegitq; Salomon operarios de omni Israel, & erat indictio XXX milia uirorũ, mittebatq; eos in Libanũ X milia per men ses singulos uicissim, ita ut duob. mensib. essent in domib. suis) Vbi primo no- tandum ꝙ nõ frustra Salomon operarios de omni Israel elegit, neq; erat ulla portio populi, de qua nõ digni tanto opere uiri assumerẽtur: quia nimirũ non nunc de una stirpe Aaron sacerdotes eligendi, sed de omni sunt ecclesia quæ- rendi, qui ædificare domum dñi uel exemplo suo uel dicto sufficiant, & ubi- cunq; inuenti fuerint mox in officium doctorum absq; ulla personarum acce ptione promouendi: talesq; cum ad erudiendos infideles atq; in collegium ec- clesiæ uocandos ordinantur, quasi ad cædendas in Libano materias tẽpli uiri strennui atq; electi mittuntur. Equidem numerus XXX milia, quo ĳdem ligni cæsores censebantur, potest ad eorum figuram apte referri, qui in fide sanctæ trinitatis sunt perfecti, quod doctorib. maxime congruit. Verũ quia XXX ita erant ordinata, ut dena milia per menses singulos operi suo instarent, magis denarĳ numeri sacramentum perpendere debemus. Dena namq; milia uiro- rum de Israel ad cædenda ligna in opus domus domini mittuntur: quia qui- cunq; doctores atq; insipientium eruditores sunt ordinandi, decem pręcepta legis, & ipsi per omnia obseruare, & auditoribus suis debent obseruãda mon- strare, sed & præmia in cœlis futura quæ denario solent figurari, & ipsi spera- re, & auditorib. suis speranda semper intimare. Terni autem menses, quorum distantia singulis erat lignorum cæsoribus imposita, perfectionẽ trium uirtu- tum euangelicarũ typice denũtiant, eleemosynæ uidelicet, orationis, & ieiunĳ. Cum enim dixisset dominus in euãgelio, Attendite ne iustitiã uestram facia- tis coram hominib. ut uideamini ab eis: in prosecutione eiusdẽ sententiæ non aliud ꝙ eleemosynæ, orationis, & ieiunĳ, fecit mentionem, quæ non ad homi num ostẽtationem, sed ad solam interni inspectoris essent gloriam facienda, alioquin à fructu æternitatis uacua manerent. Quib. uerbis aperte docuit, om

nes uirtutũ fructus his tribus quasi ramis de una charitatis radice prodeũtib. insinuari. Per eleemosynã namq; comprehenduntur omnia quæ ad dilectio/nem proximi explemus beniuole in fratres operantes, per orationem omnia quib. per internã compunctionẽ nostro conditori coniungimur, per ieiunium omnia quib. nos à contagione uitiorũ & illecebris seculi obseruamus, ut libera mente & corpore casto dilectioni ualeamus inhærere, & nostri conditoris & proximi. Et isti sunt tres mẽses operariorũ templi. Nam quia mensis plenitu/dine dierũ lunaris circuli perficitur, per illũ plenitudo uirtutis cuiusq; spiritalis ostenditur, in qua mens fideliũ à domino quotidiana illustratione quasi luna à sole respicitur. Vnus uero mensis quo ligna ad opus templi cædebãtur, elee mosyna est, id est opera misericordię, quæ erga salutẽ proximi & in unitatem sanctæ ecclesiæ bene proficiẽdo proueniant, docendo, castigãdo, tẽporalia bo na impendẽdo, uitæ exempla monstrando. Duo tamen reliqui mense, quib. in domib. suis manere, ac suis sunt necessitatib. uacare permissi, orat[...] est & ie iunium, quib. præter ea quæ erga necessitatẽ fratrũ foris operamur, nostræ sa/lutis propriæ curam intus cõuersa ad dominũ mente gerimus. & quoniam illi solum perfecte uel suæ uel fraternæ salutis curã gerunt, qui se in tuitione diui/næ gratiæ humiliter subdũt, recte sequit. Et Adonirã erat super huiusmodi indictione) Adoniram, qui Latine dicitur dñs meus excelsus, quem melius q̃ ipsum nomine insinuat dominũ saluatorẽ? Et tunc Adonirã operarijs templi præponit, ut sua ꝓuisione rite ordinet, quib. mensib. singuli ad operandũ ex/eant, quib. denuo ad curandã domum suam redeãt, cum dominus & saluator noster mentes sanctorũ prędicatorũ sua familiarius illustratione informat ad discernendũ, quando oporteat ædificãdi ecclesiã opus inire prędicãdo, uel alia pietatis officia præstando, & quando rursum cõueniat ad suã ipsorũ conscien tiam examinandã, quasi ad inspiciendã domũ suam reuerti, & hãc orationib. ac ieiunijs superno inspectore ac uisitatore dignã reddere.

De numero operariorum templi V

Fuerunt itaq; Sa lomoni LXX milia eorum qui onera portabãt, & LXXX milia latomorum in monte, absq; pręposítis qui præerant singulis operib. numero triũ miliũ CCC præcipientiũ populo, & his qui faciebãt opus) Latomos dicit lapidũ cæsores. Idem aũt lapidum cæsores, quod & lignorum figurate designant, hoc est san ctos prædicatores, qui mentes insipiẽtium de labore uerbi dei exercent, & eas ab ea qua inquinati sunt turpitudine ac deformitate trãsmutare cõtendunt, ac regulariter institutos unitati fideliũ, ædificio uidelicet domus dei aptos redde re curant. Quod autem & ligna & lapides in monte cædunt, & cæsa ac præpa rata utraq; materia ad montẽ domus dñi transfert, patet sensus q; omnes ho mines in monte superbiæ nati sumus, quia de præuaricatione primi hominis quam superbia fecit, originẽ carnis traximus. Quicunq; autẽ gratia dei præor dinati ad uitã excidimur, catechisando & sacramẽta fidei percipiẽdo, de mõte superbię ad montẽ domus dñi transferimur, qui eruti de potestate tenebrarũ ad arcem uirtutũ, quæ est in unitate sanctæ ecclesiæ peruenimus. Notandum autem

autem quod ijdem operarij ita erãt distributi, ut pars in monte lapides cæde-ret, pars item onera portaret. Diuersa namq; sunt dona spiritus, & quidã maiorem dicendi ac proteruos arguendi constantiam habent, quidam mitiores ad consolandos pusillanimes & infirmos subleuandos existunt, quidam utri-usq; uirtutis munere præditi ad opus domus domini conueniunt, quales fieri uoluit eos quibus loquit Apostolus, dicens, Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Præpositi autem qui præerant singulis operibus, ipsi sunt conditores sacræ scripturæ, quorum magisterio in omnibus erudimur, quomodo inscios docere & contemptores corripere, quomodo nos inuicem onera nostra portare, ut impleamus legem Christi, conueniat. Quanto autem quisq; plus in sustentandis proximorũ necessitatibus, siue in castigandis eorum erratibus laborat: tanto certiora in futuro præmia, uel quietis animarum post mortem, uel beatæ corporũ immortalitatis expectat. Vnde recte prçfati operarij LXX milia & LXXX milia esse perhibentur: LXX uidelicet propter sabbatum animarum, septimus enim dies in sabbatum, id est requiem consecratus est: LXXX, propter spem resurrectionis quæ octaua die, id est post sabbatum in domino præcessit, & in nobis quoq; octaua die simul & ætate octaua, futura speratur. Præpositi autem erant tria milia trecenti, propter fidem nimirũ sanctæ trinitatis, quam sancta nobis eloquia prædicant. Quod uero pro tribus milib. trecentis præpositis, in libro Paralipomenon tria milia sexcenti sunt scripti, ad eandem prorsus sublimiũ uirorum perfectionem respicit. Nam quia in senario numero dominus mundi ornatum compleuit, recte in eo perfecta bonorum opera solent figurari. Et quia sancta scriptura cum fide ueritatis & iustitiæ opera docet habẽda, recte præ-positi operum templi tria milia & sexcenti fuisse perhibentur. Nec prætereundum quod hæc LXX & LXXX milia portantium onera & latomorũ cum præpositis suis nõ fuerunt de Israel, sed de proselytis, id est aduenis, qui morabantur inter eos. Scriptum namq; est in libro Paralipomenon: Numerauit igitur Salomon omnes uiros proselytos qui erant in terra Israel, post dinumeratio-nem quam dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti sunt CL milia, & tria milia sexcenti, fecitq; eos LXX milia qui onera portarent: & cætera. Proselyti aũt uocabantur Græce, qui ex alijs nationibus progeniti, in fidem & consortium populi dei, accepta circũcisione transierunt. Fuerunt itaq; operarij domus do-mini de filijs Israel, fuerũt de proselytis, fuerũt de gentibus. De filijs uidelicet Israel XXX milia, qui ad præcidendas de Libano cedros missi sunt: de prose-lytis, isti de quibus loquuti sumus, lapidum cæsores: de gentibus, ipse Hiram & serui eius, qui cum seruis Salomonis ligna cædebãt de Libano. Omne igi-tur hominum genus per quos ædificanda erat ecclesia, in ædificatione templi præcessit. Iudæi nãq; proselyti & gentiles cõuersi ad ueritatẽ euangelij, unam eandemq; Christi ecclesiã, siue recte uiuendo, siue etiam docẽdo construunt.

Præcepitq; rex, ut tollerent lapides grandes preciosos in fundamentũ tem-pli, &

De lapidibus templi VI pli,& quadrarent eos.) Fundamentum templi nullum est aliud intelligẽdũm mystice,quàm illud quod ostendit Paulus,dicens,Fundamentum enim aliud nemo potest ponere,pręter id quod positum est,Christus Iesus.Qui propterea recte fundamentum domus domini potest uocari,quia sicut ait Petrus, Non est aliud sub cœlo datum hominibus nomẽ,in quo oporteat nos saluos fieri. In quod fundamentũ lapides grandes & preciosi ponuntur,cum præcipui factis ac sanctitate uiri familiari mẽtis sanctitate suo adhærent cõditori, ut quo firmius in illo spem suam ponunt,eo fortius aliorum uitam dirigere,quod est altitudinẽ portare sufficiant. Lapides ergo qui in fundamentũ templi ad portandum ædificium omne ponebãtur, propriæ sunt prophetæ & apostoli, qui uerbum & sacramenta ueritatis siue uisibiliter siue inuisibiliter ab ipsa dei sapientia perceperũt.Vnde & nobis qui eorum uitam siue doctrinã studemus pro nostro modulo imitari,fundatos dicit Apostolus super fundamentũ apostolorum & prophetarũ.Sed & generaliter perfecti quique qui fideliter ipsi domino adhærere, & impositas sibi fratrum necessitates fortiter ferre didicerũt, hi possunt lapidibus grãdibus ac preciosis indicari. Qui bene lapides primo quadrari,ac sic in fundamento poni iubentur.Quadratum namque omne quocunque uertitur,fixum stare consueuit.Cui nimirum figuræ corda assimilantur doctorũ,quæ ita in fidei firmitate consistere didicerunt,ut nulla occurentium rerum aduersitate, nec ipsa etiã sua morte à sui status rectitudine possint inclinari,quales uidelicet doctores ecclesia nõ solum de Iudæa,uerum etiam de gentibus perplures suscepit. Vnde bene de lapidibus huiusmodi grandibus preciosis & quadratis subditur, Quos dolauerunt cæmẽtarij Salomonis & cæmentarij Hiram)Dolantur namque lapides preciosi,cum electi quique præcedentium sanctorum instructione & instantia,quicquid in se habent noxium & inane relinquunt,atque ante conspectum sui conditoris,solam insitæ iustitiæ regulam,quasi stabilem quadraturæ formã ostendunt. Dolauerunt aũt lapides non solũ cęmentarij Salomonis,sed etiã cæmentarij Hirã: quia ex utroque populo fuerũt doctores sanctæ ecclesiæ,immo tam sublimes ex utroque dei populo fuerunt nonnulli, qui ipsorum quoque doctorum sublimiũ iure doctores existerent, & quasi quadrantes eos ad subleuandũ domus domini ædificium pararent.Neque enim soli Hieremias & Esaias,& cæteri ex circũcisione prophetæ,uerum etiã beatus Iob cum filijs suis,qui erãt ex gentib. maximã uitæ suæ patientiæ formã,maxima doctrinę salutaris præconia sequẽtis æui doctorib. ministrarũt,quo abiectis uerbis,actib.cogitationib.superuacuis,ad portandũ onus sanctæ ecclesiæ digni & apti inuenti sunt. Porrò Byblij præparauerũt ligna & lapides ad ædificandũ domũ dño.)Byblus est ciuitas in Syria Phœnicis,à qua Byblij sunt uocati,cuius meminit Ezechiel,dicẽs,Sapiẽtes tui Tyrij facti sunt:gubernatores tui,senes Bybli & prudẽtes eius. Pro quo in Hebræo continet̃ Gobel,siue Gebal,qui interpretat̃ definiẽs siue determinans.Quod uocabulum conuenit eis,qui corda hominũ ad ædificiũ spiritale, quod ex uirtutibus

tutibus animæ construitur, parant. Sic enim solū suos auditores fidem & opera iustitiæ docere sufficiunt, dū ipsi prius sacris paginis edocti, diligenter quæ sit fides tenenda, quo uirtutum calle incedendū, certa diffinitione ueritatis didicerunt. Nam frustra sibi officium doctoris usurpat, qui dissertionē fidei catholicæ ignorat. Neq; sanctuariū domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam quam ipsi non didicerunt conantur. In ædificanda domo domini, primo sunt ligna & lapides de monte cædendi: quia eos quos in fide ueritatis instruere quærimus, primo necesse est ut renūtiare diabolo, ac de sorte primæ præuaricationis in qua nati sunt, doceamus renascēdo erui. Deinde quærendi sunt lapides preciosi & grandes, atq; in fundamentum templi ponendi, ut meminerimus abdicata conuersatione priori, eorum uitam in omnibus moresq; inspicere, eosq; nostris auditoribus imitandos proponere, quos per uirtutē humilitatis spiritaliter domino adhærere nouerimus: quos inuincibili mentis stabilitate, quasi quadratos quodammodo atq; ad omnes tentationū incursus immobiles perdurare conspicimus, quos preciosos & grandes merito hac fama comperimus. Post fundamentum uero talibus ac tantis lapidibus compositum ædificanda est domus, præparatis diligēter lignis ac lapidibus, ac decēti ordine collocatis, quæ olim de prisco suo statu uel radice fuerant abstracta: quia post prima fidei rudimēta collocata in nobis iuxta exemplum sublimium uirorum humilitate, addēdus est in altum paries bonorum quasi superimpositis sibi inuicem ordinibus lapidum, ambulando ac proficiendo de uirtute in uirtutem. Vel certe lapides fundamenti grandes, preciosi, quadrati, primi sunt (ut supra diximus) ecclesiarum magistri, qui ab ipso domino uerbum audierunt salutis. Superpositi autem ordines lapidū uel lignorum, sequētes suo quosq; tempore designant sacerdotes ac doctores, quorum uel prædicatione ac ministerio fabrica crescit ecclesiæ, uel ordinatur uirtutibus. Quales autem colore fuerint lapides, quib. factum est templū, in libro Paralipomenon aperte declaratū est, dicente Dauid ad Salomonem cum ei impensas templi quas præparauerat ostenderet: Omnem preciosum lapidē & marmor Parium abundantissime præparaui. Marmor aūt Parium, marmor candidum dicitur, quale eadem insula gignere consueuit. Vnde poeta de illa,

Olearon, niueamq; Paron, sparsasq; per æquor
Cycladas, & crebris legimus freta concita uentis.

Niuea ergo Paros dicitur, eo quod candidissimi generis marmor mittat. Est autem una de Cycladibus insula, quo uidelicet lapide templū fuisse factum, Iosephus insinuat, dicēs, Eleuauit itaq; templum usq; ad cameram, ex lapide constructum albo. Altitudo fuit uiginti cubitorū, & cētum. Nec mysterij sensus in abdito est. Cuius enim patet, quia marmor candidū ex quo domus domini constructa est mundam electorum actionem, simul & conscientiam ab omni næuo corruptionis castigatam designat, quales uoluit esse sapiens ille architectus, eos quos super fundamentum Christi locabat lapides preciosos, auro argentoq; redimitos.

Cha-

Chariſſimi, inquit, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore dei. Factum eſt igitur quadringentesimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio, ipſe eſt menſis ſecundus, regis Salomonis ſuper Iſrael, & ædificare cœpit domum domino.) Domus domini quam ædificauit rex Salomon in Hieruſalem, in figura facta eſt ſanctæ uniuerſalis eccleſiæ, quæ à primo electo uſq; ad ultimum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quotidie per gratiam regis pacifici ſui, uidelicet redemptoris ædificatur: quæ partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim euaſis peregrinandi ærũnis, cum illo iam regnat in cœlis, ubi peracto ultimo iudicio tota eſt regnatura cum illo. Ad hanc domum pertinent electi angeli, quorum nobis ſimilitudo in futura uita promittitur, dicente domino, Illi autem qui digni habentur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neq; nubunt, neq; ducunt uxores. Neq; enim ultra mori poterunt, æquales enim angelis ſunt, & filij ſunt dei, & filij reſurrectionis. Ad hanc pertinet ipſe mediator dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ipſo atteſtante cum ait, Soluite templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod exponens euangeliſta ſubiunxit, Hoc autem dicebat de templo corporis ſui. Dicit autem Apoſtolus de nobis, Neſcitis quia templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis? Si ergo ille templum dei per aſſumptam humanitatem factus eſt, & nos templum eius per inhabitãtem eius ſpiritum efficimur: conſtat utiq; quia figuram omnium noſtrum, & ipſius domini uidelicet, & membrorum eius, quæ nos ſumus, templum illud materiale tenuit: ſed ipſius tanquam lapidis angularis ſingulariter electi & precioſi in fundamento fundati: noſtri autem tanquã lapidum uiuorum ſuperædificatorum ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarũ, hoc eſt ſuper ipſum dominum. Quod melius cõſiderata ex ordine ipſius templi ædificatione patebit, ut in quibuſdam uidelicet figura ad ipſum dominum, in quibuſdã uero ad omnes electos pertineat: in quibuſdam intemeratam in cœlis angelorum felicitatem, in quibuſdam inuictam in terris hominum patientiam deſcribat: in quibuſdam collata hominibus angelorum auxilia, in quibuſdam remunerata cum angelis hominum certamina demonſtret. Deſignat eãdem domum domini ſpiritalem, etiam tabernaculum quondam factum in eremo per Moyſen. Verum quia illa domus in itinere quo ad terrã repromiſſionis ueniebatur, hæc autem ædificabatur in ipſa terra repromiſſionis, & in ciuitate Hieruſalem: illud ut de loco ad locum crebro Leuitarum miniſterio portatum, tandem in terram repromiſſæ hæreditatis induceretur, hæc ut mox in patria ipſa & in ciuitate regia conſtructa, inuiolabili ſemper fundamento conſiſteret, donec inditum ſibi figurarum cœleſtium munus impleret: poteſt in illa præſentis eccleſiæ labor & exilium, in hac futura quies & beatitudo figurari. Vel certe quia illa à ſolis filijs Iſrael, hæc aũt à proſelytis etiam & gentibus facta eſt, poſſunt in illa principaliter patres ueteris teſtamenti, & antiquus ille dei populus: in hac aũt congregata

Quando uel ubi templum ſit factũ VII

gregata de gentibus ecclesia figuraliter exprimi: quamuis ædificium utriusq; domus enucleatius spirituali sensu discursum, & labores præsentis ecclesiæ quotidianos, & præmia in futuro perennia, gaudiaq; regni cœlestis, & electionem primæ de Israel ecclesiæ, & salutem omnium gẽtium in Christo, multis modis ostẽdatur insinuare in figuris. Quod autem dicit in anno quarto, mense Zio, ipse est mensis secundus regis Salomonis super Israel, ordo sensus est: In anno quarto regis Salomonis, mense Zio, ipse est mẽsis secũdus: mensem autem secundum maium dicit. Nam Aprilis quo pascha celebratur principium, apud Hebræos primus erat in mensibus anni. Ex quo manifeste claret, quia mox peracto pascha, cœpit ædificare domum domino, & consecratus mystica solennitate populus, manus ad mysticũ opus misit. Fit autem commemoratio egressionis de Aegypto, quando tabernaculũ ædificari cœptum est, ut admoneatur lector, quot annorum tempus inter ædificationem utriusq; domus transierit, & huius quoq; summæ temporis sacramentum spirituale cognoscat. Quater namq; centeni & uiceni quadringentos & octoginta faciunt: quatuor autem euangelicæ perfectioni apte conueniunt propter ipsum Euangelistarum numerũ: CXX, doctrinæ legali propter annos totidem legislatoris: in quo etiam numero uirorum gratiam spiritus sancti primęua suscepit ecclesia, patenter ostendens, quia qui lege legitime utuntur, id est, qui Christi in ea gratiam cognoscentes amplectuntur, iure spiritus eius gratia replentur, quia in charitate eius amplius ignescunt. Diximus autem per tabernaculum quod fecit Moyses & filij Israel in deserto synagogam, per templum uero quod Salomon & filij Israel cum proselytorum & gentilium auxilio construxit, ecclesiam gentium posse designari.

Permansit autẽ cultus & religio tabernaculi, annos CCCC & LXXX, ac sic templum ædificari incipit: quia scriptura ueteris testamenti tanta perfectione redundat, ut si quis eam bene intellexerit, cuncta in se noui testamenti mysteria contineat: patres quoque ueteris testamenti tanta perfectione arcem perfectionis tenuerũt, ut in nullo apostolis uirisq; apostolicis putandi sint esse minores. Permanebat tabernaculum usque ad constructionem templi in populo dei per annos CCCC, & LXXX, id est CXX per quatuor multiplicatos: quia ex tempore datæ legis usq; ad incarnationem dominicam, & tempus reuelatæ gratiæ, non defuerunt uiri qui in lege constituti euangelicam per omnia perfectionem mente & opere seruarent: non defuit scriptura quæ gratiam noui testamenti, in ueteri propheticis intimaret eloquijs. Quod autem quarto anno regis Salomonis ædificari cœpta est domus domini, potest eò referri mystice, quod post expletam dispensationem dominicæ incarnationis, quę in quatuor euangelij libris scripta est, misso de cœlis spiritu sancto ecclesiæ structura cœperit: & quod mense secundo cœpta est, potest ád electionem gentiũ referri, quæ secundo loco post Israel ædificationem in se susceperit creatoris. Vnde & secundus mensis in lege con-

cessus est ad faciendum pascha,his qui immundi super anima uel in uia pro cul positi,ad faciendũ in primo mense pascha occurrere nequirent. Vbi nos apertissime designati sumus,qui immũdi super morte animæ nostræ,& pro cul adhuc positi à populo dei,nõ potuimus primum pascha facere, quod in carne agni & sanguine fiebat. Celebramus autẽ hoc pascha secundũ, quod in corpore & sanguine redemptoris nostri,à quo quæsiti sumus & mundati, actum est.In quo autem loco templum sit ædificatum manifestius in libro Paralipomenon ostenditur,ubi scriptum est, Et cœpit Salomon ædificare domum domini in Hierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius,in loco quẽ parauerat Dauid in area Ornã Iebusei. Aedificatur ergo domus domini in uisione pacis, quia dilatata per orbem ecclesia in una eademq; fide & ueritatis catholicæ societate consistit.Nam in scissura mentiũ deus non est,sed factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.Aedificatur in monte,uidelicet in ipso domino saluatore,de quo Isaias ait.Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in uertice montium.Et ipse de se in euangelio.Non potest,inquit, ciuitas abscondi sup er montem posita. Ipse enim est mons montiũ, qui de terra quidem per originem carnis assumptæ ortus est,sed omnium terrigenarum potentiam ac sanctitatẽ singularis culmine dignitatis transcendit. In quo nimirum monte ciuitas siue domus domini constructa est,quia si non in illo radicem figat,spes & fides nostra,nulla est.Qui recte mons Moria uocatur,id est,uisionis,quia electos suos quos ad æternam suæ claritatis uisionem cõseruat, in hac interim uita laborantes uidere & adiuuare dignatur. Ipse est enim locus,in quo obtulit Abraham Isaac filium suum domino,ac deuotione obedientiæ uideri ab illo meruit. Vnde & nomen accepit, de quo dominus ait. Tolle filium tuum unigenitum,quem diligis Isaac, & uade in terram uisionis,atq; offer eum in holocaustum.Pro terra uisionis,in Hebræo terrã Moria habet.Et quia immolatio Isaac typus dominicæ passionis extitit, recte in loco eiusdem immolationis templum ædificatur, quia per fidem & mysterium dominicæ passionis ecclesia dedicata, crescit in templum sanctũ in domino.De quo monte bene subditur,Qui demonstratus fuerat Dauid patri eius. Ostensus namq; fuerat Dauid, sicut & cæteris prophetis uenturus in carne dominus,qui uocatam de gentibus ecclesiam, per sacramenta eiusdem suæ incarnationis ablueret à peccatis,atq; in domum sibi fidelem dilectamq; consecraret. Bene autem additur, in loco quem parauerat Dauid. Parauerat namq; Dauid psallendo,parauerunt alij prophetæ uaticinando locum domino,uero utiq; Salomoni,in quo domum ædificaret, quia corda auditorum suorum fide ueritatis instituerunt, sedulò admonentes,ut uenientem in carne dei filium fideli ac deuota mente susciperẽt.Hinc & enim dominus de paratis ad credendum sibi populis, ait discipulis, Leuate oculos uestros,& uidete regiones,quia albæ sunt iam ad messem:& qui metit mer

cedem

cedem accipit,& congregat fructum in uitam æternā, ut qui seminat simul gaudeat,& qui metit. Quasi alijs uerbis de ædificatione templi diceret. Leuate oculos uestros,& uidete locum, quia paratus est iam ad ædificandum domum domini,& qui ædificat,docendo mercedem accipit,& congregat lapides preciosos in uitam æternam:ut & qui parat locum ædificio simul gaudeat,& qui ædificat,id est,propheta prædicens uenturum,& Apostolus uenientem prædicans dominum,una simul in illo mercede potiantur. Bene autem idem locus in area erat Ornan Iebusei,quia ecclesia uocabulo areæ solet designari,dicēte Ioanne de domino,cuius uentilabrum in manu sua, & permundabit aream suam. Ornan qui interpretatur illuminatus, & erat natione Iebuseus,natione quidem gentiles significat,nomine autem eosdem illustrandos à domino atq; in filios ecclesiæ cōmutandos ostendit, quibus merito dicat Apostolus. Fuistis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. Iebus eadem est ciuitas,quæ & Hierusalem. Et Iebus quidē dicitur conculcata. Hierusalem autem uisio pacis. In qua quamdiu Ornan gentilis regnabat, Iebus dicta est:cum uero in ea Dauid locum holocausti emeret,& cum Salomon in ea templum domino ædificaret,non iam Iebus, sed Hierusalem uocata est:quia nimirum gentilitas quamdiu diuini cultus nescia perdurabat,conculcabatur,& illudebatur ab immundis spiritibus, simulachra muta prout ducebatur sequens:cum uero illam gratia sui conditoris respexit,continuo pacis in se & locum inuenit & nomen,dicente de ipsa domino: Beati pacifici,quoniam filij dei uocabuntur. Cum ergo Ornan in hac ciuitate regnum adhuc haberet,Iebus uocabatur:at cum locum areæ suæ cum bubus ac tribulis uenderet Dauid regi,nomen Hierusalem accepit: quia persistens in sua adhuc obstinatione gentilitas,conculcabatur quasi uilis & abiecta à malignis spiritibus. Porrò cum omnia sua uendere,ac uero regi offerre dicit,non ultra conculcari à dæmonibus ac uitijs potuit, sed internæ pacis quam cum suo conditore haberet,magis compos effecta est. Domus autem quam ædificabat Salomon domino,habebat L X cubitos in longitudine,& X X cubitos in latitudine,& X X X cubitos in altitudine. Quod in constructione templi dicitur in libro regum,quia habebat X X X cubitos in altitudine,cum in libro Paralipomenon scriptū sit, porrò altitudo C X X cubitorum erat, nequaquam discrepare, sed utrumq; uerum esse noscendū est. Nam ut Iosephi refert historia,X X X erant cubiti à pauimento usq; ad medium cœnaculum, X X X rursus à medio usq; ad tertium, quo usq; porticorum quæ templo ab australi & occidentali & septentrionali latere cohærebant,altitudo pertingebat,id est simul L X:deinde alij L X usq; ad supremū domus tectum. Itaq; tota eius altitudo,C X X cubitis implebatur. Longitudo autem domus, longanimitatem designat sanctæ ecclesiæ, quæ in exilio peregrinationis huius patienter aduersa quæq; tolerat, donec ad patriam, quam expectat perueniat. Latitudo insinuat charitatem, quæ dilatato sinu

De mensura templi. VIII.

mentis non solum amicos in deo, sed & inimicos gaudet diligere propter deum, donec ueniat tempus, quando siue ad pacem suam conuersis siue funditus extinctis, cum solis gaudeat amicis in deo. Altitudo spem denuntiat futuræ retributionis, cuius intuitu libenter infima quæq; siue quæ demulcent, seu quæ aduersantur contemnit, usq; dum utrisq; transcensis, sola mereatur uidere bona domini in terra uiuentium. Vnde apte longitudo domus, sexagenario cubitorum numero comprehenditur: senarius namq; numerus, in quo mundus factus est, perfectionem solet designare bonorum operum. Et necesse est nos ita per longanimitatem molestias ferre nostræ peregrinationis, ut merito bonæ operationis, promissam patriam cum apparuerit ualeamus intrare. Latitudo uicenario numero determinatur, propter geminam eiusdem charitatis, qua deum & proximum amamus, distantiam. Altitudo tricenarij propter fidem sanctæ trinitatis, quæ unus est deus, in cuius uisione cuncta spei nostræ desideria suspenduntur. Sex ergo ad operis perfectioné, duo ad dilectionem dei & proximi, tria pertinent ad spem diuinæ uisionis. Singuli autem numeri recte per X multiplicantur, quia non nisi per fidem & custodiam decalogi legis uel patientia nostra salubriter exercetur, uel charitas utiliter accrescit, uel spes sublimiter ad æterna desideria raptatur. Et porticus erat ante templum XX cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis templi, & habebat X cubitos latitudinis ante faciem templi. De hac porticu in libro Paralipomenon ita scriptum est. Porticus uero ante frontem quæ tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus, cubitorum XX. Patet ergo quia porticus hæc ad orientalem templi partem facta est. Templum namq; conuersum erat ad orientem sicut & tabernaculũ, habebatq; ostium porticus ante ostium templi, iuxta quod historicus Iudæorum Iosephus apertissime docet, ita ut sol ęquinoctialis oriens directis radiorum suorum lineis per ostia tria, portici uidelicet & templi & oraculi arcam testamenti perfundere posset. Quia uero templum sanctam ecclesiam designat, porticus quæ erat ante templum & prior lumen solis accipere solebat, quid aptius quàm illam eius partem, quæ dominicæ incarnationis tempora præcessit, typice denũtiat: in qua sunt patriarchæ & prophetæ, qui orientem huic mundo solem iusticiæ susceperunt primi, & nascenti domino in carne testimonium siue uiuendo, siue prędicando, siue nascendo, seu etiam moriendo præbuerunt. Ostium ergo templi dominus est, quia nemo uenit ad patrem, nisi per ipsum, & qui alibi dicit, Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Ostium porticus sermo propheticus est, qui quasi recto calle ingredientes ad ostium templi perducebat, & gratiã domini saluatoris, qua mundum erat redempturus prædicabat. Factura ergo porticus tota, fideles illius temporis signat. Ostium uero in porticu, doctores qui cæteris lucem uitæ ianuamq; intrandi ad dominum pandebant exprimit. Et bene unũ ostium, propter consonam in omnibus sanctis fidem ac dilectionem ueritatis.

Quæ

Quæ uidelicet porticus iuxta latitudinem templi XX cubitis lõga erat, quia nimirum antiqui iusti multa diu patientia & longanimitate expectabant, quando apparens in carne dominus, nouam euangelij gratiam mundo afferret, non acceptis ipsi promissionibus, sed à longe eas aspicientes & salutantes. Aequabant ergo longitudine sua latitudinem templi; quia per longanimitatem mentis deuotæ desiderabant uidere dilatationem ecclesiæ in charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Qui quamuis tempore adhuc fuerint à sacramentis dominicæ incarnationis separati, fide tamen ac prædicatione fuerunt proximi. In huius sacratissimæ porticus prima fronte fuerunt beatus protomartyr Abel, & Seth & Enos, cæteriq; iusti mundi originalis. In intimo autem penetrali & quasi prope murum templi mysticum, obtinuere locum parentes beati pręcursoris domini, Simeon & Anna, cæteriq; qui & si natiuitatem eius uidere meruerunt, ad auditionem tamen doctrinæ eius, & ad perceptionem sacramentorum eius peruenire nequiuerunt. Quæ bene porticus decem cubitis erat lata, quia tales & si nec dum uerba siue mysteria euangelij, quæ erant per dominum tradenda receperunt, præcepta tamen decalogi quæ perceperunt perfecta dilectione dilatati in domino seruabant. Fecitq; in templo fenestras obliquas) Fenestræ templi doctores sunt docti, & spirituales quiq; in ecclesia, quibus mente excedentibus deo, arcana secretorum cœlestium specialius cæteris uidere conceditur, qui dum ea quæ in occulto uident, publice fidelibus pandunt, quasi suscepto lumine solis fenestræ cuncta templi penetralia replēt. Vnde bene eædem fenestræ obliquæ, id est, intus latiores & foris angustiores fuisse perhibētur, quia nimirum necesse est ut quisquis iubar supernæ contemplationis uel ad momentum percepit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atq; ad maiora capessenda solerti exercitatione præparet. Et ædificauit super parietem templi tabulata per gyrum, & in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. Tabulatum quod super erat V cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum VI cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum VII habens cubitos latitudinis) Hæc tabulata in euangelio, ubi dominus tentatur à diabolo, pinnacula templi uocantur. Sed & Iacobum fratrem domini apostolum in pinnacula templi, unde ad populum concionaretur, leuatum esse audiuimus. Vtrum autem moris fuerit doctoribus, ut in his sedentes tabulatis ad circumstantem inferius turbam fecerint sermonem, nusq; in scripturis inuenimus. Patet ergo ratio sacramenti, quia tabulata hæc tria, totidem fidelium gradus, coniugatorũ uidelicet, continentium, & uirginum designant: distinctos quidem altitudine professionis, sed societate fidei & ueritatis omnes ad domum domini pertinētes, eiq; fixa mente inhærētes: ubi pulchre dicitur, quia tabulatum quod super erat V cubitos habebat latitudinis, medium VI, tertium VII. Supremum ergo tabulatum erat cæteris angustius, quia nimirum altior professio uirtutis, al-

De fenestris & tabulatis templi. IX

tiorem debet uiam tenere uiuendi. Nam quicunq; abrenuntiato uinculo coniugali, uirginitatem suam domino consecrauerunt, mores simul oportet uirginitati condignos ostendant, abstineant ab ociosis eloquijs, ira, rixa, detractatione, habitu impudico, comessationibus, potationibus, contentione & æmulatione: & econtrario uigilijs sanctis, orationibus, lectionibus diuinis, & psalmis, doctrinæ & eleemosynis, cæterisq; sanctis fructibus operam impendant: ut qui futuræ statum uitæ in professione tenent, in qua non nubent, nec nubentur, sed sunt sicut angeli in cœlo: huius quoq; statū quantum mortalibus possibile est, in præsenti contendant imitari. At uero infimum tabulatum amplioris erat latitudinis, quia non deus coniugatis, Vade uende quæ habes, & da pauperibus: Sed si uis, inquit, ad uitam ingredi, serua mandata, non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtū, non falsum testimonium dices, & cætera. Medium inter hos locum tenēt continentes: qui quantum uirginibus inferiores tantū eminentiores coniugatis: quorum postea gloriosissimam primitiuam in Hierosolymis ędificabat ecclesiā, scribente beato Luca, quia multitudinis credētium erat cor unum, & anima una, & cætera: quorum maximam partem eos reliquisse cōplexus, testatur historia sancti Stephani, ubi fœminas eadem religione pollentes non coniuges, sed uiduas appellat eorum. Singula autem tabulata in circuitu habebant latera, id est, luriculas, ne quis in eisdem tabulatis cōsistens, siue residēs posset ad inferiora decidere, quod Ozię regi contigisse legimus in Samaria. Quæ nimirum latera, non incongrue quotidiana diuinæ protectionis erga nos munimina designāt. De quibus psalmista, Immittit, inquit, angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Ascendit quidem in cœnaculum Ozias rex Samariæ, qui se à domo Dauid separauerat, sed per cancellos decidit: quia & si hæretici siue schismatici aliquam bonæ actionis arcem conscendere uidentur, tamen compagem unitatis ecclesię non habent, quasi patentibus & non solidis laterum præsidijs, semper ad uiciorum infima relabuntur, dum diuino destituti auxilio suæ pertinaciæ fastu intereūt. Qua autem arte præfata tabulata parietibus templi sint affixa, declaratur cum subditur. Trabes autem posuit in domo per circuitū forinsecus, ut non hærerent muris templi) Trabes ergo quæ intrinsecus domum muniebant & ornabant, tantæ erant longitudinis, ut capita earum forinsecus prominerent, in infimo quidem ordine cubitorum VII, in medio VI, in supremo V: atq; in eisdem capitibus earum tabulata componerentur, nequaquam muris templi infixa, sed iuxta muros trabibus quæ de muris exierant superposita. Quid itaque per trabes domus quæ tabulata portabant, nisi prædicatores sunt typice designati? Qui dum ipsi sublimem atq; honorabilem in ecclesia dei locum tenent, infirmiores quosque ac fragiles suis prædicationibus ab infimorum appetitu sustollunt, atque ad cœlestia desideranda ac speranda suspendunt, suis etiam intercessionibus, ut in cœptis persistāt adiuuant. Legimus

gimus autem in libro Paralipomenon, quod trabes templi, sicut & cætera eius interiora fuerint auro uestitæ. Quod ita factum esse non dubium est, ut illæ trabium partes, quæ intus in templo, aureis essent laminis uestitæ: quæ uero foris parebant, hæ minime deauratæ ipsam cedri speciem formamq; cunctis ostenderēt. In qua tamē imposita sibimet tabulata gestabāt. Quod ergo extrinsecus eminebat trabium, uitam sanctorū, quæ nobis in terris innotescere potuit designat: quod intus in templo deauratum fulgebat, claritatem illam qua in cœlesti patria in aspectu sui creatoris iusti gaudent, figurate denuntiat. Quæ nimirū claritas trabiū aurearum illis solūmodo qui templum intrabant, patebat: quia q̃ sit magna multitudo dulcedinis dei quā abscondit timentibus se, & perfecit sperātibus in se, soli norūt illi qui regnū cœleste meruerunt intrare. Et tamen cum nos uitā, passiones, doctrinas sanctorum cernentes, siue in scripturis legentes, ad benefaciendum exemplo eorum excitamur, quasi in capitibus trabium foris apparentium à terra subleuamur: quia quamuis internam sanctorum gloriam perspicere necdum ualeamus, ex eo tamen quod exterius uidere ualuimus, sublimibus ecclesiæ membris fideliter adhæremus. Possumus hæc etiā de sanctis in hac uita adhuc positis intelligere, quorum puritatē dilectionis, qua in secreto cordis coram domino refulgent, inspicere nequimus. Attamen ex eis quæ loquendo uel agendo uel patiendo foris ostendunt, auxiliū nostræ salutis inuenimus.

Domum autem cum ædificaretur de lapidibus dolatis atq; perfectis ædificata est. & malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur) Hæc ad illā ecclesiæ partem, quæ post huius seculi labores & certamina ad æterna præmia meruit introduci, proprie pertinent. Ibi etenim nemo aliquid coinquinatum faciet, uel abominationem & mendacium: sicut in Apocalypsi scripsit Ioannes. Malleus & securis & omne ferramentum nō auditur, quia hic tundimur aduersitatibus, & disciplina ueritatis exercemur, ut illic locis iuxta meritū congruis disponamur, & castigatione cessante solo amoris glutino, quo adinuicem copulemur, uno impleti spiritu perfundamur. Hic enim foris tundimur, ut illic sine reprehensione inueniamur. Hic malleus, hic securis, hic omnia tunsionum resonant ferramenta: in domo autem dei nulli ictus audiuntur, quia in æterna patria omnes iam percussionum strepitus conticescunt. Nequaquā ibi malleus percutit, quia nulla animaduersio affligit: nequaquā securis incidit, quia receptos interius nulla foris sententia seueritatis proijcit. Nequaquā ibi ferramenta perstrepunt, quia nec quælibet minima ultra iam flagella sentiūt. Lapides ergo extra tunsi sunt, ut in constructione templi domini absq; mallei sonitu ponerent: quia uidelicet nunc foris per flagella tundimur, ut intus in templū dei postmodum sine disciplinæ percussione disponamur: quatinus quicquid in nobis est superfluum modo percussio resecet, & tunc sola nos in ædificatione cōcordia charitatis liget: ut hic diuersis aduersitatibus extra contusus atq;

expiatus homo erroribus meritorum, ita iam ibi purus purũ uideat deum, quo ornamentis ipsius ciuitatis mereatur affigi, post transitũ habens locum sibi solũmodo à domino præparatũ. Ostium lateris medij in parte erat domus dextræ, & per cochleã ascendebat in mediũ cœnaculũ, & à medio in tertiũ) Quidã hunc locũ male intelligẽtes, putãt ostiũ templi à meridie fuisse, nõ adtẽdẽtes quod si hoc significare uoluisset scriptura, nõ ita diceret, ostium lateris medij in parte erat domus dextræ, sed ita potius simpliciter, Et habebat domus ostiũ ad meridiẽ. Nũc autẽ longe aliud significat. Partẽ nãq; domus dextræ latus templi meridianũ dicit, in cuius parte oriẽtali ostiũ erat in ipso angulo factũ, iuxta terrã, in quod introeuntes statim ad altiora gradatim ascendebãt, habentes uiã ascensum, per ipsa parietis interiora. Vnde cõsequẽter adiũgitur, & per cochleã ascendebãt in mediũ cœnaculũ, & à medio in tertiũ. Nec dubitandũ quãlibet scriptura nõ dicat, quia sic ascendẽtes creberrimas habebãt à meridie fenestras, quarũ luce certũ per omnia, & sine offensione iter agerẽt. Ostiũ uero quo ad quotidiana tẽpli ministeria ingrediebatur, erat ad orientẽ, sicut iam meminimus, ut Iosephus refert: & porticus ante faciẽ illius, & ipsa patẽs ad orientẽ: ita ut exoriẽs sol æquinoctialis sine ullo obstaculo radios suos per ostia tẽpli & oraculi in ipsam arcã quæ erat in sanctis sanctorũ mitteret. Porrò ascẽsus qui in domũ superiorẽ, & à superiore ducebat in tertiũ, australi erat tẽpli latere: cuius dispositio ascensus, mysterium nobis multũ memorabile cõmendat. Claret namq; quia templũ hoc quod Salomõ fecit, corpus pacifici regis Christi nõ solũ illud quod est ecclesia eius tota, uerũetiã ipsum quod sacrosanctũ de uirgine, ut esset caput ecclesiæ, suscepit: figurate insinuat. Erat autẽ ostiũ lateris medij, in pariete domus dextræ. De quo occulte ab inferioribus in mediũ cœnaculũ, & à medio ascenderetur in tertium, quia passo in cruce domino unus militũ lancea latus eius aperuit. Et bene in parte domus dextræ: quia dextrum ei latus à milite apertum sancta credit ecclesia. Vbi & apto uerbo usus euãgelista est, ut nõ diceret, percussit latus eius aut uulnerauit, sed aperuit, uidelicet quasi ostiũ lateris medij, per quod nobis iter ad cœlestia pãderetur. Deniq; ita subiunxit, Et continuo exiuit sanguis & aqua, aqua scilicet qua abluimur in baptismo, & sanguis quo cõsecramur in calice sancto. Per hoc nãq; ostiũ nobis est ascensus in mediũ cœnaculũ, & à medio inde in tertiũ: quia per fidẽ & mysteria nostri redẽptoris, de præsenti ecclesiæ cõuersatiõe ad requiẽ animarũ post mortẽ ascendimus, rursumq; de requie animarũ aduenïẽte die iudicij, ad immortalitatẽ quoq; corporũ quasi in tertiũ cœnaculũ sublimiore profectu penetrabimus, ex quo & magna amborũ corporis uidelicet & animæ beatitudine perpetuo uiuamus. Quod quidẽ iter inuisibiliter agebatur, ita ut soli hoc qui intrauerũt nossent, quamuis ipsum ostiũ etiã foris positi uiderẽt: quia nimirũ actus fideliũ in hoc seculo, & celebratiões sacramẽtorũ etiam reprobi possunt intueri: uerum arcana fidei & intimæ gratiam dilectionis nullus, nisi qui per hæc

De cochlea templi. X

domino

domino duce ad cœlestia ducitur, agnoscit. Qui enim se dicit nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Notandũ sanè quod XXX cubiti altitudinis, de quibus supra legitur, usq; ad medium cœnaculum pertingebant: deinde alij XXX cubiti usq; ad tertium cœnaculum addebantur, quo usq; porticus quæ erant circa templum ab austro & aquilone & occasu ad tectum perueniebant, ut Iosepho narrante didicimus. Deinde usq; ad supremũ tẽpli tectũ alij LX cubiti numerabãtur, & sic tota altitudo domus iuxta librum Paralipomenon in CXX cubitos consummata est. Porticus quoq; quæ erat ante frontem templi ad orientem iuxta fidem præfati uoluminis, eandem cubitorum summã in altitudine habebat, qui uidelicet illas, de quibus supra diximus porticus circa templum cellaria uocat, & cubicula. Dedit inquit, Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus & templi & cellariorum & cœnaculi & cubiculorum in abditis, & domus propitiationis. Vbi etiam exteriorum domorum, quæ erant extra atrium sacerdotum in circuitu templi, fecit mentionem, cum protinus adiunxit, Nec non & omniũ quæ cogitauerat, atriorum, exhedrarum per circuitũ in thesauris domus domini, & in thesauris sanctorum. Quod autẽ omnis altitudo templi CXX cubitorũ, ad idem sacramentũ respicit, quo & primitiua in Hierosolymis ecclesia post passionem & resurrectionem & ascensionem domini in cœlos, in hoc numero uirorum gratiam spiritus sancti accepit: XV, namq; quæ ex VII & octo constant, solent nonnunquam ad significationem referri uitæ quæ nunc in sabbatismo geritur animarum fidelium, perficietur autẽ in fine seculi resurrectione corporum immortalium. Ipsa autem XV in trigonum ducta, id est cum omnibus suis partibus annumerata, CXX efficiunt. Quapropter apte numero centenario & uicenario, magna electorum beatitudo in futura uita designatur. Apte in hoc tertium domus domini cœnaculum consummatur, quia per præsentes fidelium labores, post acceptam in futuro requiem animarum, plena totius ecclesiæ felicitas in resurrectionis gloria complebitur. Ad quod mysterium æque pertinet, ut diximus, quod resurgens à mortuis dominus, atq; ad cœlos ascendens, huic numero uirorũ spiritũ sanctũ in linguis igneis misit, qui eos diuersitate linguarũ adinuicẽ cognitione loquelarũ cõmunẽ in laude fecit habere sermonẽ. Nam & ecclesia suo tẽpore resurgẽs à morte, atq; ad cœlos in carne incorruptibili ascendẽs, plene ac perfecte domino spiritus sancti illustratur, quãdo iuxta promissum Apostoli erit deus omnia in omnibus. Tunc plena erit adunatio linguarũ in omnibus, ad prædicanda magnalia dei, quia cõsona mente ac uoce omnes gloriã diuinæ maiestatis, quia præsentẽ uident, collaudãt. Et ædificauit domũ & cõsummauit eam, texitq; domũ laquearibus cedrinis) Laquearia sunt tabulata, quæ magno decore composita & ornata, ab inferiori parte trabibus affigunt clauis. Et quia ter geminæ altitudinis domus dñi facta erat, terna nimirũ habebat laquearia: prima uidelicet post XXX cubitos à pauimento, secunda post

cubitos

cubitos LX contra summitatem porticorũ, tertia post cubitos CXX in summitate totius domus. Quid autem aptius per laquearia, quàm sublimiores quosq; in sancta ecclesia iustos significari credamus, quorum opus & doctrina cunctis in exemplo proposita quasi longius in alto prȩminet, quiq; suis intercessionibus & exhortationibus animos infirmorum, ne in tentationibus deficiant, protegunt. Quæ nimirũ laquearia, recte cedrina esse describuntur. Cedrus namq; arbor est, imputribilis omnino naturȩ, odoris iocundi, aspectus nitidi, serpentes accensa nidore fugans ac perimens: quæ perfectis quibusq; conueniunt, quorum insuperabilis est patientia, fama uirtutũ eximia, præ cunctis gratissima bonis, autoritas ad reuincendos confutandosq; eos qui ueritati resistunt, constantissima, qui & in hac uita, & in futura singulari præ cæteris sanctis eminentia fulgent. Et ædificauit tabulatum super omnem domum, V cubitorum altitudinis) Hoc est enim quod in Deuteronomio præcepit Moyses, fieri in omni domo, quam quisq; ædificaret: cum ædificaueris, inquiens, domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente. Hoc enim tabulatum in supremo domus tecto per circuitum, in extremo murorum uice cancellorum erat erectum, ne quis ad superiora cõscendens, dum ad terminum tecti perueniret, incaute progrediendo dilaberetur ad ima. Quod esse passus rex Ozias in sequentibus inuenitur, qui per cancellos cœnaculi decidens, letiferum incidit in languorem. Quibus tabulatis seu muris uel cancellis, cum ad tutelam uiæ ponuntur, uulgus luricularum nomen indidit. Hæc autem tabulata siue luriculæ, supra sunt latera uocata. Vbi cum dictum est, & ædificauit super parietẽ templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi & oraculi: cõtinuo subiunctum est, & fecit latera in circuitu. In quibus nimirũ lateribus intelleximus diuina esse præsidia designata, quæ nos in hoc adhuc seculo laborantes, ac pro captu nostro ad superiora nitentes, quotidie ne deficiamus adiuuãt: ad cuius formam sensus etiam hunc locum intelligere debemus, sed ea distinctione, quod in hac uita inter crebra uel hostis impacata tentamenta, uel nostræ fragilitatis obstacula, crebro imò continuo supernæ pietatis munere, ne corruamus defendimur. In illa uero uita quam supremum templi tectum, ut supra docuimus, insinuat, tanta dei præsentis gratia munimur, ut nec uelimus ultra peccare, nec possimus, neq; ullo mortis siue doloris, siue tentantis aduersarij metu afficiamur. De præsentibus domini auxilijs quasi de lateribus tabulatorum, dicit ipse dominus loquẽs de populo suo: Inuocabit me & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. De futura autem eius gratia, qua superna illa ciuitas illustratur, dicit eidem ciuitati propheta, Lauda Hierusalem dominum, lauda deũm tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te: qui posuit fines tuos pacem. Bene autem hoc tabulatum in tecto domus

mus domini V cubitis altum esse memoratur, quia nimirũ ita nos in illa patria diuinæ præsentia claritatis adimplet, ut nihil aliud uisus noster, nihil auditus, nihil olfactus, nihil gustus, nihil tactus dulce habeat, nisi diligere dominum deum no[illegible]um ex toto corde, tota anima, tota uirtute, & proximum tanquam nos ipsos. Et operuit domum lignis cedrinis) Supremum enim totius structuræ domus tegumentum designat, hoc est tabulatũ quod illis trabibus desuper appositum erat, quibus suprema quæ prædiximus laquearia subter erant affixa. Non autem habebat templum culmen in superioribus, sicut nec tabernaculum, sed erat æquale quomodo omnibus in Palestina & Aegypto domus ædificantibus facere moris est, quia ad sedendũ uidelicet uel deambulandum apta construuntur. Vnde dicit in euãgelio dominus. Et quod in aure audistis, prædicabitur in tectis. Talis namque locus aptissimus erat, de quo uerbum prædicator uel assistentibus sibi, uel inferius positis auditoribus proferat. De quo & in prouerbijs Salomon. Melius est, inquit, habitare in angulo domatis, quàm cũ muliere litigiosa in domo communi. Quod enim latine tectum, græce dicitur doma. Sed & porticus ipsæ circa templũ trina habebant laquearia, prima post cubitos à terra XX, secunda post XL, tertia post LX, plana enim & ipsorum facta erant tecta. Erant autem porticus XXX inferius, XXX in medio, XXX desuper, non muris ab inuicem, sed tabulatis discretę, ita ut singulæ eorum quæ erant numero XC, quinos cubitos in latitudine & longitudine, uicenos autem in altitudine haberent. De quibus uidelicet porticibus frequens in libro dierum mentio fit, sed quo sint ordine dispositę plenius explicat Iosephus. Idipsum autem hoc tabulatum quo operta est domus, quod & laquearia, designat eximios quosq; in resurrectiõis gloria uiros, & singulari sanctitate ad ipsum uirtutis apicem peruenientes. De quorum uno dicitur, Inter natos mulierũ non surrexit maior Ioanne baptista. Cuius si comparem magnitudinis scire uis, audi quid patri ipsius angelus ait, & ipse præcedit ante eum in spiritu & uirtute Heliæ. Et ædificauit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis à pauimẽto domus usq; ad summitatẽ parietum, & usq; ad laquearia operuit lignis intrinsecus. Quid est quod domus cedro erat uestita ? Nã forinsecus tãto nitore lapis ipse de q̃ facta erat fulgebat, ac si calculo esset candido tecta. Iuxta sensus uero mysticos: parietes sunt tẽpli, populi fideles, ex quibus sancta uniuersalis ecclesia cõsistit, quorũ dilatationẽ per orbẽ latitudo designat parietũ, spem uero & intentionẽ omnẽ ad cœlestia erectã, altitudo. Vel certe altitudo parietis quæ ex ordinibus lapidũ super inuicẽ positis constat, præsentis statũ signat ecclesiæ, ubi electi super fundamentũ Christi omnes ædificati, sibi inuicẽ in ordine per temporũ curricula succedũt, seseq; inuicem portantes, legem Christi quæ est charitas adimplent. Dum enim hij qui nunc præcedentibus erudiuntur magistris, rursum ipsi alios erudiũt, quasi super se inuicem positis ordinibus quinq; lapidum uiuorum in domo

dei sic

dei,sic ab aliis fixa constantia portantur,ut ad portandos alios & ipsi suffici-
ant,usque ad ultimos qui in fine mundi nasciturí sunt iustos,qui quasi in sum
mo dei domus cacumine locati docentur,& portantur ab aliis, sed quos do-
ceant,quorúmue fragilitatem tolerent ipsi non habent, Qui uidelicet parie-
tes intrinsecus tabulatis cedrinis operiuntur,cum corda fidelium amore uir-
tutum redundant.Sicut enim cedri natura perfectos homines, ut supra do-
cuimus,typice denuntiat:ita etiam locis opportunis celsitudinem uirtutum
quibus ad eandem perfectionem uenitur, non immerito designat. Tegun-
tur autem omnia lignis à pauimẽto domus usque ad summitatem parietum,
& usque ad laquearia, cum electi à primis fidei rudimentis usque ad perfectio-
nem bonæ actionis,& usque ad ingressum patriæ cœlestis bonis insudare nó
desistunt operibus,cum à primis iustis usque ad ultimos in consummationẽ
seculi omnes uirtutibus student,quorũ merito iure ualeant protestari, quia
Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Et texit pauimentum tabu-
latis abiegnis) Hoc quomodo factum sit, plenius in libro Paralipomenon
explicat,ubi scriptum est: strauit quoque pauimentum templi preciosissimo
marmore stratũ decore multo. Vnde patet quod tabulas abiegnas quibus
pauimentum tegeret nequaquam in terra posuit, sed primo illud marmore
protexuit,ac deinde tabulas superposuit,ac tertium his duobus auro uesti-
tum superaddidit,ut in sequentibus legitur.Sicut autem altitudo parietis in
altum exurgens, atque usque ad laquearia perueniens,profectus uirtutum,qui
bus electi ad regnum cœleste perueniunt,uel certe ipsos electos choros sibi-
met per tempora uariantia succedentes significant:ita æqualitas pauimenti
concordem eorundem humilitatem,qua in temporali adhuc uita positi so-
cialiter inuicem charitate dictante conuersantur, nó immerito demonstrat.
Quod uidelicet pauimentum preciosissimo erat marmore stratum decore
multo,idemque marmor mox tabulis tectum abiegnis:quia nimirum uita iu
storum primo fidei firmitate præmunienda in corde, ac deinde uirtutũ spi-
ritualiũ latitudine est adornanda in opere:alioquin quid utilitatis habet de
cor marmoris preciosissimi lignorum tabulis obtectus,si non mysticum ali-
quid tacite signabat,ac bonorum amplitudinem operum fortitudine fidei
intemerate suffulciendã esse docebat? Abies uero propter altitudinẽ sui &
robur durabile mentẽ electorũ infima queque desideria spernentẽ,& cœlesti
semper contemplationi intentam,uirtute quoque patiẽtiæ singulariter excel-
lentem,non incongrue demonstrat. Auri autem laminę quæ marmori ac ta
bulis sunt abiegnis superpositæ,ipsa est latitudo charitatis de corde puro &
conscientia bona,& fide non ficta, quæ sicut aurum aliis preciosius est me-
tallis,ita cæteris eximior uirtutibus in templo dei singulari luce refulget. Vn
de bene Apostolus cum plurima uirtutũ bona,quæ humilibus essent corde
seruanda,quasi pauimẽti ornatus enumeraret,dicẽs,Induite uos sicut electi
dei sancti & dilecti uiscera misericordiæ,benignitatem,humilitatem,patien
tiam

tiam,modestiã,sufferentes inuicem,& donantes uobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelã: sicut Christus donauit uobis, ita & uos facite: repente uelut desuper addendo aureo uelamine adiunxit, super omnia autem charitatem habentes,quod est uinculum perfectionis. Ædificauit quoq; uiginti cubitos ad posteriorẽ partem templi, tabulata cedrina à pauimẽto usq; ad posteriora,& fecit interiorem domum oraculi in sanctum sanctorum.) Posteriorem templi partem occidentalem dicit,ab ortu enim solis ingressum habebat templum,& ab occasu domum interiorem, hoc est sancta sanctorum. Quod autem tabulata quæ interiorem domum ab exteriore separabãt,à pauimento usq; ad superiora esse dicuntur ædificata,non usq; ad laquearia,quę XXX cubitos erant in sublime à pauimẽto suspensa, ut supra iam dictum est: sed usq; ad cubitos XX altitudinis, ut in sequentibus aperte legitur: reliquum uero erat supra hæc tabulata apertum & inane usq; ad laquearia cubitis decem altitudinis, & cubitorum XX longitudine iuxta latitudinem domus. In qua distinctione domus domini,patet figura mysterij,& Apostolo exponente luce clarior est.Quæ prior domus in quam semper introibãt sacerdotes sacrificiorum officia consummantes præsens est ecclesia, ubi quotidie insistẽtes pijs operib. domino sacrificia laudis offerimus. Interior uero domus quæ ad posteriorem templi partem erat facta, ipsa est promissa nobis uita in cœlis. Interior quidem à conuersatione nostri exilij remota, estq; in præsentia regis summi perpes ubi beatorum & angelorum & hominum solẽnitas agitur. Vnde de ea bene merito seruo dicitur, Intra in gaudium domini tui. Sed posterior,tempus quo post huius seculi labores ad illius ingressum perducimur. Tabulata autem quæ utramq; domũ ab inuicem diuidunt, ipsa sunt claustra cœli quorum nobis apertionem quotidie suspiramus,& quantũ dominus donauerit,pia semper instantia donec aperiãtur ut intrare liceat pulsamus. Vbi & si necdum ante solutionem corporũ intrare permittimur, apertã tamen habemus ianuam diuinæ pietatis,qua orationum nostrarum, eleemosynarũ, ieiuniorum,cæterorumq; bonorũ operũ thymiamata præmittamus. Bene autem interior domus XX cubitos longa facta est, propter mysterium geminæ dilectionis, de quo supra diximus, quæ in hac interim uita ex parte maxima electorum illustrat mentes,sed in illa patria cessantibus aliarum uirtutũ operibus sola perpetuo regnat. Porrò XL cubitis erat ipsum templum pro foribus oraculi.) Diximus ipsum templum pro foribus oraculi, præsentis ecclesiæ typum gessisse. Vnde recte fuit XL cubitorum, qui numerus sæpe in significatione ponitur præsentis fidelium laboris, quomodo quinquagenarius in significatione futuræ quietis & pacis.Denario namq; numero cõtinentur præcepta,quorum obseruatione ad uitam uenitur:denario æque significatur ipsa quam desideramus & pro qua laboramus uita perennis.Quadratus uero est mundus,in quo pro acquirẽda eadem uita certamus. Vnde & psalmista congregandam de gentibus ecclesiam præuidens,aiebat, De regionibus congre-

De mensura templi & oraculi XII

gauit eos, à solis ortu & oc. ab aquil. & mari. Decem autem quater ducta, XL faciunt. Vnde populus ab Ægypto liberatus in figura præsentis ecclesiæ, XL annis in eremo multis laboribus exercebatur, simul & pane cœlesti reficiebatur: ac sic tandem ad promissam olim patriam peruenit. Exercetur enim tentationibus XL annis, ut labores ecclesiæ, quibus totum per orbem in obseruanda dei lege desudat, insinuentur. Pascitur manna de cœlo per eosdem XL annos, ut ostendantur ipsæ quas ecclesia tolerat passiones, spe denarij cœlestis, hoc est æternæ beatitudinis esse leuigandæ. Vbi hij qui nunc esuriunt & sitiunt iustitiam saturabuntur: & sicut eadem ecclesia suo canit redemptori, Ego autē cum iustitia apparebo conspectui tuo, saciabor dum manifestabitur gloria tua. Pariter ergo populus dei & afficitur aduersis & reficitur manna, ut sit illud Apostoli, Spe gaudentes, in tribulatione patientes. In qua figura & dominus noster XL diebus ante mortem carnis suæ ieiunauit, XL etiam epulabatur cū discipulis, post resurrectionē carnis suæ, apparens eis in multis argumentis, & loquens de regno dei, & conuescens: ieiunando etenim ostendebat nostrum in se laborem: manducando autem cum discipulis, ostendebat in nobis suam consolationem. ieiunans uelut clamabat, Attendite ne grauētur corda uestra in crapula & ebrietate, & curis huius uitæ. Manducans autem & bibens, uelut clamabat, Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Et, Iterum autem uidebo uos, & gaud. c. u. & gaudium u. n. tol. à u. Simul enim cum uiam domini carpimus, & à uanitate præsentis seculi ieiunamus, & futura promissione reficimur, hic non apponentes, quia illic pascentes sursum est cor. Et cedro omnis domus intrinsecus uestiebat, habens tornaturas suas & coniuncturas fabrefactas, & cælaturas eminētes) Diximus de cedro quod insuperabilem uirtutum uenustatem signaret, quo nimirum ligno omnis domus domini intrinsecus uestitur, cum corda iustorum solo bonorum operum amore nitescunt: habetq; domus in tabulis cedrinis tornaturas suas, & coniūcturas fabrefactas, cum ijdem electi se adinuicem pulcherrima charitatis copula cōnectunt, ita ut cum innumera sit multitudo fidelium, unum tamen cor unam habere animam pro communis fidei ac dilectionis societate merito dicantur. Namq; tornaturæ quæ iuncturis tabularum apponebantur, ut unum ex omnibus fieret tabulatum, ipsa sunt officia charitatis, quibus adinuicē fraternitas sancta copulatur, atq; in unam Christi domum toto terrarum orbe componitur. Quæ etiam domus habet cælaturas eminentes, cum opera uirtutum sancti nequaquam occulte tegunt, sed manifesta expressione omnibus foris quales sint ipsi, quid agant in exemplum uiuēdi proferunt: quomodo fecit apostolus Paulus, qui non solum prædicando gentibus Christum, & patiendo ipse pro Christo quantum emineret ostendebat, uerumetiam in epistolis ad ecclesias destinatis quot pericula pro Christo toleraret, quantis reuelationibus à Christo sit sublimatus, felici glorificatione declarabat. Qui cum suis dicere auditoribus non dubitaret, imitatores mei

estote sicut & ego Christi: quid in domo domini, nisi cælaturas eminentes ostendit, qui singulari culmine uirtutis cunctis sese imitabilē præbuit? Omnia cedrinis tabulis uestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.) Et lapis parietis siue pauimenti & tabulæ & aurum, sanctorum in ecclesia uitam omnia designant: sed ea distinctione cum pariter ponuntur, ut lapides uiui sint sancti, fortitudine fidei in unam eandemq; regulam sibimet adglutinati: tabulæ cedrinæ siue abiegnæ sint sancti, latitudine uariarum uirtutum, secundum donationes sancti spiritus, in una eademq; fide sibimet alterutrum connexi: auri laminæ sint sancti supereminentem scientiæ charitatem habentes: hi sunt qui fulgore gratissimo adinuicē congaudent. Quæ tria beatus Apostolus una sententia complexus est dicens. Nam in Christo Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neq; præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Fidei namq; inuictæ lapis figuram tenuit, cedrus sanctionis odoriferæ, aurum transcendentis omnia dilectionis: uestiturq; lapideus paries tabulis cedrinis, cum professio fidei bonis ornatur operibus, ne sine operibus ociosa iudicetur aut mortua. Verum quia lex in lapide scripta, doctrina uero euangelij per lignum est dominicæ passionis confirmata, unde & populus lapide circuncisus in præputio, nos signo crucis consecramur in fronte: possunt non incongrue parietes templi lapidei, siue pauimentū preciosissimo marmore stratum, eorum qui in lege fideliter ac perfecte uixerunt, typum gerere: tabulæ uero cedrinæ siue abiegnæ noui testamenti iustos indicare, qui uolentes post dominum uenire abnegant semetipsos, & sumpta cruce sua quotidie secuntur illum. Et quoniam utriusq; temporis iustos communis manet supernæ gloria retributionis, lapidibus ac lignis preciosis tertia est species aurearum laminarum. Econtrario debet uideri quæ supra diximus. Porticus quæ erat ante templum, antiquorum fidelium debet figuram gestare: ipsum uero templum, eorum qui post incarnationis dominicæ tempus, in mundum uenerunt. Porrò domus interior, regni cœlestis gaudia, quæ utrisq; iustis dantur figurabat. Nunc autem dicamus parietes lapideos antiquum dei populum, tabulas cedrinas nouum, aureas laminas utriusq; in cœlis præmia designare, cum ijdem parietes templi, & in porticu, & in ipso tēplo, & in sanctis sanctorum pari fuerint modo de lapidibus & lignis & auro compacti. Multiplex namq; est in diuersis rebus earundē repetitio figurarum. Sed hoc dicendum, quod fuerunt in lege & ante scriptam legem plurimi, qui legaliter domino deseruirent, non occidentes, non fornicātes, non furtum facientes, non falsum testimonium loquentes, honorantes patrem & matrem, & diligentes proximos sicut seipsos. Hi ad parietes porticus lapideos pertinebant. Fuerunt alij, qui maiori perfectione relictis mundi negotijs, & assumpta cruce sua sequebantur dominum, qui, ut Apostolus scribit, ludibria & uerbera experti, insuper & uincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione

Quod domus sit cedro uestita & auro XIII

gladiј mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angu-
stiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Hi qui ante manifestata tem-
pora euangeliј uitam duxere euangelicam, quid nisi ante ingressum tabulata
cedrina in porticu fulgebant? Quos utrosq; quia idem regnum cœleste com-
muniter in mansionibus discretis recepit, quasi porticus templi post lapidem
& cedrum intrinsecus est auro cooperta. Sunt hoc tempore perplures, qui le-
galibus contenti præceptis, quæ supra commemorauimus, sufficere sibi cre-
dunt tantum, si ad uitam uenire mereantur. Sunt aliј ad perfectionem niten-
tes, uenditis quæ habent omnibus, memores promissi illius, quo talibus in
resurrectione non solum uitam sed & specialem prædixit honorem esse tri-
buendum, Amen dico uobis, quod uos qui sequuti estis me, in regeneratione
cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes
duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Hi ad parietes templi albo de
lapide factos, illi figuraliter ad cedrinas pertinent tabulas. Et quia utriq; præ-
mia à domino perpetuæ lucis, quasi auri laminas quibus decorentur, expe-
ctant, sunt in abditis tẽpli lapides preciosi, sunt tabulæ ligni aromatici, utra-
q; auro cooperta: quia & illi, qui in lege domini immaculati ambulauerunt, &
qui gratiam euangeliј perfecte susceperant, pariter æterna uita perfruuntur.

Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, ut poneret ibi
arcam fœderis domini.) Hoc superius præoccupando expositum est, quia ui-
delicet interior domus secreta patriæ cœlestis, arca fœderis dominum saluato-
rem, in quo solo fœdus pacis apud patrem habemus, designaret: qui post re-
surrectionem suam ascendens in cœlum, carnem quam assumpsit ex uirgine
in patris dextram locauit. Porrò oraculũ habebat uiginti cubitos in longi-
tudine, & uiginti cubitos in latitudine, & uiginti cubitos in altitudine.) Quod
dicitur uiginti cubitos in altitudine, parietem significat cedrinum, qui oracu-
lum, id est sancta sanctorum, ab æde exteriore segregaret, sicut & supra dixi-
mus. Oraculum ergo ubi erat arca, habebat uicenos cubitos in longitudine,
& latitudine, & altitudine, id est per quadrum: quia in superna illa patria, ubi
regem Christum in decore suo uident oculi sanctorum, sola charitatis diuinæ
ac fraternæ gratia, per omnia fulget. Quod sequentibus quoq; uerbis astrui-
tur, cum dicitur, Et operuit illud atq; uestiuit auro purissimo,) Quod est a-
perte dicere: quia mœnia supernæ ciuitatis, gratia charitatis impleuit. Sed

Quod altare cedro & auro uestitum. XIIII

& uestiuit altare cedro.) Altare dicit thymiamatis, quod erat infra oraculum.
De quo paulopost subinfertur, Et totum altare oraculi texit auro.) Vnde
intelligi datur, quia idem altare de lapide quidem fuerit factum, & cedro ue-
stitum, ac deinde auro coopertum. Significat autem typice, perfectorum ui-
tam iustorum, qui quasi in oraculo sunt positi, quia desertis infimis delecta-
tionibus, de solo regni cœlestis ingressu curam omnem impendunt. Vnde
bene in hoc altari, non carnes uictimarum, sed sola incendebantur thymia-
mata: quia

mata: quia tales non adhuc peccata carnis & illecebras cogitationum in se mactare opus habent: sed tantum orationum spiritalium & cœlestium desideriorum odoramenta, per ignem æterni amoris in conspectu sui conditoris offerunt. Quid autem in huiusmodi altari lapis cedrus & aurum figurarent, ex his quæ superius dicta sunt facile potest intelligi. Domum quoq; ante oraculũ operuit auro purissimo,& fixit laminas clauis aureis.) Domum ante oraculum præsentis ecclesiæ typum tenere diximus, ubi ita redemptoris nostri amore flagramus, ut necdum ipsum uidere facie ad faciem ualeamus. Vnde apte domus hæc auro quidẽ purissimo cooperta, sed interpositus erat medius paries ob oraculi secreta. Oraculum namq; uocatur, cum diuina hominibus uel angelica adloquutio, uel secretorum quorumq; reuelatio conceditur. Vnde bene oraculum in abditis, hoc est in interiori domo factum est, quia in superna patria & angelorum nobis uisio atq; adloquutio, & ipsa dei præsentia reuelabitur, iuxta hæc quæ ueritas ipsa diligentibus se pollicetur, dicens, Qui autem diligit me diligetur à patre meo,& ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Et iterum, Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar uobis, sed palàm de patre meo annuntiabo uobis. Domus ergo ante oraculum auro tecta est, quia perfecti quiq; iusti in hac uita, ubi necdum de patre palàm audire, id est necdum palàm uidere queunt, fidem & opus iustitiæ diuino ornant amore, per quem & plenam dei cognitionem mereantur. Laminæ aureæ, quibus operta est domus, operationes sunt multifariæ pietatis, quas in obsequium sui creatoris, uel fraternæ necessitatis, amor castus exhibet. Claui aurei quibus erant affixæ laminæ aureæ, sunt præcepta charitatis, siue promissa æternæ claritatis, per quæ in exercitio studioq; uirtutum ne deficiamus donante Christi gratia continemur. Vnde bene de eisdem clauis in libro Paralipomenon scriptum est, Sed & clauos fecit aureos, ita ut singuli claui siclos quinquagenos appenderent. Quinquagenario namq; numero solet in scripturis remissio peccatorum & gratia spiritus sancti & uita æterna figurari, quoniã quinquagesimus psalmus est pœnitentiæ & remissionis: quinquagesimus annus iubileus: quinquagesima die post pascha spiritus sanctus adueniens primitiuam ecclesiam consecrauit: & quinquagenorum erant siclorum claui singuli, quibus laminæ aureæ affigebantur parietibus domus domini, quia nimirum uerba cœlestia, quibus in amore bonorum operum proficimus, & conseruamur, ueniam nobis promittunt peccatorum gratia sancti spiritus, & sabbatismum in futuro pollicentur æternum. Et hij quidem sunt claui dilectionis. Sunt uero alij claui timoris, quibus incipientes quiq; & necdum ad perfectionem uenientes, illecebras uitiorum carnalium & uoluptatem mortificant, illo uidelicet sermone ueritatis, cuius institutione carnem nostram crucifigere cum uitijs & concupiscentijs edocemur. Quos habere desiderabat propheta, cum ait, Confige clauis timoris tui carnes meas, à iudicijs

 enim

enim tuis timui. Qui rursum ad perfectiora perueniens, dicit de clauis dilectionis, Mihi autem adhærere deo bonum est. Nihilq; erat in templo, quod non auro tegeretur, sed & totum altare oraculi texit auro.) Supra de altari dictum est. Plenius uero in libro Paralipomenon hæc explicantur, ubi porticus quoq; erat ante frontem templi deaurata intrinsecus, cœnacula quoque auro tecta esse perhibentur. Vbi figura mysterij in promptu est, quia tota ecclesia & in hoc seculo & in futuro, præ cæteris uirtutibus deo placitis dono charitatis abundat: & sola hæc quasi singulariter eminens, cæteras cælare uidetur. Deaurata est quippe porticus ante templum, quia patres ueteris testamenti deo per charitatem placuerunt. Deauratum est templum, quia eadem ipsa charitas diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Deaurata est domus interior, quia in superna patria sola charitas regnat. Sed ibi eo uerius & securius, quo præsens ipse deus, qui est charitas uidetur: ibi eo certius, quo ipse mediator dei & hominum, qui solus paternorum est conscius secretorum, uelut arca testamenti semper aspicitur. Quod autem cœnacula quæq; tecta sunt auro, ad eundem sensum respicit. Sicut enim interior domus sancti sanctorum, ubi erat arca, æternam sanctorum uitam in conspectu sui conditoris & redemptoris significat, iuxta illud Psalmistæ, Abscondes eos in abscondito uultus tui, à conturbatione hominum: ita cœnacula in alto, eandem uitam in cœlis esse, & non in hoc mundo, dicente Apostolo, Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ sunt terr. Et fecit in oraculo duo Cherubin de lignis oliuarum, decem cubitos altitudinis.) Cherubin, sicut propheta Ezechiel aperte declarat, angelicæ dignitatis uocabulum est: numeroq; singulari Cherub dicitur, plurali Cherubin. Vnde apte in figuris Cherubin, quæ erant in oraculo facta, angelica ministeria quæ conditori suo in cœlis semper assistunt, possunt intelligi. Quæ recte de lignis oliuarum facta esse perhibentur, quia nimirum uirtutes angelicæ gratia spiritus sancti, ne unquam ab amore dei arescant, unctæ sunt. Ipsæ etenim unà nobiscum sunt participes illius, de quibus ait in laude Christi propheta, Vnxit te deus tuus oleo lætitiæ, præ participibus tuis. Recte de lignis oliuarum figuraliter sunt facti, quos luce sapientiæ cœlestis, mox ipse qui creauit, impleuit. Vnde Cherub appellare uoluit, quod Latine multiplicata sciẽtia, siue scientiæ multitudo interpretatur. Decem autem sunt cubitorum altitudinis, quia denario uitæ æternæ fruuntur, habentes inuiolatam in se sui conditoris imaginem, seruata in perpetuum sanctitate & iustitia & ueritate, quæ prima conditione perceperunt. Denarius quippe obolis constat, & continere in se nomen regis & imaginem consueuit. Quapropter & figuræ regni cœlestis aptissime congruit, ubi & angeli sancti in imagine sui conditoris, ad quam facti sunt, semper manent: & electi homines, imaginem eius, quam peccando amiserant, recipiunt. Scimus enim, inquit, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam

De factura Cherubin. XV

uidebimus eum sicuti est. Quinque cubitorum ala Cherub una,& quinque cubitorum ala Cherub altera.) Id est,decem cubitos habentes à summitate alæ usque ad alæ alterius summitatem. Alæ cum in sanctorum hominum figura ponuntur,uirtutes significant eorum, quibus ad cœlestia uolare semper, atque in his conuersationem delectantur habere. Cum uero in significatione angelorum ponuntur alæ,quid apertius quàm gratiam demonstrant perpetuæ & indefectiuæ felicitatis eorum,qui semper in cœlestibus in ministerio sui persistunt autoris? Vel certe quia leuitate spiritalis naturæ sunt præditi, ita ut ubicunque uoluerint, statim quasi uolando perueniant: & hic cum alis figurati, & prophetis cum alis sunt ostensi. Bene autem dicitur, quia quinque cubitorum fuerit ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera: quia uirtutes angelicæ,legem dei quæ in quinque libris descripta est,indefessa deuotione custodiunt: diligendo uidelicet deum & dominum suum ex omnibus uiribus suis,diligendo & proximos tanquam seipsos: plenitudo enim legis est charitas. Proximi autem eorum, & ipsi adinuicem sunt angelici spiritus, & homines electi,eorum æque conciues. Vnde utraque ala eiusdem esse mensuræ perhibetur:quia uidelicet eadem ipsa deuotione,qua se alterutrũ in deo diligunt, nostram quoque ad se ascendentium societatem desiderant:sicque simul alæ decem cubitos complent,cum in gemina charitatis exhibitione,angeli de conditoris præsentia lætantur. Decem quoque cubitorũ erat Cherub ũnum,mensura parietis,& opus unum erat in duobus Cherubin.) Duo erant facti Cherubin propter consortiũ eiusdem de qua loquimur charitatis significandum, quia minus quàm inter duos charitas stare non potest. Vnde & saluator binos ad prædicandum discipulos mittere curauit,ut tacite doceret eos qui uerbum fidei prædicarent,uirtutem dilectionis ante omnia opera esse tenẽdam. Vniusque mensuræ & operis duo Cherubin, quia disparilitas uolũtatum,siue cogitationum,in superna patria nulla est, ubi una omnes eademque præsentis uisione & gloria illustrantur. Posuitque Cherubin in medio templi interioris,extendebant autem alas suas Cherubin, & tangebat ala una parietem,& ala Cherub secundi tangebat parietem alterum. Alæ autem alteræ,in medio pariete templi se inuicem contingebant.) Manifestũ est ex his quæ prædicta sunt, quare Cherubin in medio templi interioris sint positi, quorũ habitatio est in cœlis. Extendebant autem alas Cherubin,quasi ad uolandũ,quia spiritus angelici semper habent animũ ad obsequium diuinæ uoluntatis præparatum. Quod uero ala una tangebat parietẽ,ad illã charitatis administrationẽ pertinet,quam nobis exhibent angeli. Quod alæ alteræ in medio tẽpli se inuicem cõtingebant,eam dilectionis gratiã qua se alterutrũ cõplectuntur,exprimit. Bene aũt sequitur, Texit quoque Cherubin auro:quia & naturã eorũ conditor immortali claritate sublimauit,& mentẽ uera dilectionis atque humilitatis luce repleuit. Notandũ sane quia Moyses dum tabernaculũ faceret,fecit & duos Cherubin aureos,quos posuit in ꝓpitiatorio,quod erat super arcã. Salo

mon autem addidit alios duos multo maiores, quos in templo poneret, sub quorum alis, arcam in medio poneret, cum propitiatorio & Cherubin prioribus: sicq; factũ est, ut in tabernaculo quidem essent Cherubin duo, in templo autem quatuor. Ad unam uero eandemq; significationẽ utriq; pertinent, sed repetitum est opus augustius factũ per Salomonem, ut typice doceretur, multiplicata post incarnationem domini sancta ecclesia, latius esse gentibus sublimitatem ciuium cœli pandendã, qui sic conditorẽ de collato sibi munere beatitudinis collaudant, ut de nostra quoq; ereptione atq; ad eandem beatitudinem introductione cõgaudeant. Extendunt enim alas adinuicẽ super arcam, cum ad laudem domini saluatoris referunt bonũ omne quod acceperunt: extendũt alas alteras ad parietes oraculi, cum sanctos etiam homines secum uidere lætantur, eosq; uelut alarum suarum summitatibus tãgunt, quos consortes atq; imitatores fuisse in hac uita suę puritatis exultant. Duos autem æque parietes alis suis tãgunt: quia fideles utriusq; populi, Iudæi scilicet & gentilis, secum possessores habent aulæ cœlestis. Namq; in illa patria distinctio fit localis inter utrumq; populum. Sed quia maior fit festiuitas internæ beatitudinis de consortio adunatæ fraternitatis, extendunt Cherubin ad utrumq; parietem oraculi alas suas, quia lætantes in cœlesti patria iustos utriusq; plebis, uisione quoq; suæ gloriæ ad laudem creatoris excitant: nec solum de illorum quos secum intus habent hominum iustorum felicitate, lætantur agmina cœlestia: uerum etiam nostri, qui foris adhuc positi de profundis ad dominum clamamus, curam gerunt sedulam. Vnde bene de eisdem Cherubin in libro Paralipomenon scriptum est, Ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum uersæ erant ad exteriorem domum. Stabant etenim erectis pedibus Cherubin, quia à uia ueritatis in qua mox conditi positi sunt, nunquam aberrauerunt angeli. Habent facies ad exteriorem domum, quia nos ab huius erumna peregrinationis ereptos, ad suum desiderant peruenire consortium. Sic ergo pedibus stant rectis, sic alas suas auro tectas ad oraculi parietes extendunt, ut facies habeant ad domum uersas exteriorem, quia angeli sic suam perpetuo innocentiam conseruant, sic de animarum sanctarum in cœlis beatitudine congaudent, ut eis quoq; quos in terris adhuc peregrinari conspiciunt, electis opem ferre non desinant, donec & illos ad cœlestem patriam introducant. Omnes enim sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Possunt etiam per duo Cherubin duo testamenta figurari, qui nimirum Cherubin in oraculo sunt facti, quia in consilio diuinæ promissionis nobis utiq; inaccessibili atq; incomprehensibili ante secula dispositum est, quando, & qualiter, quibusúe autoribus sacra scriptura conderetur. De lignis oliuarum sunt facti, quia per uiros misericordiæ quorum pietati non defuerunt uires, unctione sancti spiritus illustratos, diuini sunt libri conscripti. De lignis oliuarum sunt facti, quia lucem nobis scientiæ

bis scientiæ

bis scientiæ tribuunt, iuuante flamma charitatis dei, quæ per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Decem cubitis sunt alti, quia per obseruantiam decalogi legis, deo seruiendum prædicant, & deo fideliter seruientes denario remunerandos esse regni perpetui ostendunt. Geminas habent alas, quia testamenta per aspera æque & prospera, indefesso proposito semper ad cœlestia tendisse ac peruenisse declarant: & hoc idem suis auditoribus faciendum esse demonstrant. Quinq; cubitorum erat ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera: quia in omni labentium rerum uarietate, sancti uniuersos corporis sui sensus, in obsequium sui conditoris extendunt: oculos habentes semper ad dominum, audire desiderantes uocem laudis eius, & narrare uniuersa mirabilia eius, dulcia faucibus suis habentes eloquia illius, super mel & fauum ori suo, currentes in odore unguentorum eius: & donec superest halitus in eis, & spiritus dei in naribus eorum, non loquentes labijs iniquitatem, nec in lingua sua stultitiam personantes: sicq; per arma iustitiæ à dextris & à sinistris incedentes, ad perceptionem cœlestis denarij, quem summus paterfamilias cultoribus suæ uineæ repromisit, perueniunt. Et opus unum erat in duobus Cherubin, quia utriusq; testamenti scriptores, una eademq; castitate operis & charitatis deuotione deo seruierunt, una & consona uoce ac fide deum prædicant: quia quæ nouum testamentum de dominica incarnatione, passione, resurrectione, ascensione, gētium uocatione, Iudæorum expulsione, multimoda ecclesiæ tribulatione facta narrat: hæc eadem uetus testamentum, si recte intelligitur, ueraciter fienda prædicabat. Aduentum uero antichristi, finem seculi, extremi discrimen iudicij, & æternam bonorum gloriam, pœnamq; reproborum, concordi utrumque testamentum ueritate probat. Alæ ergo Cherubin interiores super arcam se inuicem contingebant: quia utraq; testamenta pari de domino attestatione consentiunt. Item alis exterioribus, iste unum parietem, ille alterum contingebat: quia uetus testamentum proprie antiquo dei populo scriptum est: nouum uero nobis, qui post incarnationem dominicam ad fidem uenimus. Et secundo parieti, hoc est septentrionali, recte comparamur: quibus post frigus ac tenebras idololatriæ, lucem ueritatis cognoscere datum est. Nam & si primitiua ecclesia maxime de Iudæis effloruit, & omnis Israel circa finem seculi saluandus esse creditur: plurimi fidelium huius corporis congregantur ad euangelij suscipiendi sacramenta, quibus etiam hoc diuinitus donatum est, ut reuelatis oculis cordis sui, manifeste cognoscant literam ueteris testamenti, euangelicæ gratiæ plenam esse mysterijs. Versas habent facies Cherubin ad exteriorem domum: quia nobis qui adhuc foris stamus, nec re, sed spe, salui facti sumus, diuini sunt libri conditi: quia scriptores eorum iam regnantes cum domino, illumq; collaudantes in cœlis, curam nostræ gerunt salutis, qui pro nostris erratibus, apud eius pietatem interpellant. Circundati sunt auro Cherubin,

ro Cherubin, quia præclaris scriptorum suorum operibus confirmatur auctoritas testamentorum, manifestata iam per orbem cognitione diuinarum scripturarum, siue interna gloria cœlestium agminum: utrumque enim Cherub, ut diximus, & angelos uidelicet & testamēta designant, cum plures ad fidem conuerti, & bonis abundare cœperint operibus. Vnde & apte subditur, Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit uarijs cælaturis & torno.) Omnes parietes templi per circuitum, omnes sanctæ ecclesiæ populi sunt, quibus super fundamētum Christi locatis, totius ambitum orbis repleuit, cœptumque fidei ædificium quotidie noua membrorum suorum progenie, quasi lapidum preciosorum appositione superaugmentare non desistit. Qui nimirum parietes uarijs cælaturis sculpuntur: cum alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in uno spiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Et ut ad illas ueniamus, quas omnes habere ualemus uirtutes, charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, benignitas, bonitas, modestia, continentia, & cæteri fructus spiritus, quid nisi cælaturæ parietū templi quæ ornatus sunt mentium populi dei? Sculpuntur & ijdem parietes torno, cum prompto pollent animo fideles, ad faciendum cuncta quæ dominus præcepit, ad patiendum cuncta quæ permittit, dicentes ex animo per singula quæ occurrunt, Benedicam dominum in omni tempore. Et, Paratum cor meum deus, paratum cor meum, cantabo & psalmum dicam domino. Sculpuntur torno, cum intantum uirtutibus operam impendunt, ut ab harum tramite nullis circumstantium rerum contrarietatibus, nullis possint blandimentis auerti. Quia enim tornatura cæteris artibus uelocitate præcellit, & ipsa sibi regulam qua sine errore opus perficiat, seruat, apte per hanc pia sanctorum uita signatur: quia & parata est semper ad obsequium diuinæ uoluntatis, & hoc absque diuerticulo errandi complere longo uirtutum usu exercitata didicit. Vnde & sancta ecclesia in Canticis canticorum, sponsi ac redemptoris sui uirtutes admirata, dicebat, Manus eius tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis. Tornatiles quippe sunt manus eius, quia apparens in carne sanitates & miracula quæcunque uoluit, absque omni morarum tarditate, absque ullis errorum ambagibus, dei uirtus & sapientia perfecit. Aureæ sunt, quia ea quæ foris uerbo iussit, intus diuina plenus potentia dedit. Plenæ sunt hyacinthis, quia ad gloriam patris uniuersa quæ fecit, retulit: & per opera quæ fecit, nostros ad quærenda cœlestia sensus erigit. Omnes ergo parietes templi, per girum uarijs cælaturis & tornis sculpuntur, cum tota per mundum ecclesia, uirtutum spiritalium exequutioni, absque ullo prorsus errore prompta deuotione insistit. Vbi bene subditur, Et fecit in eis Cherubin & palmas, & picturas uarias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.) Cherubin namque in parietibus templi facit

De sculptura parietum XVI

pli facit

pli facit Salomon, cum electos suos dominus ad regulam scripturarum sanctarum, in quibus est multitudo scientiæ, uitam suam dirigere donat. Cherubin facit, cum eos in hoc mundo castitatem angelicæ conuersationis pro modulo suo docet imitari, quæ maxime uigilijs, ac laudibus diuinis, dilectione syncera conditoris & proximi geritur. Palmas facit cum memoriam æternæ retributionis eorum mentibus infigit, ut eo minus ab arce iustitiæ labi queant, quo mercedem iustitiæ semper ante cordis oculos habent. Facit picturas uarias prominentes de pariete, & egredientes, cum multifarias uirtutum operationes fidelibus tribuit: uerbi gratia, uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, sufferre inuicem, & donare sibimetipsis, super omnia autem hæc charitatem habere, quod est uinculum perfectionis. Quæ uidelicet uirtutes cum in tantam electis consuetudinem uenerint, ut uelut naturaliter eis uideantur insitæ, quid aliud quàm picturæ domus domini prominentes, quasi de pariete exeunt: quia uerba & opera ueritatis non adhuc ab alijs extrinsecus discunt, sed ut sibimet infixa radicitus, parata semper ab intimis cordis quæ sunt agēda siue docenda proferunt? Sed & pauimentum domus, texit auro intrinsecus & extrinsecus, in oraculo & in ipso templo) Significare autem diximus supra, quod pauimenti æqualitas humilem concordiam designaret sanctæ fraternitatis, ubi cum sint Iudæi & gentes, Barbari & Scythæ, liberi & serui, nobiles & ignobiles, cuncti se in Christo fratres esse, uniuersi eundem se habere patrem in cœlis gloriantur. Neq; enim de concordissima humilitate supernorum ciuium dubitare cuiquam fas est. Texit ergo Salomon pauimētum domus auro intrinsecus & extrinsecus, quia rex noster pacificus, & angelos atq; animas iustorum in cœlis perfecte ac plenarie dono dilectionis impleuit, & peregrinantes in hoc seculo ciues eiusdem patriæ cœlestis, signaculo dilectionis a cæterorum mortalium uilitate segregauit: in hoc cognoscent, inquiens, omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis oliuarum, postesq; angulorum quinq;, & duo ostia de lignis oliuarum) Quod primo dixerat, Fecit ostiola de lignis oliuarum: hoc ipsum uidetur apertius explicare uoluisse, cum adiūxit, Et duo ostia de lignis oliuarum. Vnus quippe erat ingressus oraculi, sed idem ingressus duobus ostijs claudebatur, rursumq; reseratis eisdem aperiebatur, sicut templum, & sicut porticus ante templum, unum non amplius habebant introitum, certi utiq; causa mysterij: quia unus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus, unus in ecclesiam præsentem per baptismum, unus in regnum cœleste per opera fidei est sperandus introitus. Nam quod unus esset introitus oraculi, testatur hoc quod inferius de arca scriptum est. Cumq; eminerent uectes, & apparerent summitates eorū foris sanctuariū ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus. Vbi patēter ostendit, ni fallor, quod unus erat ingressus oraculi, & hic è regiōe factus arcæ quæ in medio eiusdē oraculi fuit. Cuius ingressus & ostiola per significationē multi-

De ingressu oraculi XVII

multifarie possunt accipi: nam & angelicos spiritus, quorũ ministerio in habitationem cœlestis patriæ introducimur, aptissime designant, & apostolorum atq; uirorum apostolicorũ figuram tenent, quibus claues regni cœlorum sunt datæ, qui accepta à domino potestate ligandi atq; soluẽdi, & dignos intra regni ianuam admittunt: & contumaces, impuros ac superbos, excommunicando uel anathematizando, ab ingressu uitæ perennis eliminant. Sed & opera iustitiæ quorum merito ad regnum cœleste peruenit᷑, recte per ostia per quæ in sancta sanctorum ingrediebatur possunt typice designari, iuxta quod in libro Sapientiæ scriptum est, Custoditio autem legum consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit proximum deo. Concupiscentia itaq; sapientiæ, deducit ad regnum perpetuum. Quibus omnibus apte cõgruit, quia ipsa eadem ostiola de lignis fiunt oliuarum, quia nimirum & angeli & homines perfecti, fructu misericordiæ & operibus lucis sese in domo dei gloriosos exhibent, immo omnes electi per arma lucis & pietatis aditum sibi patrię cœlestis aperiunt. Duo sunt autem ostiola: siue quia dominum & proximos diligunt angeli & homines sancti, neq; ianuam uitæ, nisi per geminam hanc dilectionem poterit quis intrare: seu quia utriusq; populi fidelibus, & Iudæi uidelicet & gentilis, eadem uitæ ianua reseratur. Postes sunt angulorum quinq;, quia non solum animas electorum aula cœli recipit, sed & corporib. immortali gloria præditis, in iudicio suas fores aperit. Quinq; enim sunt sensus corporis nostri, ut supra meminimus, uisus, auditus, gustus, olfactus, tactus. Certe uel postis uterq; oraculi V factus est cubitorum, quia solis illis supernæ patriæ aditus panditur, qui omnibus sui corporis & cordis sensibus domino seruire studuerunt: corporis uidelicet, cum per eosdem sensus aliquid pro illo agunt: cordis uero cum sobrie & iuste & pie cogitant de eis quæ per ipsos corporis sensus agere decernunt. Sculpsitq; in eis picturam Cherub & palmarum species, & anaglypha ualde prominentia, & texit ea auro, operuitq; tam Cherubin quàm palmas & cætera auro) Anaglypha Græce, dicuntur Latine cælaturæ. Cælata sunt autem uasa aurea uel argentea, signis eminentioribus extra intusq; expressa. Hæc & alio nomine sculpta uocantur, anaglypha uasa dicta, quod superius sunt sculpta: Græci enim Ana, sursum, Glyphen, sculpturam dicunt: id est, sursum sculpta. Cuncta autem hæc supra eadem Cherubin in ornatu parietum templi posita, pro captu nostro exposita sunt, nec laborandum in astruendo: quin uirtutum operibus quæ per totum orbem ecclesia in suis sanctis ac perfectis exercet, illi præcipue quibus fidelium cura commissa, & claues regni cœlorũ sunt datæ, omni debeant solertia insistere, ut quantum gradu præminent cæteris, tantũ & merito præcellant bonæ actionis. Habent namq; in se picturam Cherubin insculptam, cum angelicam in terris uitam, quantum mortalibus possibile est, & mente imitantur & opere. Habent palmarum species, cum dona supernæ retributionis fixa semper intentione meditantur. Palma namq;, manus uictricis ornatus est. Habent anaglypha ualde

promi-

prominentia,cum certissima bonorum operum documēta, & quæ nemo in sinistram partem interpretari ualeat, cunctis se intuentibus ostendunt. Et hæc omnia opera sunt aureis laminis cooperta,cum sicut sæpe dictum est,& semper dicendum est,cæteris uirtutum floribus specialius in magnis ecclesiæ membris fulgor supereminet amoris.His ostiolis etiam uelum fuisse additum,uerba dierum narrāt. Fecit quoq; uelum,inquit,ex hyacintho, purpura coccino & bysso,& intexuit ei cherubin: quod decoris quidem gratia factum est,ut inter parietes deauratos & holosericū fulgeret, sed in eiusdem mysterij significatione, cuius & ostiola, ante arcā atq; ingressum oraculi adpensum,ut sicut ostiola congruis horis aperiebant,sic & uelum reuelaretur, quoties adueniret qui in sancta sanctorum esset ingressurus.Huius ergo ueli sedula reuelatio,sedulam apertionem regni cœlestis significat, quæ nobis per incarnationem domini & saluatoris nostri,donata est:unde & baptizato eo,cœli aperti sunt,ut ostenderet,quia p baptisma quod nobis ipse consecrauit,ianuam patriæ cœlestis deberemus ingredi:& moriente illo in cruce, idem uelum scissum est medium à summo usq; deorsum,ut aperte doceret, quia figuræ legales iam tunc ad finem uenissent, ac ueritas euangelij arcanaq; cœlestia,& ipse cœli ingressus,non adhuc prophetandus,ac figuraliter significandus,sed iam iamq; esset proxime omnibus aperiendus,qui ab initio mundi usq; ad id temporis in fide ueritatis de mundo transierunt.Nam die post resurrectionem domini quadragesimo uniuersi cum eo cœlum petierunt,remotoq; omni uelamine multipharias in domo domini mansiones pro suis quiq; meritis acceperunt,sed & nobis qui adhuc futuri eramus, eadem hora reseratus est supernæ illius ciuitatis ac domus patris ingressus. In quam profecto ciuitatem non nisi per interna æternorum bonorum desideria,per fidem & sacramenta dominicæ passionis,per uerba sinceræ dilectionis,per mortificationem concupiscentiæ carnalis, & per quotidiana angelorum auxilia cōscenditur. Vnde bene idem uelum sub quo in oraculum intrabatur ex hyacintho,purpura,coccino & bysso factū est, eiq; cherubin intexti esse memorātur.Hyacinthus quippe qui cœli colorem imitatur,purpura quæ sanguine conchiliorum conficitur, & sanguineam ipsam profert speciem,non immerito sacramentum signat dominicæ passionis, quod nos imitari crucem nostram portādo debemus.Coccino qui rubeo colore flammescit,congrue uirtus exprimitur amoris,de qua mirantes dixerūt, qui cum domino ambulauerunt discipuli.Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia,& aperiret nobis scripturas? Byssus quæ de terra uirenti germine nascitur,& longo artificum exercitio natiuum exuit uirorem, atq; ad albentem deducitur speciem,congrue castitatem nostræ carnis insinuat,cuius quasi humorem ingenitū exiccari iubet Apostolus dicens. Mortificate membra uestra quæ sunt super terram,fornicationem, immundiciā, libidinem,concupiscentiam malam,& auaritiam,quæ est simulachrorū ser-

uitus. Ad quantam uero candoris gloriam hanc uelit perduci, ostendit alias dicens: Obsecro uos fratres per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, deo placentem, rationabile obsequium uestrum. Intexuit uelo cherubin, eademque quatuor coloribus eximijs cõficiuntur, cum in uniuersis quæ pie agimus, à uenenatis dæmonum telis per angelica præsidia domino donante protegimur. Item, texuit uelo cherubin, cum in bonis quæ agimus, multitudine scientiæ indesinenter utimur, respicientes semper ad eloquia diuina, & ne forte à uirtutum calle aberremus, horum intuitu continue uestigia nostra regamus. Fecitque in introitu templi postes quadrangulatos, & duo ostia de lignis abiegnis intrinsecus, & utrumque ostium duplex erat, & se inuicẽ tenens aperiebatur) Sicut ingressus oraculi, quo ad arcam domini cherubinque perueniebatur, introitũ regni cœlestis significat, quo ad conditoris uisionem nostri supernorumque ciuium nos introduci speramus, ac desideramus: ita introitus in templum primordia nostræ conuersionis ad deum, quando in præsentem ecclesiam ingredimur, typice demonstrat. Iste ingressum nostrum ad fidem, ille designat ad speciem: unde apte postes huius introitus quadrangulati sunt facti, propter quatuor sancti euangelij libros, quorum doctrina in fide ueritatis erudimur: seu propter totidem quatuor uirtutes principales, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iusticiam, quarum ueluti fundamini quodam firmissimo omnis bonorum actuũ structura innititur. Prudentia namque est, qua discimus quid nos agere, qualiter uiuere deceat. Fortitudo, per quam ea quæ didicimus agenda implemus, Quas uno uersiculo uirtutes propheta breuiter complectitur dicens: Dominus illuminatio mea & salus mea. Illuminatio uidelicet ut quæ agere debeamus edoceat: salus uero ut nos ad agenda cõfirmet. Temperantia, qua discernimus ne plus aut minus iusto prudentiæ siue fortitudini, operam dare inueniamur. Et quisquis prudentia, fortitudine, temperãtia utitur, absque ulla cõtradictione iustus esse probabitur. Virtus quarta post prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iusticia sequitur. Duo ostia quæ in hunc ingressum facta sunt, dilectio est dei & proximi. Quę bene altrinsecus facta esse dicuntur, quia ad inuicem respiciunt, adeo ut una sine altera nequaquã possit haberi. Omnis enim qui credit, quoniã Iesus est Christus, ex deo natus est: & omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo. Et sicut iterum dicitur: qui non diligit fratrem suum quem uidet, deũ quem non uidet, quomodo potest diligere? Vnde recte ostium exterius dilectio fraterna, interius est dilectio intelligẽda diuina: quia illa prior tempore, hæc dignitate sublimior: & per illam ad hanc intratur, quia in amore proximi discitur, qualiter amari conditor debeat. Vtrumque autem ostium duplex erat, & se inuicem tenens aperiebatur: quia in utraque dilectiõe duo sunt quæ principaliter obseruare debemus. In dilectione etenim dei fidem ueritatis, & puritatem necesse est ut habeamus bonæ operationis: sine fide enim impossibile est

bile est placere deo: & fides sine operibus mortua est. In amore enim frater/
nitatis patientia est, & benignitas seruanda, dicente Apostolo, Charitas pa/
tiens est, benigna est: patiens uidelicet ad tolerandas molestias iniuriasq́
proximorum: benigna, ad dimittendū ex corde, & benefaciendum eis, quo/
rum iniurias sustinet: qualem nos charitatem habere dominus uoluit, cum
ait, Dimittite & dimittetur uobis. Dimittite iniurias lædentibus uos, date
subsidia eis pietatis, quibus laxatis iniurias: qualem nobis impendere dile/
ctionem desiderat, ipse qui nos in oratiōe dicere præcepit, Panem nostrum
quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di/
mittimus debitoribus nostris. Vtrumq; ergo ostium duplex erat, quia dile/
ctio utraq; gemino ordine perficitur: utrumq; se inuicem tenens aperieba/
tur, quia iunctæ sunt uirtutes, neque ab inuicem possunt diuidi. Nam neque
fides sine operibus, neque sine fide deo possunt opera bona placere: neque
item iniurias ferre sufficit, qui ei quē tolerat, etiā ea quæ necesse habet cum
possit ministrare contemnit: neque ei qui substantiam mundi habuerit, satis
est de hac egenti proximo dare, si non etiam eas quas sibi forte irrogauerat
iniurias, sincero ex corde dimittit. Quod enim de utroque illo ostio dicitur,
quia se inuicem tenens aperiebatur, non hæc apertio separationem ab inui/
cem spiritualium designat uirtutum, sed hoc potius indicat, quod post ha/
rum coniunctionem, ingressus nobis sanctæ ecclesiæ magis magisq́ pate/
scat: ut quo his amplius abundemus, eo uerius sanctorum cœtibus associe/
mur: sicut etiam diuisio rubri maris, per quam populus dei Aegyptum per/
sequentem euasit, non diuisionem unici baptismatis, sed apertionem potius
signauit, qua extinctis peccatis omnibus, ad littus ac solitudinem transea/
mus uirtutum. Vel certe ostium quod inuicem se tenet, aperitur, cum post
ministerium prædicatoris discernitur, quid proprie ad cognitionem fidei,
quid ad uiuendi castitatem pertineat. Quæ tamen utraq; à sua nequeūt con
nexione separari, quia non distat inter proximorum mala tolerare, & eis bo
na commodare, cum hæc certissime soleant in uno eodemq́ corde perfecto/
rum indissolubilia permanere. Notandū sanè quod in ingressu oraculi duo
quidē ostia dicuntur, sed hæc duplicia fuisse nō dicūtur: in templi uero id est
domus prioris introitu ita erant duo ostia, ut duplex esset utrunq;: quia ni/
mirum in præsenti ecclesia talem nos ingredi ac ducere uitam necesse est, in
qua dilectionē dei & proximi per fidem & operationem, per patientiam &
benignitatem seruemus, In futura autem uita ubi dominum & proximos
in luce internæ beatitudinis uidebimus, eadē utiq; gemina dilectione absq;
ullo prorsus labore, imò in magna multitudine diuinæ dulcedinis perfrue/
mur. Vnde apte introitus interioris domus duo quidem ostia, sed hæc sim/
plicia habebat. Non enim fides ibi necessaria est, ubi ea quæ nūc credimus
ac speramus, omnia manifesta luce uidebimus. Non est labor operū necessa
rius, ubi mercede perpetua eorum, quæ hic laboramus, donabimur. Non ne

cessaria patientia,ubi nemo aduersi aliquid irrogat. Non munificentia benignitatis,ubi nemo indiget quod opus est.Hæc de ostiorũ figura pro modulo nostro sequentes patrum uestigia,disseruimus. Verum iuxta formam operis,decoris gratia prouisum est, ut in uno eodemq; templi ingressu,duo essent ostia.Necesse etenim erat parietes domus, qui C X X cubitos habebant,nonnullas etiam crassitudines habere: in cuius nimirum crassitudinis extrema parte ostia erant affixa,ita ut æquali pariete esset ostium utrumq;, & siue intus siue foris templum quisq; positus ostium inspiceret,unus ei per omnia paries esse uideretur. similiter & cedrinus paries cum uicenorum, in longitudine & altitudine esset cubitorum, non paruam & ipse debuit habere crassitudinem. Qua propter & in huius ingressu duo facta sunt ostia, ut uidelicet ab utroq; latere, hoc est, intus & foris æquali pariete ostiũ pateret. Et quoniã easdem picturas æquas ostium & paries habebat, ut ueraciter unus per omnia continuatim extentus paries uideretur, unum decoris gratia prætendens, aliud mysterij dispensatione præfigurans. Quod uero descriptis templi ostijs sequit᷑: & sculpsit cherubin & palmas & cælaturas ualde eminentes,operuitq; omnia aureis laminis opere quadro ad regulam:iam supra expositum est: quia in parietibus domus & in ostijs interioribus eædem picturæ siue cælaturæ sunt factæ: patetq; ratio figuræ, quare easdem ipsas picturas & cælaturas,eosdemq; cherubin prima templi ianua quos & interior recipiat: quia nimirum eadem arcana fidei, spei & charitatis,quæ sublimes quiq; ac perfecti sublimiter capiunt, quæq; omnes electi in cœlis plene in diuina uisione percipiunt,etiam catechizandis rudibus quibusque discenda & confitenda traduntur,quatinus sacris initiati mysterijs,quandoque etiam ad capienda ea quæ pie crediderunt perueniant.Quod autem nostra translatio habet,operuitq; omnia laminis aureis opere quadro ad regulam:in L X X habet,Expandit per eas bracteas,& deaurauit eas auro inducto per sculpturam. Aedificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum,& uno ordine lignorum cedri)De interiori atrio breuiter loquitur,de exteriori prorsus tacere uidetur. Verum in uerbis dierum utriusq; fit mentio,ubi ita scriptum est:Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem,& ostia in basilica,quæ texit ære. Atrium ergo interius quod uocatur sacerdotum, eo quod sacerdotes & leuitæ in eo ministrarent, ex omni parte erat templo circumdatum ab oriẽte:unde templi ingressus multo longius à templo,quàm à cęteris tribus plagis positus erat:quia nimirum in ea, id est,in facie templi fiebant ministeria sanctorum:ibi altare æneum ad hostias domino offerendas,ibi decem luteres ad lauandas easdem hostias, ibi mare æneum erat positum ad lauandas manus pedesq; sacerdotum, cum ad ministrandũ intrarẽt. Habebat autẽ hoc atriũ tres cubitos altitudinẽ, ut Iosephus narrat, quatinus ab ingressu templi cæteros prohiberet,& solum sacerdotibus hoc licere significaret: eratq; ianua ad orientalem plagam,ad quam

De atrijs domus domini. XVIII

quam usque populus hostias suas & sacrificia inferebat, inde suscipienda à sacerdotibus, atque ad altare perferenda. De exteriori uero atrio, quod uerba dierum basilicam grandem uocant, ita scripsit Iosephus. Extrinsecus autem huius templi aliam ædificauit aulam quadrangulo schemate factam, erigēs maximas porticus, atque latas portas & excelsas & amplas, per quatuor mundi partes, in ea constituens: quarum singulæ ad unumquemque uentum, quatuor angulis attendebant, ubi æreas ianuas collocauit. Et paulo post: Hoc sacrarium omnes populi, quibus purgatio & obseruatio legitimorum inerant, introibant. Has uero porticus Cassiodorus senator in pictura templi quam in pariete posuit, ut ipse in psalmorum expositione commemorat, triplici ordine distinxit: primum uidelicet ordinem ponens extra atrium sacerdotum ex omni parte quadrum, secūdum eodem modo extra intimas porticus, undique uero in gyrum extremum, similiter ex omni latere priorum porticuum in circuitu: sicque templum triformi ædificiorum præsidio ab omni erat parte munitum, facto pauimento sub dio inter ædificia singula de marmore: & parietibus domorum interioribus, hoc est eis qui ad templum respiciebant, factis in columnis: exterioribus uero solidis: sicque fiebat, ut omnis structura templi per gradū esset uarietate rationabiliter distincta. Namque in sancta sanctorum ingrediebatur pontifex, in ipsum templum sacerdotes purificati, in atrium sacerdotum sacerdotes purificati & non purificati, una cum leuitis & cantoribus: in intimū atrium basilicæ maioris uiri Iudæi stantes purificati & orantes subdiuo si serenum esset, si tempestas in porticus proximas sese recipientes, in exterius autem mulieres Iudeæ purificatæ, in extremum atrium gentiles & Iudæi, qui nuper uenerant ex gentibus usque ad sextum purificationis diem. Hæc in pictura Cassiodori distincta reperientes, breuiter adnotare curauimus, rati eum ab antiquis Iudæis hæc didicisse, neque uirum eruditum uoluisse in exemplum legendi proponere, quæ non ipse prius ueraciter cognouisset. Hæc sunt loca quorum meminit supremus graduū psalmus, qui ita incipit: Ecce nunc benedicite dominū, omnes serui domini, Qui statis in domo domini, in atrijs domini dei nostri. In his porticibus Hieremias & prophetæ alij, in his dominus & apostoli uerbum populo prædicabant: in harum aliqua dominus sedebat docens, quando à tentantibus pharisæis mulier illi adultera iudicanda oblata est. In his inuenit uendentes & ementes oues & boues & columbas, hosque cum suis mercimonijs eliminauit è templo: in his Petrus & Ioannes claudum inuenientes sanauerunt, ac secum ingredientes interius ad orandum duxerūt: in his orabat omnis multitudo populi, quando incensum ponenti Zachariæ angelus ad altare thymiamatis apparuit, eumque de præcursoris domini natiuitate perdocuit. Nā hæc atria cum porticibus suis aspectum templi de longe aspectantibus abscondere potuerunt, quia locus in quo templum erat situm, multo sublimior erat quàm ubi fundatæ porticus fuerunt. Nam sicut Iosephus scribit, extre-

mæ atriorũ fabricæ,cum in C C C C cubitis essent erectæ,tantũ usq; ad uerticem mõtis,in quo templũ ædificatũ est,peruenerũt.Hæc quidẽ de structura templi studioso lectori credidimus intimãda. Verũ in eis quæcũq; scriptura referre sacra cõmodũ duxit,figuras mysteriorũ quæramus, cæteris pro historiæ cognitione simpliciter utamur. Aedificiũ ergo tẽpli intra atriũ sacerdotũ, perfectorũ in sancta ecclesia & sublimiũ uitã exprimit uirorũ,eorũ uidelicet qui & excellentia uirtutũ domino appropinquare,& aliĳs uerbo atq; opere ducatũ solẽt impendere salutis. Sacerdos nãq; ab eo latine nomẽ accipit, q sacrũ præbere ducatũ minoribus debeat.Quo nomine in scripturis mystice nõ soli altaris ministri, episcopi uidelicet & presbyteri,sed omnes utiq; censentur,qui altitudine rectę cõuersationis ac doctrinæ salutaris eminẽt, nec sibimet ipsis tãtũmodo,sed pluribus prosunt, dũ corpora sua hostiã uiuentẽ, sanctã,deo placentẽ exhibẽt.Neq; enim episcopis solis & presbyteris , uerũ omni ecclesiæ dei loquebat apostolus Petrus, cũ ait, Vos aũt genus electũ, regale sacerdotiũ,gens sancta,populus adquisitiõis.Cuius honore dignitatis etiã antiquus dei populus erat insignitus,dicẽte ipso ad Moysen.Hæc dices domui Iacob,& annũtiabis filiĳs Israel.Et paulo post, Et uos eritis mihi regnũ sacerdotale,& gens sancta.Basilica uero grandis,quæ erat extra atriũ sacerdotũ,in qua omnis populi multitudo adorare siue ad uerbũ audiendũ cõfluere solebat,carnaliũ in sancta ecclesia uitã moresq; figuraliter insinuat, quibus dicit Apostolus:& ego fratres nõ potui uobis loqui quasi spũalibus, sed quasi carnalibus:tanq; paruulis in Christo,lac uobis potũ dedi,nõ escã. Qui bene per basilicã grandẽ designãt, quia absq; ulla dubietate multo maior est in sancta ecclesia taliũ,q perfectorũ numerus:sed quãtũ numero pręstãt,tantũ succũbũt merito. Vnde apte basilica hæc grãdis,& si plurimos capit,nõ eos tamẽ in interiora tẽpli deaurati,nõ ad altaris officiũ,nõ ad ipsum saltẽ atriũ sacerdotũ intromittit:quia carnales quiq; atq; infirmi in ecclesia, & si ob meritũ castæ fidei ac pietatis deo deuoti ad electorũ sortẽ pertinẽt, lõge tamẽ abest ut illis æquẽtur,qui cũ fiducia dicere possunt, Nõ enim audeo aliquid loqui eorũ quę per me nõ effecit Christus in obedientiã gentiũ, uerbo et factis.Et iterũ.Bonũ certamẽ certaui,cursũ cõsummaui,fidẽ seruaui de cætero reposita est mihi corona.Accedebat quidẽ uulgus usq; ad atrium sacerdotũ,hostias suas usq; ad huius ianuã deferebat,susceptas à sacerdote, atq; in altari oblatas oculis prosequebat,in ipsum etiã templũ cũ aperiebat, intuitũ suũ à longe dirigebat,nec tamẽ atriũ sacerdotũ intrandi facultatẽ habebat,uerũ de inferioribus clamabat ad dominũ : quia nec carnaliũ in ecclesia simplicitas à domino despicit,quãdo fideliter ea quæ ualẽt,uota pietatis offerũt.Dirigũt enim uisum à longe in templũ dei, cũ uitã sublimiũ discere, & admirari sedulo gaudẽt,& quos uirtutũ imitatione sequi nequeũt, piæ uenerationis amplectũtur affectu. Vident hostias sacerdotũ in altari,igne sacrosancto consumi,quia magna magnatorum opera cognoscunt à domino

per spiri-

per spiritum sanctum dignanter accipi. Afferunt & suas hostias ad atrium sacerdotum offerendas domino per illos, dum bona quæ præualent operan-
tes, maiorum & doctiorum firmantur exhortatione & intercessione com-
mendantur. Offerunt etiam tunc hostias suas sacerdotibus per eos domino cõmendandas, cum sanctis quibusq; egentibus necessaria mundi huius, qui bus ipsi abundant, summæ mercedis intuitu tribuunt, domino admonente ac dicente: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula: & quicunq;, inquit, potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, amen dico uobis non perdet mercedem suam. Ac sic utrorunq; hostias unus idemq; in altare dei assumit, cum dominus eleemosynas diuitum, quibus ministrauerũt san-
ctis, una cum magnis eorundem sanctorũ uirtutibus, suo intuitu ac retribu-
tione dignas iudicat. Multitudo ergo credentium quæ relictis possessioni-
bus uno corde & anima domino seruiebat, ipsa est templũ dei, & locus in-
tra atrium sacerdotum specialiter illi consecratus. Porrò basilica grandis, & orantes in ea circa atrium sacerdotum in gyro, figuram gestant eorum, qui idem templum ingrediebantur ex gentibus in Syria & Antiochia, cęterisq; prouincijs & ciuitatibus: quibus Apostoli & seniores, qui erant in Hieroso-
lymis nihil amplius imponebant oneris, quàm ut abstinerent se ab idolis immolato & suffocato, sanguine & fornicatione. Quorum tamen oblationi-
bus uolebant pauperes sanctorum, qui erant in Hierosolymis sustẽtari: qua tinus eis carnalia sua ministrantes, spiritualium eorum possent fieri partici-
pes. Barnabas uero & Paulus cum socijs suis, qui oblatiões horum accipien-
tes Hierosolymam deferebant, ipsi sunt sacerdotes, qui hostiam suscipientes ad altare domini consecrantes perducebant: quæ dona deuotionis eorum sanctis qui pro illis orare deberent, attulerunt. Atrium ergo quod positum inter locum uulgi & sacerdotum medium erat, diuisionẽ significat illam quę carnales in sancta ecclesia, nuperq; incipientes uiam iusticiæ, ab arce perfe-
ctorum, non quidem sorte electionis, sed meritorũ quantitate secernit. Nãq; carnales sufficere sibi credunt, si fidem, spem & charitatem, operum quoque mundiciam habeant. Perfecti autem & hæc habent, & insuper uerbo prædi cando laborant, pauperibus omnia sua tribuunt, uigilijs, ieiunijs, hymnis & canticis spiritualibus, sacris quoq; lectionibus operam dant, persecutiones, pericula propter iusticiam tolerant: & cætera quæ fecisse cum socijs Paulus gloriatur, prompta deuotione mẽtis exequũtur. Vnde bene atrium sacerdo-
tum, tribus ordinibus lapidũ politorũ, & uno ordine lignorũ cedri, ædificatũ esse memoratur. Tres quippe ordines sunt lapidũ politorũ, fides, spes & cha ritas. Et recte politorũ, quia certe necesse est discendi solertia, ut quisq; quo-
modo credere, quid sperare, quid diligere debeat dinoscat. Vnus autẽ ordo lignorum cedri, ipsa est bona operatio sine corruptione simulationis exhibi ta, sine cuius supadiectione, fides, spes & charitas uera esse non ualet. Dictũ

namq; est sæpius, quia ligna cedri propter odoris gratiã & imputribilẽ suæ naturæ potentiã, perseuerantiã, famamq; piæ designant actionis. Ad hoc usq; atriũ uniuersi cõscendunt electi, qui fide, spe, dilectione, opere deo placere appetunt: hoc alta meritorũ gratia transcendũt perfecti, cum in tanto uirtutum culmine proficiunt, ut dicere suis auditoribus possint, imitatores nostri estote, sicut & nos Christi: gloriãturq; & dicũt: Nescitis quoniã angelos iudicabimus, quãto magis secularia? Anno quarto fundata est domus domini in mense Zio, & in anno XI, mense Bul, ipse est mensis octauus, perfecta est domus domini in omni opere suo, & in uniuersis utensilibus: ædificauit autẽ eam annis VII) Patet allegoriæ sensus, quare VII annis ædificata sit domus domini: quia nimirũ sancta ecclesia toto hoc seculo quod VII dierum circuitu peragitur, ex electis cõstruitur animabus, & in fine seculi suum quoq; incrementũ ad finem ipsum perducit. Vel certe VII annis ædificat, ob significationẽ gratiæ spũalis, quã ecclesia sola, ut sit ecclesia, pcipit. Septẽ quippe dona sancti spiritus enumerat Esaias, sine quibus nemo fidelis, uel fidem seruare, uel merito fidei ad coronã potest uenire iusticiæ. Quod autẽ in VII anno, & in VIII eius mense perfecta est domus in omni opere suo, & in uniuersis utẽsilibus, ad futurũ seculũ diẽq; iudicij ptinet, quãdo ad tantam iam perfectionẽ sancta ecclesia pueniet, ut quid ei amplius addi possit, inueniri nõ possit. Habebit enim tũc qd pius ille desiderator supplex à domino quærebat dicẽs. Domine ostende nobis patrẽ, & sufficit nobis. Cõstat enim quia dies iudicij sæpe in scripturis octonario numero typice exprimit, eo quod hoc seculũ, qd VII diebus currit, sequatur: unde & ppheta psalmi titulũ pro octaua imposuit, quẽ ob meritũ eiusdẽ districti iudicij cantauit, ita incipiens: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Sed non cõtemnenda nascit quæstio, quomodo dicatur, domus domini in mense octauo perfecta in omni opere suo, & in uniuersis utẽsilibus, cũ in sequentibus legatur, mense VII dedicationẽ eius esse cõpletã. Neq; autẽ credibile est, quia VII quidem annis templũ ædificans Salomon octauo mense anni octaui fecerit dedicationẽ, sed usq; ad VII mensem anni octaui distulerit: unde potius mihi simile uidet domũ VII annis ac VII mẽsibus ædificatã, ita ut eodẽ mẽse VII dedicationis sit celebrata solẽnitas, ac die XXIII ipsius mẽsis, ut uerba dierũ narrãt, populũ Salomõ ad tabernacula sua dimiserit: sicq; post unã septimanã, adueniẽte mẽse VIII pfecta inuẽta sit domus domini, in operibus uidelicet eius uniuersis, & ipsa eius dedicatiõe prius cõpleta. Nisi forte putãdũ est post dedicationẽ aliquid adhuc utẽsiliũ in ministeriũ eius additũ fuisse usq; ad ingressum VIII mẽsis: accelerãte rege ut omnino mẽse VII, qui erat totus solẽnis, tẽplũ dedicaret: atq; ita uerũ reperiat utrũq;, & tẽplũ uidelicet mense VIII in omni opere suo atq; utẽsilibus perfectum, & ipsum VII mense dedicatum fuisse. Misit quoq; rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, filium mulieris uiduæ, de tribu Neptalim, patre

Quarto anno templũ ædificatum. XIX

Tyrio, artificem ærarium,& plenum sapientia & intelligētia & doctrina,ad faciendum omne opus ex ære.Qui cum uenisset ad regem Salomonē, fecit omne opus eius)Et hoc mysterij gratia factum est. Artifex quippe Tyrius, quem adiutorem Salomon sui assumpsit operis, electos de gentibus uerbi ministros significat. Qui uidelicet artifex pulchre dicitur, quia filius erat mulieris uiduæ de Israel,in qua persona solet nonnunquam præsentis temporis ecclesia figurari,pro qua uir suus uidelicet Christus gustata morte resurrexit, atq; in cœlos ascendens, eam interim à se prægnantem reliquit in terris. Non autem laborandum in explanando,quomodo huius uiduæ filij sancti sunt prædicatores, cum omnes electi uiri se filios esse fateantur ecclesiæ, cum etiam de eisdem prædicatoribus noui testamēti specialiter promittatur, dicente propheta. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij &c. Fecit autem Hiram omne opus Salomonis, quia nimirum doctores sancti,dum fideliter ministerio uerbi insistunt, opus utiq; dei operantur, quo illis loquendo foris uiam ueritatis aperiunt, quos intus illustrando ipse ad uitam præordinauit æternam. Ego,inquit, plantaui, Apollo rigauit, deus autem incrementum dat.Fecit autem opus ex ære,quia illis committere uerbum quærit doctor strennuus,qui aut pie suscipere, aut perseueranter custodire desiderant, quiq; etiam alijs prædicando latius diffamare quæq; ipsi didicerint, recte satagunt. Aes namque ualde esse durabile constat, atque omnimodo sonorum. Et finxit duas columnas æreas, XVIII cubitorū altitudinis columnam utramq;. Heæ sunt columnæ de quibus Paulus ait. Iacobus & Ioannes & Cephas, qui uidebantur columnæ esse,dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis,ut nos in gentibus,illi autem in circumcisionem. Quibus uerbis quasi exponere uidetur mysterium columnarum materialium, & quid uidelicet figurauerint, & quare duæ sint factę. Apostolos namque & doctores cunctos spirituales significant, fortes nimirum fide & opere & contemplatione ad superna erectos. Duæ sunt autem, ut & gentes & circumcisionem prædicando in ecclesiam introducant. Stabant in porticu ante fores templi, & ingressum illius suo decore ac pulchritudine ex utraque parte mirabiliter ornabant. Ostium autem templi dominus est, quia nemo uenit ad patrem nisi per ipsum: & sicut alibi dicit, Ego sum ostium,per me si quis introierit,saluabitur. Quod uidelicet ostium, columnæ ab utroque latere coram positæ circumstant, cum minister sermonis utrique populo introitum regni cœlestis ostendit,ut si à luce scientiæ legalis quisq; seu ex rigore gentilitatis ad fidem euangelij uenerit,habeat paratos eos qui sibi iter salutis & uerbo demonstrant & exemplo. Vel certe quia de eis columnis in libro Paralipomenon ita scriptum est:Ipsasq; columnas posuit in uestibulo templi, unam à dextris & alteram à sinistris,Ideo factæ sunt duæ columnæ, atque ita dispositæ,ut nobis & in prosperis & in aduersis ingressum patrię cœlestis ante oculos mentis habendū esse doceant. Hinc etenim Paulus

columna utiq; domus domini excellentiſſima, per arma iuſticiæ nos à de-
xtris & à ſiniſtris communiendos eſſe ſuis ſuorumq; ſedulis hortatur exem-
plis: ut nec proſperis delectati, nec fracti aduerſis, à regia uitę uia, qua ad pro
miſſam nobis hæreditatem patrię cœleſtis gradiendum eſt, ulla in parte de
clinemus. Notandũ ſanè in hac ſentẽtia Paralipomenon quam poſui, quod
eadem porticus templi etiam ueſtibulum templi uocabatur: & quod in pro-
phetis legimus, inter ueſtibulum & altare orabant ſacerdotes, inter porti-
cum & altare holocauſtorum debemus intelligere. Bene autem utraque co-
lumna XVIII cubitorũ altitudinẽ habere memorat: ter etenim ſeni XVIII
faciunt, tria uero ad fidem pertinere propter ſanctam trinitatem, VI ad ope
rationem, quod in eo dierum numero mundus ſit factus, luce clarius eſt. Et
tria per VI multiplicantur, cum iuſtus ex fide uiuit, & cognitionẽ piæ credu-
litatis executione bonæ actionis accumulat. Columna nãq; ante fores tem-
pli XVIII cubitorum alta eſt, cum prædicator quiſq; egregius, palam cun-
ctis inſinuat, non niſi per fidem & opera iuſticiæ nos ad ſupernæ gaudia ui-
tæ poſſe peruenire: quamuis poſſit & his altius intelligi, quod nomen Ieſu
apud Gręcos ab hoc numero incipiat. Prima litera nominis Ieſus apud eoſ-
dem X, ſecũda VIII ſignificat. Et apte XVIII cubitorum altæ ſunt colum-
næ domus dei, quia doctores ſancti, imò omnes electi ad eum finem bene
uiuendo intendunt, ut conditorem ſuum facie ad faciem uidere mereantur.
Neq; enim ultra quid quærant habebunt, cum ad eum qui eſt ſuper omnia
peruenniunt. Et linea cubitorum XII, ambiebat columnã utramque. Linea
XII cubitorum norma eſt apoſtolicæ inſtitutionis, quæ nimirum linea am-
bit columnam utramq;, cum doctor ſiue Iudæis ſeu gẽtibus prædicare miſ-
ſus, ea tantum facere curat ac docere, quæ ſancta per Apoſtolos accepit ac di
dicit eccleſia. Nam ſi quis aliter uiuere ſiue prædicare uoluerit, & uel apoſto-
lica decreta ſpernere, uel pro ſuo libitu noua quælibet ſtatuere maluerit, nõ
eſt talis columna templo dei apta, quæ dum apoſtolica ſtatuta ſequi con-
temnit, quaſi uel exilitate inertiæ ſuæ, uel elationis tumidæ craſſitudine,
XII cubitorum lineæ non conuenit. Has nimirum lineas dominus colum-
nis ſui templi circumdedit, cum miſſis ad docendas baptiſandaſq; omnes
gentes diſcipulis ait, Docentes eos ſeruare omnia quæcũq; mandaui uobis.
Quiſquis ergo ſeruat ac docet omnia quæcunq; mandauit apoſtolis domi-
nus, nec alia ſuperadijciens, neq; horum quippiam præteriẽs, ipſe profecto
columna in domo dei, quæ eſt eccleſia, & firmamẽtum eſt ueritatis, qualem
fore Timotheum monuit apoſtolus Paulus. Verum quia abſq; ſcientia ſcri-
pturarum non poteſt eſſe firma uel uita uel loquela doctorũ, apte ſubditur:
Duo quoq; capitella fecit, quæ ponerentur ſuper capita columnarum fuſilia
ex ęre, V cubitorum altitudinis capitellum unum, & V cubitorum altitudinis
capitellum alterũ. Capita etenim columnarũ, hoc eſt ſuprema pars earum,
corda ſunt fidelium doctorum: quorum deo deuota cogitatione, ſicut capi-
te mem-

te membra,ita ipsorum omnia & opera diriguntur & uerba. Duo autem ca
pitella,quæ his capitibus erant superposita, duo sunt testamenta, quorum
meditationi atq; obseruantiæ doctores toto animo subduntur & corpore.
Vnde bene utrumq; capitellum V cubitos habebat altitudinis, quia nimirũ
V libris scriptura Mosaicæ legis comprehensa est, V etiam seculi ætates tota
ueteris instrumenti series complexa est. Nouum uero testamentum nõ alia
nobis aliqua prædicat, quàm quæ Moyses prædicanda esse prædixerat, &
prophetæ. Vnde dominus Iudæis ueteris testamẽti literæ frustra adhæren-
tibus,& gratiam noui spernentibus ait: Si crederetis Moysi,crederetis forsi-
tan & mihi,de me enim ille scripsit. Scripsit enim de domino Moyses, &
multa figuraliter, & illud apertissime, cum promissum narrat Abrahæ per
dominum,quia in semine tuo benedicẽtur omnes familiæ terræ: & cum per
se ipse dicit filijs Israel, quia prophetam uobis suscitabit dominus deus ue-
ster de fratribus uestris,tanq; me ipsum audietis,iuxta omnia quęcũq; locu
tus fuerit uobis. Cuius præsagij discipulos uox patris de cœlo monuit, cum
apparente illis domino in gloria,inter ipsum Moysen & Heliã in mõte san-
cto,ita intonuit dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene com-
placui,ipsum audite. Cum admirabili diuinæ operationis concordia,primo
noui gratia testamenti in uelamine erat ueteris abscondita, & nũc sacramen
ta ueteris testamenti sunt per lucem noui reuelata,quasi capitellum utriusq;
columnæ V est cubitis altum: quia uidelicet manifestum est, quod in testa-
mento ueteri eius sacramenta,uel in V libris legis præsignata, uel in V ætati-
bus sunt omnia plenius comprehensa,euangelicæ quoq; perfectionis est in-
sita gratia:sicq; fit ut prædicator quisq; egregius siue ad Iudæos, seu mitten
dus ad gentes,consono diuinorum eloquiorum testimonio confirmatis,cer-
tam fidei & operis rectitudinem absque errore conseruet, noueritq; docens
proferre de thesauro suo noua & uetera. Non solum autem testamenta sibi
inuicem diuinorum sacramentorum relatione consentiunt,sed & omnes qui
in eorundem testamentorum libris scripti continentur electi, una fide præ-
diti, eademq; sunt adinuicem charitate connexi. Vnde apte de ipsorum ca-
pitellorum factura subinfertur: Et quasi in modum retis & catenarum sibi
inuicem miro opere cõtextarum,utrumq; capitellum columnarũ fusile erat.
Quod in libro Paralipomenon ita scriptum est: Nec non & quasi catenulas
in oraculo,& superposuit eas capitibus columnarũ. Species namq; uirtutum
& similitudo in capitellis,uarietas est uirtutum spiritualiũ in sanctis: de qua
domino canitur in psalmo, Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato,
usq; uarietate: hoc est,in uestitu fulgidæ dilectiõis,circũamicta uarietate di-
uersorum charismatum.uel certe multiplex contexio catenarum & retis ex
pansio,multipharias electorum personas insinuat:quæ cum uerbis sancto-
rum prædicatorum fideliter auscultando atque obediendo adhærent,qua-
si columnarum capitibus superpositæ retis & catenulæ, miraculum suæ
connexionis

connexionis cunctis aspectantibus præbent. Hæ etenim catenæ miro sibi inuicem sunt opere contextæ, quia mirabili prorsus gratia sancti spiritus actum est, ut uita fidelium & locis & tempore & gradu & conditione & sexu & ætate multum secreta ab alterutrum, una eademq́ꝫ fide ac dilectione sit coniuncta. Nam quia hæc coniunctio fraterna iustorum, & locis & temporibus disiunctorum adunatione fiat doni spiritualis, sequentibus quoqꝫ uerbis ostenditur, cum de factura capitellorum adiungitur: Septena uersuum retiacula in capitello uno, & septena retiacula in capitello altero. Septenario namqꝫ numero spiritus sancti gratia solet designari, Ioanne attestante in Apocalypsi: qui cum uidisse se diceret agnum habentem cornua septem, & oculos septem, mox exponendo subiunxit, qui sunt septem spiritus dei missi in uniuersam terram. Quod propheta Isaias apertius explicat, cum de nasciturο in carne domino loquens, & requiescet, inquit, super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eũ spiritus timoris domini. Septena ergo uersuum retiacula erant in capitello utroqꝫ, quia patres utriusqꝫ testamenti per gratiam unius eiusdemq́ꝫ spiritus septiformis, ut essent electi, acceperunt.

Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerẽt capitella) Duo quidẽ ordines erant reciaculorum in gyro capitelli, sed uterqꝫ ordo septemplici uersuum numero currebat, donec circumacto capitello, rursum in se ipsum quasi circulo facto rediret. Hæc figura testamenti in abdito est, quare duo sint ordines retiaculorum, cum constet geminæ dilectionis esse uirtutem, quando uidelicet deum ex toto corde, & ex tota anima, tota uirtute, & proximum tanquam nos ipsos amare præcipimur. Sed uterqꝫ ordo VII habet uersuum retiacula, quia nec deus absqꝫ gratia spiritus sancti potest amari, nec proximus: manet namqꝫ sententia ueridica, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris, non ex merito nostro, sed per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vbi autem charitas dei, ibi profecto & proximi diffunditur in cordibus fidelium, quia nimirum una sine altera nequaquam ualet haberi. Facta sunt autẽ retiacula hæc ut tegerẽt capitella, hoc est undiqꝫ in gyro circumdarent: quia omnis scripturæ sanctæ pagina, cum recte intelligitur, gratiã per omnia charitatis sonat, ac pacis. Capitella etenim uolumina diuinorum eloquiorum, reciacula sunt uincula mutuæ dilectionis. Et retiaculis tegũtur capitella, cum sacra eloquia, ut ita dixerim, dono charitatis undiqꝫ probantur esse uestita. Nam & in eis quæ in scripturis non intelligimus, charitas late patet. Bene autem de eisdem retiaculis siue capitellis adiungitur. Quę erant super summitatem malogranatorũ) Malogranata namqꝫ quorum natura est, uno foris cortice multa grana interius circũdare, apte in figura sanctæ ponũtur ecclesiæ, quæ catholico unius fidei munimine, innumera electorum agmina solet includere. Potest autem & uniuscuiusqꝫ iusti uitã moresqꝫ designare, qui uelut plurima uno cortice

grana

grana circumplectens, multa cogitationum uirtutumq; spiritalium insignia, ne fortè diffluant firma fidei & humilitatis uallat custodia. Et apto prorsus mysterio, capita columnarum malogranatis erant in gyro circũdata: quia doctores sanctos necesse est uitam fidelium ad memoriam reuocare, eorumq; semper exemplis actus suos ac sermones omni ex parte communire: ne si aliter fortè quàm illorum habet regula uixerint, aut docuerint, errent. Sicut ergo retiaculorum admirãda connexio, unitatem designat fidelium, quæ est in uinculo pacis: ita etiam malogranatum, eandem ipsam typice insinuat unitatem: quæ & innumeros per orbem populos, in una fidei catholicæ regula cohibet. Vel certe mirabilis retiaculorum concatenatio, manifestam omnium fidelium concordiam demonstrat. Malogranatorum uero positio, internas animi uirtutes, quæ ab alijs nequaquam uideri queunt, exprimit, patientiam uidelicet, humilitatem, benignitatẽ, modestiam, & cætera huiuscemodi. Et quasi pulcherrima foris pomorum superficies apparet, sed inclusa intus granorum copia non apparet: cum pia sanctorũ operatio palàm cunctis ostenditur, sed ea quæ intus est, fidei, spei, ac dilectionis, cæterorumq; animi bonorum gratia non cernitur. Cum uero dictum sit de retiaculis, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem malogranatorum, uidetur, iuxta ordinem operis ipsius, quia malogranata fuerint facta in circuitu capitellorum à parte inferiori, atq; ex eisdem malogranatis orirentur retiacula, quibus capitella ex parte aliqua tegerentur. Patetq; figura mysterij, quare facta sint retiacula, quibus capitella fuerint malogranatorũ annexa: quæ ad unam penè significationem, siue personarum, siue uirtutum pertinẽt spiritalium. Scimus enim uirtutes de uirtutibus nasci, & sanctos ambulare de uirtute in uirtutem, donec uideatur deus deorum in Sion, qua uirtute nulla potest maior largiri. Vnde & Apostolus, Scientes, inquit, quia tribulatio patientiã operatur, patientia uero probationem, probatio uero spem. Sed in ipso uniuersali electorum collegio, uarie sibimet inuicem succedunt personæ iustorum, minoresq; maiorum ac prædecessorum suorum gaudent fideliter adhærere uestigijs, eorumq; dictis siue scriptis, ne fortè in errorem labi possint, inniti. Retiacula ergo super summitatem malogranatorum sunt posita, cum cõcordia charitatis perfectis fuerit superadiecta operibus: & cum utroq; uirtutis munere, & operatione uidelicet & charitate, sanctorum uita clarescit, quasi circulum malogranatorũ in capitellis columnæ, concatenatio retiaculorum superaddita comitatur. Et quoniam omnia uirtutum dona præsentia ad æternæ gloriã remunerationis, quæ per euangelium nobis est promissa ac ministrata, respiciunt, apte subiungitur, Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opera lilij fabricata erant, in porticu quatuor cubitorum.) Quid per lilia, nisi supernæ claritatis patria, atq; immortalitatis floribus redolens, paradisi designatur amœnitas? Quid per quatuor cubitos, nisi euangelicus sermo, qui introitum nobis æternæ beatitudinis illius promittit, & iter quo ad hanc perueniat ostendit? Cum

ergo ſancti doctores promiſſa nobis limina regni cœleſtis, in quatuor ſancti euangelij libris oſtendunt,quaſi capita columnarũ opus in ſe lilij quatuor cubitos exhibent. Vbi notandum iuxta literam,quia cum opus lilij in capitellis quatuor cubitorum eſſe memoratur, neq; additur latitudinis aut altitudinis, lectoris utiq; iudicio,utrum in altitudine,an in latitudine intelligi debeat, relictum eſt. Conſtat autem abſq; ulla prorſus dubietate,quia colũna quam XII cubitorũ reſtis ambiebat, quatuor cubitos habebat craſſitudinis. Omnis etenim circulus quantũ habet ſpatij in diametro,tantum habet ter in gyro. Deniq; mare æneum,quod in diametro erat decem cubitorum, ut in ſequẽtibus legitur,conſequẽter habebat XXX cubitos in gyro. Verum quia dicitur opus lilij quatuor fuiſſe cubitorum,ſiue latitudinem,ſeu deſignet altitudinem,nihilominus ratio figuræ perſpicua eſt:quia non niſi per euangelium exoptatiſſima illa uox mũdo inſonuit,Pœnitentiã agite,appropinquabit enim regnum cœlorum. Quod uero ſequitur, Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarum deſuper,iuxta menſuram columnæ eius.) Retiaculum iuxta mẽſuram columnæ dicitur,tantæ altitudinis,quantæ erat & columna:cuius tamẽ altitudo quanta fuerit,minime narratur. Hæc autem capitella qualiacunq; & quantacunq; fuerint, non enim menſuram eorum aperte ſcriptura deſignat, more liliorum uidentur appoſita eſſe. De quorum factura ſi quid myſticum inquirere delectat,illam regni perennis ſublimitatẽ poteſt non incongrue deſignare,quam nec oculus uidit:& cætera,uſq; Diligẽtibus ſe. Poſt lilia etenim quatuor cubitorũ,alia ſunt appoſita capitella, quorum altitudo quãta fuerit, non dicitur:quia multa quidem de cœleſti beatitudine in euãgelio legimus: quod uidelicet ibi mundicordes deum uidebunt: quod erunt æquales angelis dei: quod non nubent,neq; nubentur,quia nec mori ultra poterunt:quod ubicunq; eſt Chriſtus,ibi & miniſtri eius erunt:quod manifeſtabit ſeipſũ illis:quod palàm de patre annũtiabit eis:quod gaudium uiſionis eius nemo tollet à nobis: ſed ipſæ ſpecies horum quæ diximus, ipſe ſtatus & conuerſatio illius patriæ cœleſtis, quomodo ſeſe habeat, ſolis eis qui hanc intrare meruerint, eius ciuibus patet. Vnde bene factura ſiue altitudo horum capitellorum ſupra lilium erant,ut incomprehenſibilis eſſe terreſtribus qualitas cœleſtis habitationis inſinuetur. De qua tamen hoc minime latet,quod omnes ibi communi felicitate diuinæ uiſionis fruuntur, tanto quiſq; ſublimius,quãto mundiores ad uidendum eum oculos cordis habuerit. Qui enim dixit,Omnes timentes dominum,puſilli cum maioribus: ipſe dixit,Quia tu reddes unicuiq; ſecundum opera eius. Communis ergo ibi benedictio omnium erit electorum,attamen pro diſtincta qualitate operum, multæ ſunt manſiones beatorum in una eademq; domo patris æterna in cœlis. Quod in harum quoq; factura columnarum myſtice reor eſſe deſignatũ, cum dicitur, Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarũ deſuper. Iuxta menſuram quippe columnæ fiunt capitella deſuper,cum ſancti doctores,immo omnes electi eorũdem doctorũ ueſtigia

sequentes, præmia supernæ retributionis, secundum merita piæ recipiunt operationis. Retiacula quoq; fiunt secundũ capitella, quia iuxta modum dilectionis qua sibi adinuicẽ in hac uita fraternitas sancta copulata est, supernorum quoq; ciuium societati, in præsentia sui conditoris coniũgitur in cœlis. Verum quod eadem supernorum societas ciuium, utriusq; populi fidelibus tribuitur, recte subiungitur, Malogranatorum autem ducenti ordines erant, in circuitu capitelli secundi.) Diximus autem, malogranata totius sanctæ ecclesiæ typum tenere. Centenarius uero numerus qui ad dexterã manum primus peruenit, nonnunquam in æternæ beatitudinis figura poni cõsueuit. Duplicatur autem hic numerus malogranatorũ in circuitu capitelli secundi, ut insinuetur mystice, quod utriusq; testamẽti populus adunandus in Christo, ad æternæ uitæ sit introducendus coronam. Cui figuræ conuenit hoc quod de apostolis post resurrectionẽ domini piscantibus scriptum est, cum ipsum in litore stantem uiderent. Non enim longe erant à terra, sed quasi cubitis ducẽtis, trahentes rete piscium. Per ducentos etenim cubitos, rete plenum magnis piscibus discipuli ad dominum trahũt, effectum suæ resurrectionis in litore iam monstrantem: cum sancti prædicatores & Iudæis & gentibus uerbum fidei cõmittunt, atq; utriusq; populi electos à fluctibus seculi præsentis extractos, ad futuræ gloriam pacis & immortalitatis perducũt. Circuitus ergo capitelli secundi, ducentos habet ordines malogranatorum, cum sublimitas regni cœlestis utriusq; populi electos, in una beatitudinis arce colligit. Et statuit duas columnas in porticum templi. Cumq; statuisset columnam dexteram, uocauit eam nomine Iachin, firmitas: similiter erexit columnam secundam, & uocauit nomen eius Booz, in robore.) Dextera columna, ut supra diximus, exprimit figuram doctorũ, qui primitiuam in Hierosolymis instituerunt ecclesiam: secunda eorum qui ad prædicãdum gentibus destinati sunt. Vel certe dextera columna eos significat, qui uenturum in carne dominum prophetãdo prædixerant, secunda illos qui hunc iam uenisse & mũdum sanguine suo redemisse testantur. Et apte uocabulo simili ambæ censebãtur columnæ, cum una firmitas, altera in robore dicta est: ut una fidei & operis fortitudo cunctis inesse doctoribus monstraretur, nostrisq; temporibus inertia taciturnitatis notaretur. Vbi se nonnulli doctores, sacerdotes & columnas domus dei uideri atq; appellari uolunt, cum nihil in se prorsus firmæ fidei ad contẽnendas seculi pompas ac desideranda bona inuisibilia, nil habeant roboris ad corrigendum, nil industriæ saltem ad intelligendos eorum, quibus prælati sunt errores. Fecit quoq; mare fusile decem cubitorum à labio usq; ad labium, rotundum in circuitu.) Mare hoc fusile in figuram lauacri salutaris, quo in remissionem peccatorum emundamur, factum est. Namq; sacerdotes in eo lauabãtur, ut uerba dierum aperte testantur. Sacerdotes autem constat omnes electos typice in scripturis uocari, eo quod sint mẽbra summi sacerdotis domini Iesu Christi. Et recte huic uasi scriptura maris nomen indidit, in memoriã uidelicet maris

De mari æreo XXI

rubri,in quo prius per extinctionem Ægyptiorũ,& populi dei liberationem, baptismi forma præcessit:exponente apostolo,ac dicente,Quoniã patres nostri omnes sub nube fuerunt,& omnes mare transierunt,& omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.Sacramẽtum autem baptismi, & uitæ à nobis mundiciam quærit in hoc seculo, & uitæ nobis æternæ gloriam promittit in futuro.Quod utrumq; in mari hoc æneo una sentẽtia designatur, cum esse decem cubitorum à labio usq; ad labium perhibetur. Decem nãq; præceptis in lege,dominus omnia quæ facere debeamus expressit, denario æque mercedem benefactorũ signauit,cum hunc in uinea laborãtibus dandum esse prædixit.Erat ergo mare decem cubitorum à labio usq; ad labium: quia à primo baptizato usq; ad ultimũ, qui in nomine Iesu Christi in fine seculi baptizandus est;& crediturus,omnis fidelium chorus unam eandemq; uiam ueritatis ingredi,& communem à domino debet coronam sperare iustitiæ.Rotũdum erat in circuitu,ut orbis uniuersus in gyro, lauacro uitæ à sorde peccatorũ designaretur esse mundandus.De quo bene subditur, Quinq; cubitorum altitudo eius.) Quia nimirum quicquid uisu, quicquid auditu, quicquid olfactu, quicquid gustu,quicquid tactu delinquimus, totum hoc nobis gratia dei per ablutionem uiuifici fontis relaxat.Sed non sufficit præteritorum remissio peccatorum,si non quisq; bonis deinceps insistere studuerit operibus. Alioquin diabolus qui exierit ab homine,si hunc à bonis uacare actibus uiderit, multiplicius redit,facitq; nouissima hominis illius peiora priorib. Vnde apte subditur, Et resticula triginta cubitorũ,cingebat illud per circuitum.) Per resticulam namq; disciplina præceptorum cœlestium,qua à nostris uoluptatibus religamur,potest apte signari,scriptura dicente, Quia funiculus triplex difficile rumpitur:quia nimirum obseruatio mandatorum dei,quæ in cordibus electorum,fide,spe,& dilectione supernæ retributionis firmata est, nullo temporalium rerum potest obstaculo dissolui. Et resticula mare ambit)cum sacramentum baptismi quod accipimus,pijs cõmunire operibus studemus, Quæ nimirum reticula apte triginta dicitur esse cubitorum, quinquies etenim seni triginta faciunt.Senario autem numero in quo dominus hominẽ & fecit,cum nõ esset, & cum perisset refecit, recte bona operatio etiã nostra figurat.Et sex per quinq; multiplicantur,ut ad triginta peruenias,cum omnes nostri corporis sensus, diuinis humiliter subiugamus imperijs. Possumus autem & aliter hunc tricenarium mystice maris numerum,non inconuenienter accipere. Ter enim deni faciunt xxx, & genus humanũ post diluuium ex progenie trium filiorum Noe latitudinẽ totius orbis impleuit.Sem quippe prosapia Asiam, Cham posteri Affricam,Iaphet soboles Europam & insulas maris obtinuit: quia & mysterium baptismi cum executione bonorũ operũ & spe cœlestium præmiorum cunctis erat nationibus ministrandum,apte resticula triginta cubitorum mare illud in quo baptismatis unda figurabatur,cingebat. Sed hoc dicendũ,quod dominus xxx habebat annos ætatis,cum uenit ad Iordanem bapti-

baptizandus à Ioãne: qui quoniam suo baptismate quod tricenarius accepit, undam nobis lauacri salutaris consecrauit, recte mare quod nostrũ baptisma figurabat, XXX cubitorum restis circuibat: ut significaretur dono illius qui baptisma sine peccato subijt, baptisma nobis omnibus in eum credẽtibus in remissionem peccatorum dedicari. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare, & duo ordines sculpturarum istriatarum erant fusiles.) Cum prædictum sit supra, quod resticula XXX cubitorũ mare circuierit: & nunc addatur, quia sculptura hæc subter labium posita, X cubitis ambierit: patet ex utraqꝫ relatione, quia uas erat in modum phialæ, repandũ ac diffusum: quod à XXX cubitis circuitus, quos habebat in labio, usqꝫ ad X est cubitos coaptatum. Sculptura autem istriata est, quæ historias rerum aliquas imitatur. Vnde & recte per sculpturas istriatas, quibus mare circundabatur, exempla sunt priorum temporum designata, quæ necesse est nos solerter intueri: ut uideamus quibus operibus sancti deo placuerunt ab initio: qua obstinatione in sceleribus perdurarũt, quanta'ue iniquitate ob scelera perierunt reprobi: quomodo in exordio nascentis seculi, Cain ob maliciã inuidiæ damnatus: Abel sit ob iustitiæ merita coronatus: Lamech ob adulterium & homicidium maledictus: Enoch ob gratiã pietatis ad paradisum deductus: quomodo post diluuium, Cham ob impietatẽ à patre detestatus: Sem, & Iaphet ob obsequium reuerentiæ, perpetua sint benedictione donati: Abraham ob meritum fidei, hæres sit diuinæ promissionis effectus: & cætera gentium multitudo inaudita sit infidelitate relicta: qualiter adueniẽte in carne domino, Iudæa ob perfidiæ noxam repulsa, & gentilitas sit ob gratiam fidei ad salutem reducta: & cætera huiusmodi, quæ in utroqꝫ testamento solerter ac pie cõsiderata, multum studiosis quibusqꝫ prosunt. Et ideo forsitan duo sunt ordines sculpturarum istriatarum in mari æneo facti, ut hi qui in fonte baptismatis imbuti sunt, utriusqꝫ testamẽti diligenter auscultent historias. Ideo X cubitorũ erant in gyro, ut quoscunqꝫ in eisdem historijs deditos iussis cœlestibus, ac tota intentione ad superna præmia suspensos esse perspexerint, hos imitari contendant. Bene autem sequitur, Et stabat super XII boues, quorum tres respiciebant ad aquilonem, & tres ad occidentẽ, & tres ad meridiem, & tres ad orientem.) Per boues quippe, apostolos & euangelistas, immo omnes uerbi ministros debere intelligi, Apostolo docente cognoscimus, qui exponens mandatum legis, quo dictũ est, Non alligabis os boui trituranti; nunquid de bubus, inquit, cura est deo? an propter nos utiqꝫ dicit? Nam ꝑpter nos scripta sunt, qm̃ debet in spe qui arat arare, & qui triturat, spei suæ fructũ percipere. Duodecim ergo boues, XII sunt apostoli, & omnes qui uice eorum regendã ecclesiam in Christo susceperunt. Qui nimirũ boues mare sibi superimpositũ portant, cum apostoli apostolorumqꝫ successores iniunctum sibi euangelizandi officium, prompta implere deuotione satagunt. Tresqꝫ aquilonem, tresqꝫ ad occidentem, tres ad meridiem, & tres ad orientem respiciunt, cum in uniuersi

quadrati orbis partib. fidem prædicant sanctæ trinitatis. Nam & apostoli eo mysterio XII, hoc est quaterni sunt electi, ut fidem & confessionē sanctæ trinitatis per IIII mundi partes euāgelizantes, baptizarent omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti: quorum apostolorū successorumq́ꝫ eorū uerba, actus, & passiones per facile in præsenti uidere uel legēdo cognoscere possumus: quæ uero illos in futuro maneat gloria retributionis, necdū uidere ualemus. Vnde apte subditur, Quorum posteriora uniuersa, intrinsecus latitabant.) Intrinsecus namq; latitāt uniuersa boum posteriora, quia qua mercede sancti prædicatores in perpetuū donētur in interni arbitris examine iam dispositū est: sed nobis qui adhuc foris sumus, manet omni modo occultū, quod tunc esse occultum nullatenus potest. Sed omnis qui lauacrum baptismi accepit ad salutem & uitam, fidem, spem, & charitatem debet habere: nec sine his trib. uirtutib. quisq; aliquid boni iam operari uel intrare ad uitā ualet. Vnde recte subiungitur, Crassitudo autem luteris, trium unciarum erat. Crassitudo etenim luteris in mari, firmitas est uirtutis in baptismo. Et trium unciarū est hæc crassitudo, dum robore fidei, spei, & dilectionis perceptio baptismi communitur. Neq; aliter proficuum esse accipientib. ostenditur, nisi harum firma certitudo uirtutū, mentem accipientiū simul & opera confirmet. Accipitur autem & celebratur baptismi lauacrum in exemplū dominicæ passionis & resurrectionis à mortuis, iuxta quod apostolus exponens ait, Quia quicūq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, cōsepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodū surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim cōplātati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Quod in factura quoq; maris ænei typice signatum est, cum sequenter adiungitur. Labiumq́ꝫ eius quasi labium calicis, & folium repandi lilij. Per labium namq; calicis, gustus dominicæ passionis, per foliū repandi lilij, patefacta claritas resurrectionis exprimitur. Nam quod in calice poculū passionis designetur, testatur ipse dominus, qui ueniens ad passionē orauit patrē, dicens, Pater si uis, transfer calicem istum à me. Lilium uero quod comitante odoris iocundissimi gratia, candidum foris calicem, intus aureolum ostendit, apte gloriam resurrectionis eius insinuat, qui & corporis immortalitatem foris ostendit discipulis, & animam diuina luce coruscam sibi simul inesse perdocuit. Potest etiam in lilio repando ipse mediator dei & hominū propter passionem mortis gloria & honore coronatus non incōuenienter accipi: qui ante passionem quidem suam, quasi clausum adhuc lilium fuit, cum signis miraculorū quæ fecit clarus homo refulsit: post resurrectionem uero & ascēsionem suam repandum se lilium supernæ patriæ ciuibus exhibuit, quod in assumpta humanitate potentiā diuinæ claritatis, quam habuit apud patrem priusq; mūdus esset, ostendit. Vnde in amoris cātico, lilij se uocabulo designare uoluit, dicens, Ego flos campi, & liliū conualliū. Labium ergo maris in quo sacerdotes lauabant,

quasi labiũ fuit calicis,& foliũ repandi lilij:quia lauacrũ salutare quo membra summi sacerdotis efficimur,in fide nos sacrosanctæ passionis eius à peccatorũ omniũ labe purificat,ac purificatos ad uisionẽ gloriæ ipsius perẽnis intromittit.In quo nimirũ lauacro uterq; populus,& circũcisiõis uidelicet, & præputij, per fidem,spem,& dilectionẽ unum in domino efficitur,ipso atteſtãte,qui circuncisionẽ post prædicans ait inter alia,Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili,& illas oportet me adducere,& uocẽ meam audient,& fiet unũ ouile & unus pastor.quod in hoc quoq; mari typice figurabat̃.Nam subdit̃ Duo milia batos capiebat) Millenarius nãq; numerus pro significatione perfectionis solet poni in scripturis,quia nimirũ denarij numerus quadratũ solidum facit.Decem quippe decies ducta,C faciunt,quæ uidelicet figura iam quadrata, sed adhuc plana est.Verũ ut in altitudine surgat,& solida efficiatur, multiplicata C per X,fiunt mille:quo ꝓfecto numero stabilis & insuperabilis, & uelut tonquadrata iustorũ conscientia designat̃.Quocũq; enim uerteris quadratũ, stabit:sic & animus electorũ nullo tẽtationũ occursu nouit à statu suæ rectitudinis inclinari.Batus aũt Hebræorũ mensura est, quã ipsi bath nominant,habens modios III.Ipsa & ephi,quã & epha nũcupant.Sed ephi ad mensuram pertinet uariarũ frugum,tritici,ordei,leguminũ: batus uero est specieb.liqdis, uino,oleo,aqua.Itaq; batus,qui certa norma mẽsuræ,opera designat æquitatis & iustitiæ, quib.hi qui in remissionẽ peccatorũ baptizantur,necesse habẽt institui. Batos mille illud capiebat mare,cum aqua baptismatis plebẽ Iudæorum abluens,ad regnũ cœleste trãsmisit. Recipiebat & alios mille,cum etiam turbas nationũ eodẽ fonte renatas & operib.iustitiæ cõfirmatas,eiusdẽ regni perennis fecit esse participes. Et fecit bases X æreas, IIII cubitorũ longitudinis bases singulas,& IIII cubitorũ latitudinis,& III cub.altit.) Multifariã multisq; modis una eademq; nostræ salutis sacramẽta præfigurãtur.Nam ijdem apostoli uiriq; apostolici,qui per boues mare portãtes designati sũt, designãtur etiam per bases,quæ portandis erant luterib.præparatæ:quomodo ipsi lauacri spiritalis,cuius & mare,typum gerebant.siquidẽ ut uerba dierum narrant,omnia in eis quæ in holocaustũ oblaturi erant, lauabant. Holocaustũ aũt domini generaliter omnis electorũ multitudo potest intelligi,quæ iuxta uocẽ præcursoris,baptizata est ab ipso in spiritu sancto & igne. Sicut ergo sacerdotes qui in mari lauabãtur,formã exprimunt eorum qui per baptisma efficiũtur summi cõsortes sacerdotij, quod est in dño Iesu Christo: ita etiã holocausta eorundẽ figurã aptissime prætẽdunt,cum per ablutionem baptismi gratia spiritus sancti implentur. Lauatur nãq; in lutere hostia,cum quis fideliũ aqua baptismi perfundit̃:offertur uero in holocaustũ cum per impositionẽ manus episcopi donũ spiritus sancti accipit.Philippus euãgelista cũ prædicaret in Samaria,quid nisi in lutere tẽpli hostias dñi lauabat? Sed quia necdũ in quenq; eorũ spiritus sanctus descẽderat,sed baptizati tantũ erant in nomine Iesu,uelut ablutæ hostiæ necdũ ad sacrosãcti altaris ignẽ peruenerãt.

De basibus decem. XXII

At cum missi illuc Petrus & Ioannes, imponebant baptizatis manus,& accipiebant spiritum sanctum,loquebãturq; linguis,iam ad ignem altaris peruenerant hostiæ,ut fierent holocaustũ,quod Latine,totũ incensum dicitur:quia uidelicet consciẽtiam illorũ gratia sancti spiritus adimplens,diuino fecit amore feruescere. Quod uero ad portandos luteres,X sunt bases factæ,poterat ita mystice interpretari:quia ministri lauacri uitalis,ad æternæ gaudia beatitudinis,quæ denario solet numero figurari, eos quos imbuunt uocent. Verũ quia de eisdem luterib. distincte in sequentib. scriptum est,q; uidelicet V ex his positi sunt ad dexterã partem templi,& V ad sinistram,magis in eis quinarij numeri intuenda sunt mysteria. In utraq; etenim parte templi sunt bases positæ luterum,ut utriq; dei populo sacri fontis gratia signaretur esse pãdenda: & V sunt in utraq; parte,ut sicut in expositione maris, quod V cubitis altũ est,iam diximus,demonstraretur typice, uniuersa fidelibus, quæ per quinque sensus corporis deliquerant,per lauacrũ baptismi esse remittenda. Sicut ergo in uno mari super XII boues posito,unitas exprimit̃ baptismatis,quæ per apostolos toto erat orbi prædicanda:ita & per duos ordines luterum mystice ostẽditur, quia gentilitas cum Iudæa in unum fidei consortiũ post baptismatis erat undam colligenda. Nam etsi in geminis luteribus hostiæ lauabantur, quædam quidẽ à dextris atrij,quædam uero à sinistris,uno tamen igne consumebãtur altaris ut holocaustũ fieret:quia siue quis in parte circuncisionis, siue præputij lauacrum susceperit,uno omnes spiritu,ut filij dei fieri possint, sanctificantur. Hinc etenim Apostolus,Sed accepistis,inquit,spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus, Abba, pater. Vnum,inquit,spiritum accepistis,in quo omnes filij adoptionis efficiamini,in quo nimirũ spiritu clamamus, Abba, pater. Abba uidelicet, qui ex Hebræis uenimus ad fidem: pater,qui ex gentibus,uarijs quidẽ linguis pro diuersitate nationum,sed unum eundemq; deum patrẽ,per unius donum spiritus inuocantes. Quod aũt cubitorum IIII lõgit. & IIII latitudinis,& III altitud. bases singulæ fuere,intelligendũ est: Longitudo etenim ad patientiã lõganimitatis,latitudo ad dilatationẽ dilectionis,altitudo pertinet ad spem supernæ retributionis. Quatuor autẽ sunt principales uirtutes, quib. tota uirtutum structura imminet,prudentia scilicet, fortitudo,temperantia,iustitia:& ideo IIII cubitorũ erat longitudo & latitudo basium:quia sancti prædicatores siue aduersa mundi,& longitudinem exilij,ac laborum præsentium mala tolerent:seu cor in dilectione sui conditoris,suorũq; proximorũ interna exultatione dilatent:sæpe operam dant uirtutib. cura prudenti uidelicet inter bona & mala discernentes, fortiter aduersa sustinentes, cor ab appetitu uoluptatũ tẽperantes,iustitiã in operatione tenẽtes. Trium uero cubitorũ fit altitudo basium,cum per exercitiũ uirtutũ,quas cum patiẽtia malorũ, & dilectione bonorũ exercent,cõtinua intẽtione ad uisionẽ sanctæ trinitatis peruenire satagunt. Et ipsum opus basiũ interrasile erat,& sculpturæ inter iuncturas.) Iuncturas dicere uidetur eas,quib. ipsæ luterũ tabulæ sibimet inuicẽ cõnexæ sunt,

ut scilicet ex IIII siue quinq; tabulis una fieret basis. Quales autẽ sculpturas in-
ter has iuncturas, id est in ipsis suis lateribus ante & retro à dextra & sinistra,
& supra quoq; habuerunt, subdendo aperitur, cum dicitur, Inter coronas &
plectas, leones & boues & cherubin, & in iuncturis similiter desuper) Non er
go plana erat ulla ex parte superficies basiũ, sed erat mysticis sculpta figuris,
quæ sanctorum mentes, immo uniuersas eorum actiones uirtutum gratia in
omnibus prætendunt, neq; aliqua illas hora inanis & uacua præterijt, in qua
pijs uacare operibus uel sermonibus uel certe cogitationib. desistant: coronu-
las quippe in se sculptas habent, cum ad ingressum uitæ perennis infatigabili
desiderio anhelant. Plectas habent, cum inter desideria uitæ cœlestis, quæ sur
sum est, nunquã fraternæ societatis quæ iuxta est uincula dissoluunt. Habent
inter coronulas & plectas, leones: cum ita ad sperãda cœlestia mentẽ erigunt,
ita ad diligendos proximos dilatant, ut in peccantes quosq; qui sibi commissi
sunt, feruorem asperæ inuectionis exercere nõ tardent. Habent cum leonibus
boues, quando ipsam inuectionem corripiendi cum spiritu mãsuetudinis ex-
hibent, quando in feruore arguendi nunquam fessam habere uigilãtiam dis-
cretæ actionis ac loquelæ, nunquam uerba diuinę lectionis uelut ruminando
in ore uoluere cessant. Deniq; beatus Stephanus basis uidelicet templi domi
ni eximia, sæui leonis dentes atq; ungues ostendere uidebatur, cum suis perse
cutoribus aiebat. Dura ceruice & incircuncisi corde & auribus, uos semper spi
ritui sancto restitistis. Quem prophetarum pattes uestri nõ sunt persecuti: &
cætera. Verũ hæc loquens quantum pietatis, ut ita dicam, bubulæ mãsuetudi
nis intus in corde gestaret, ostendit, cum pro eisdem persecutorib. usq; ad ne-
cem suam sæuientibus, genu flectens dicebat, Domine ne statuas illis hoc pec
catum. Sed quia neq; spem æternorum in cœlis, neq; amorem proximorũ in
terris, neq; feruorem zeli mordentis, neq; lenitatẽ modestię cõpatientis, absq;
scientia sanctarum scripturarũ habere possumus, apte post coronulas & ple-
ctas, post leones & boues, cherubin sculpti esse memorantur. Cherubin nãq;
constat scripturæ sacrę typum tenere: siue quia duo cherubin in propitiatorio
arcæ in figuram duorum testamentorum concorditer de Christo canentiũ fa
bricati sunt: seu quod nomen istud scientiæ multitudinem sonat. Quanto au-
tem quisq; studiosius legendis diuinorum eloquiorũ paginis institerit, tanto
necesse est in omnibus amplius, quæ agit, aut iudicat, interni testis aut iudicis
examen pertimescat: ne aut plus iuste in peccãtes uindicans, aut rursum absq;
moderamine iustæ discretionis ignoscẽs, iram iusti iudicis incurrat. Qui enim
addit scientiã, addit & dolorem. Vnde hic quoq; ꝓpter sculpturas cherubin
conueniẽter adiungit, Et super leones & boues quasi lora ex ære dependẽtia.
Super leones q̃ppe & boues lora depẽdẽt, qñ sancti doctores & in seueritate
districtionis qua peccãtes iudicãt, & in mãsuetudine lenitatis qua pœnitẽtib.
remittũt, iudiciũ sui timent autoris: ne forte iniuste ligãdo, ipsi ab eo cuius iudi
ciũ errare nequit, ligare mereant. Et quatuor rotæ per bases singulas, axesq;

ærei per quatuor partes, quasi humeruli subter luterẽ fusiles cõtra se inuicem respectantes.) Quatuor rotæ, quatuor sunt euangeliorũ libri, qui aptissime rotis comparantur: quia sicut uolubilitas rotæ citissimo cursu quocunq; ducitur currit, ita sermo euãgelicus, iuuante domino, per apostolos in breui uniuersas mundi plagas impleuit. Sicut rota superimpositum sibi currum à terra subleuat, & subleuatum quò auriga dirigit portat: ita euãgelica prædicatio mentes electorum à terrenis cupiditatibus in cœlestia desideria suspẽdit, ac suspensas ad profectum bonæ operationis, siue ad ministerium prædicationis, quocũq; adiuuans gratia spiritus uoluerit, ducit. Nam in sequentibus dicit, quia tales erant rotæ, quales in curru fieri solent. Legimus autem de sanctis, Currus dei decem milibus mult. milia lætantium. Quid est ergo quod rotæ basium, rotis assimilantur curruum: nisi quia unus idemq; sermo euangelicus quosdam eorum quos instituit, currus dei, quosdam bases templi dei facit? Quicũq; enim ad euangelizandum uerbum doctores longe lateq; mittebantur in mundo, utiq; currus dei, & quidẽ uelocissimi fuerunt: quia per cũcta discurrẽtes, deum ad corda credentium inducebant. At uero illi qui uno in loco cõmorantes uerbum salutis proximis annũtiabant, eosq; ad lauacrũ uitæ, quod uel in baptismo uel in compũctione lachrymarum celebratur, accendunt, quasi bases sunt templi, quæ portant luteres ad lauandas hostias: quia ita fidelib. quibus præsunt, ministeriũ salutis impendunt, ut longius excurrentes ad acquirendos nouos populos labores non subeant. Rotæ ergo basiũ rotis sunt curruũ similes, quia ijdem libri euangeliorum qui hos doctores ad prædicãdam fidem ueritatis ignorantibus mittunt, illos ad confirmandã amplius fidem inter doctos iam ac sacramẽtis cœlestibus imbutos manere præcipiunt. Rotæ quatuor basim luteris sustentabant, cum euangelia Iacobum fratrem domini ad conseruandam in Hierosolymis ecclesiam residere iusserũt. Rotæ earum similes currui dei suppositæ ad currendum parabant, cum eadem euangelia Paulum & Barnaban ad prædicandum gentibus per omnia discurrere uoluerunt. Rotæ basibus suppositæ ad portandum luterem templi à terra sustollebãt, cum nostris nuper temporib. beatus papa Gregorius euangelicis roboratus eloquijs Romanam rexit ecclesiam. Rotæ eædem curribus dei subnixæ longe portabant, cum reuerendissimi patres Augustinus, Paulinus, & cæteri socij eorum, eisdem euangelicis confirmati eloquijs, iubente illo uenere Britanniam, & uerbum dei incredulis dudũ commisere gentibus. Si ergo bases luterum, sancti doctores sunt, qui lauacrum nobis uitæ ministrant, & rotæ quaternæ basium quatuor sunt euangeliorũ libri, qui axes rotarum, quæ bases gestant, nisi ipsa eorundẽ corda sunt doctorum? Quæ dum præceptis euãgelij sedulo intenta, eos ab infimorum appetitu sustollunt, uelut immissis rotis axes altius basem à terra subleuãt. Porrò humeruli qui rotis antepositi ne ab axibus dilabi possent, obsistebant, præconia sunt prophetarũ, quibus euangelica & apostolica scriptura ne cui legentiũ in dubiũ ueniat, confirmatur: & apostolus Petrus de

domino

domino loquens, ait, Et habemus firmiorem propheticũ sermonem, cui bene facitis attendentes. Sed & omnes euangelistæ atq; apostoli, in eis quæ scripse re, legis & prophetarum mentionem facere solebant. Deniq; Marcus ita incipit, Initium euangelij Iesu Christi filij dei, sicut scriptum est in Esaia prophe ta. Et Matthæus, Hoc totum factum est, ut adimpleretur scriptura prophetarum: & cætera huiusmodi. Bene autem dicitur, quod humeruli per quatuor partes subter luterem erant positi, & contra se inuicem fuerunt respectantes, quia nimirum omnis scriptura prophetica sibimet cõsentanea est, utpote uno dei spiritu condita. Quatuor autem fuerunt per bases singulas humeruli, uidelicet iuxta numerum rotarum: non quia quatuor tantum sunt libri prophetici, sed quia in omnibus quę loquuti sunt prophetæ & Moyses, dictis quatuor euãgelistarum testimonium præbuerunt: ut ex consensu utriusq;, una fides & dilectio Christi, nostra omnium corda confirmet. Os quoq; luteris intrinsecus erat in capitis summitate, & quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterq; habebat unum cubitum & dimidium. Os luteris unius erat cubiti, propter unitatem confessionis & fidei: quia omnes in confessione patris & filij & spiritus sancti baptizamur, dicente Apostolo, Vnus dominus, una fides, unũ baptisma, unus deus & pater omnium. Et ipsum os in capitis erat summitate, ut ad cœlestia nobis regna, per baptisma iter esse pate factum doceret: ipse uero luter in amplitudine cubitum habebat unum & dimidium, propter operis nimirum perfectionem & initium contemplationis. Integer etenim cubitus in lutere, perfectionem bonę actionis designat, quam absq; ulla dubietate habebat ille, de quo tentatori antiquo dominus aiebat, Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei homo similis in terra, simplex, & rectus, ac timens deum, ac recedens à malo? Est uero alter cubitus diuinæ uisionis, qui ex parte nonnulla etiam in hac adhuc uita retentis fidelibus donari consueuit: ut idem Iob deuicto aduersario cum domino loquens, ait, Auditu auris audiui te: ut Moysi dominus facie uisus est ad faciem: ut Esaiæ sedens in solio regni, circunstantibus cum laude debita cœli ciuibus: ut cæteris sæpe uisus est prophetis: ut beato Stephano in articulo passionis apertis cœli ianuis gloria dei ostensa est: ut Paulo introitus paradisi, & tertij cœli sunt patefacta mysteria. Sed uniuersa hæc ex parte sunt permodica, in comparatione eius, quæ in futuro reuelanda est gloriæ. Ideo post cubitum bonæ operationis, quæ in hac uita perfici potest in sanctis, incipit cubitus supernæ contemplationis, quæ in futuro in cunctis perficienda constat electis: quæ uidelicet mensura unius & dimidij cubiti, non luteribus tãtum, sed & rotis eorum inerat ac basibus. Scriptum namq; est in sequẽtibus, Vna rota habebat altitudinis cubitum & semis. Et paulopost, In summitate autẽ basis erat quædam rotunditas unius & dimidij cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi. Luterum quippe mensura, unius erat cubiti & dimidij: quia nimirum ea fide in fonte uitæ lauamur, ut per opera iustitiæ ad uitã intrare mereamur

æternam:quamuis sine peccato dum hic uiuimus, esse nequimus: ipsam uero uitæ cœlestis dulcedinem,gustare ex parte ac diligere in hac uita interim,perfecte autem uidere nulla ratione ualemus. Rotæ quippe uno & dimidio cubito mensurantur, quia scriptura lectionis euangelicæ, qualiter hi qui perfecti esse uelint uiuere debeant,ostēdit:spemq; nobis æternæ retributionis in præsenti demōstrat:ipsam uero retributionis illius qualitatē, in futuro nobis pandendam simul & donandā esse promittit. Bases etiam ipsæ unum habebant cubitum ac semissem amplitudinis, in summitate sui ubi luteres reciperent: quia ipsi doctores ac ministri summi lauacri salutaris,opere quidē perfecti in hac uita fulserunt, sed luce contemplationis ex parte fruiti. Vnde & aiunt, Ex parte enim cognoscimus,& ex parte prophetamus, cum autem uenerit quod perfectum est,euacuabitur quod ex parte est. In hunc modum fecit decem bases,figura una,& mensura sculpturaq; consimili. Fecit quoq; decem luteres æreos.) Quare decem sunt bases factæ, totidemq; eis superpositi luteres, supra iam dictum est.Quod uero una erat figura, mensuraq; & sculptura consimilis omniū basium siue luterum:non in ea significatione factum est,quod æqualia possint esse omnia merita doctorum:sed in ea potius,quia una fides euangelij quo instituuntur,unum baptisma quo abluuntur,unus idemq; spiritus est quo omnes consecrantur electi: tametsi donationes habent diuersas in ipso spiritu,qui diuidit singulis prout uult. Quadraginta batos,capiebat luter unus.) Quadragenarius numerus solet magnæ perfectionis typum tenere, quia nimirum quater deni faciunt quadraginta. Decem autem sunt præcepta,quibus omnium nostrum operatio in lege diuina præfixa est. Quatuor sunt autem euangeliorum libri,in quibus per dispensationem dominicæ incarnationis cœlestis patriæ nobis est patefactus introitus. Et quia omnes qui ad ministerium sacri baptismatis pertinent,cum fide & sacramentis euangelij fructum debent facere rectæ operationis: apte luteres singuli, in quibus holocausta lauabantur,XL batos capiebant.Quod uero sequitur,Eratq; quatuor cubitorum,siue in altitudine, siue in latitudine: significat intellectus mysterij in promptu esse. Luter enim unus,quatuor erat cubitorum,uel propter quatuor sancti euangelij libros, in quibus forma nobis baptismi præfixa est: uel propter quatuor cardines,uirtutesq;,quibus quisq; fidelis,si non frustra fidelis est,debet institui:uel certe propter quatuor mundi plagas, quibus lauacrum salutis ministratur,dicente psalmographo,Quos redemit de manu inimicorum,de regi.cong.eos.à solis ortu & occ.ab aquilone & merid.Quod uero supra dixit,Pariterq; habebat unum cubitum & dimidium:& neq; ibi altitudinem uel amplitudinem significauit, uidetur fundum ipsius luteris huius esse amplitudinis:quod ex mensura (ni fallor) basis, in qua positus erat luter, quisq; facillime conijcit: quod ita describitur, In summitate autem basis erat quædam rotunditas unius & dimidij cubiti,ita fabricata,ut luter desuper possit imponi.Latitudo ergo fundi in luteribus,unius erat cubiti ac dimidij: ipsa uero

uero capacitas luterum, quatuor habebat cubitos: sed utrum in altitudine, an in amplitudine, an in utroq; dicat, quis nouerit? Et constituit decem bases, quinq; ad dexteram partem templi, & quinq; ad sinistram.) Dextram partem templi, & sinistram, non intus in ipso templo, sed ante templum dicit, ad orientalem plagam uidelicet, in atrio interiori, quod sacerdotum proprie uocabatur. Quinq; autem posuit ad dextram partem templi, propter Iudæos, qui solsticio propter doctrinam legis uti solebant antiquitus: & quinq; ad sinistram, propter nos, qui cæco diutius corde seruituti adhærebamus eius, qui ait, Ponam sedem meam ad aquilonem. Quod est aperte dicere: Illis in corde requiescere desidero, quos à luce ueritatis, & flamma diuinæ charitatis, alienos esse considero. Mare autem posuit ad dextram partem templi, contra orientem ad meridiem) Et hoc in eodem atrio positũ est ad orientem. Quod autem ad dextram partem templi, hoc est quod repetit, dicẽs, Ad meridiem. Ingredientibus enim atrium ab oriente, primo diuertendũ erat ad meridiem, ubi mare in ipso angulo stabat ad lauandum sacerdotibus paratum: deinde progrediẽtibus intro occurrebant luteres ad lauandas hostias ab utraq; parte positi. Intra hos, basis erat ænea quinq; cubitorum longitudinis, & quinq; cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis, in qua stans Salomon dedicabat templum. Deinde ultra progredientibus occurrebat altare holocausti cõtra meridianum atrij: deinde porticus templi, siue uestibulum, in quo erant columnæ æreæ circa ostium templi. Quod ergo mare posuit ad dexteram partem templi, significat nos per lauacrum baptismi ad regnum cæleste, quod iure uocabulo dexteræ figuratur, debere peruenire. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Namq; ubi dextera simul & sinistra in bono accipiuntur: uel Iudæam & gẽtilitatem, ut in expositione basium supra diximus: uel præsentem ecclesiæ uitam, & futuram: uel gaudium seculi, & tristitiam: uel aliquid huiusmodi: ubi uero absolute dextera in bono ponitur, æterna gaudia sæpius demonstrat. Quod uero contra orientem posuit mare, ad eandem proprie significationem respicit, quod uidelicet per lauacrum sancti fontis, splendor nobis internę claritatis aperitur. Quod ad meridianum latus atrij, significat fideles perceptione sancti spiritus, ad flagrantiam solere ueræ charitatis accendi: feruor etenim meridiani solis, consueuit in scripturis ardorem dilectionis, & illustrationem significare sancti spiritus, per quem eadem dilectio diffunditur in cordibus electorum. Omnia uasa quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo domini, de auricalco erant: in regione Iordanis fudit ea rex in argilosa terra.) Apte in regione Iordanis fusa sunt uasa domus domini, in quo uidelicet flumine dominus noster baptizari dignatus est: eiusq; tinctus undis, aquarum nobis elemẽtum in ablutionem peccatorum conuertit: quia omne fidelium baptisma quo domino consecrantur, in exemplum celebratur baptismatis illius quo ipse aquas sanctificauit. Recte in Iordanis regione uasa sunt domus domini facta. Neq; enim aliter uasa electionis & mi-

Quod in regione Iordanis facta sunt uasa templi. XXIII

ſericordiæ fieri poſſumus:-niſi ad baptiſma illius, quod illo in flumine ſubijt, reſpicientes, & ipſi uitali flumine ſatagamus ablui. Notandum autem, quia non tantum in regione Iordanis, ſed & in campeſtri regione illius facta dicit eadem uaſa, ſignificans multiplicationem fidelium, qui non ſolum in Iudæa, ſed in omnium nationum erant futuri latitudine, expleta prophetia quæ dicit, Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt. Cui ſimile hoc quod idem pſalmiſta de ſacramētis dominicæ incarnationis loquens, ex perſona eorum, qui poſt completa eius incarnationis arcana ad fidem uenerunt, ait, Ecce audiuimus ea in Effrata, inuenimus ea in campis ſyluæ. Audiuimus quippe in Effrata, id eſt in Bethlehem, ſacramenta dominica: quia promiſſum legimus Dauid patriarchæ, qui erat ex eadē ciuitate, de fructu uentris eius Chriſtum in carne uenturum. Inuenimus ea in campis ſyluæ, quia reuelata iam in latitudine gentium per orbem ipſi cognouimus, ipſi uidimus, ipſi participes facti ſumus. Fudit ergo rex uaſa domus domini in regione cāpeſtri Iordanis, quia dominus ut baptiſmo ſalutis uaſa miſericordiæ faceret, totam mundi latitudinem impleuit. Argilloſa autem terra, de qua factæ ſunt formæ ad fundenda uaſa domini, quid melius quàm ſcriptura ſacra, de qua regulam bene uiuendi accipimus, ualet intelligi? Quaſi enim argilla ignibus durata, formam uaſis domini quanta & qualia fieri debeant, exhibet: cum nobis regulam iuſtitiæ, quam ſequamur, oſtēdit: ſanctorumq́ꝫ nobis exempla, qui in igne tribulationum inuincibiles perdurarunt, in omnibus ſequenda præmōſtrant, ſi uaſa in domo domini electa eſſe ac precioſa concupiſcimus. Æsq́ꝫ igne liquefactum argillæ formas ingreditur, quo uas poſſit aptum miniſterijs cœleſtibus effici: cum ipſi ſalubriter humiliati, & flamma ſiue diuinæ charitatis, ſiue etiam humanæ aduerſitatis emolliti, uiam patrū bene operando intramus, ut ad præmia patrum bene currendo perueniamus. Neq́ꝫ enim ſemper nos regulis neceſſe eſt bonæ operationis aptari, ſed completa operatione bona, palma eſt beatæ retributionis ſperanda: quia nec ſemper uaſa in forma argillæ tenebantur incluſa: ſed ubi ad perfectionem ſui peruenerant, fractis formarū clauſtris, perducebantur in lucem, & in templo domini pro ſuis quæq́ꝫ locis diſponebantur. Hoc autem dicimus, non quod opera ſanctorum unquam ſint interitura: ſed quia ubi coronam iuſtitiæ, quam bene operādo meruere acceperint, laborioſæ operationis iam cuncta ceſſent officia. Quis enim in illa uita pro fide Chriſti martyrium patiatur, ubi expulſis aduerſarijs omnes electi in præſentia Chriſti lætantur? Quis ibi mortuum ſepeliat, ubi ſola uiuentium terra eſt? Quis lugentem conſoletur, ubi abſterget deus omnem lachrymā ab oculis ſanctorum? Quis ibi domum peregrino & hoſpiti paret, ubi omnes ſimul electi habitationem ex deo habent domum non manufactā, æternam in cœlis? Quis illic panem eſurienti, potum'ue afferat ſitienti, ubi dominus paſcit me, & nihil mihi deerit? Diruptis ergo formis uaſorum quōdam neceſſarijs, uaſa ipſa in domo domini ſplēdida iam refulgent: quia ceſſantibus in fine ſe-

culi

tuli, non solum persecutionibus quas propter iustitiã patiuntur, uerum etiam laboriosis iustitiæ operibus, quibus sponte pro æterna beatitudine insudant electi, in sola uisione sui conditoris percepta immortalitatis claritate lætabuntur. Fecitq; Salomon omnia uasa in domo domini, & altare aureum.) Altare aureum corda significat perfectorum iustorum internæ charitatis & castitatis luce corusca: quorum sublimitati significandæ etiam locus conuenit eiusdem altaris. Stabat enim ante ostium sancti sanctorum, ut in factura tabernaculi manifeste legimus: in quo uidelicet altari, non hostiarum sanguis neq; libamina, sed thymiamata tantum incẽdebantur, quorum fumus ad superiora ascẽdens operiebat arcam atq; oraculum, & odore suauitatis implebat. In quo figuram exprimebat sanctorum, qui dum neglectis temporaliũ rerum cupiditatibus, tota intentione cœlestia quærunt, uelut intus in uicinia oraculi sunt positi: nec longe sunt remoti à uelo, quo templum & sancta sanctorũ dirimuntur: quia corpore tantum terram incolunt, cæterum secũdum interiorem hominem, totam habent conuersationem in cœlis. Ascenditq; ab huiusmodi altari fumus incensorum in sancta sanctorum ubi arca est recondita, cum orationes sanctorum flamma charitatis excitatæ ad cœlum usq; perueniunt, ubi Christus est ad dexteram dei sedens, Non enim in hoc altari sanguis hostiarum, sed thymiamata tantum incendũtur: quia tales uiri non habent opera carnis & sanguinis, quę in ara sui cordis immolantes, domino mactent: sed tantummodo lachrymarum & orationis uota, ei pro desiderio regni cœlestis offerunt. Verum quia nemo repente fit summus, sed per oblationẽ carnalium uoluptatum sollicite ad desideriũ cœleste ascenditur: nõ prætermisit scriptura in mystica domus domini factura, & illorum ponere figuram, qui carnales adhuc in se concupiscentias, quæ militant aduersus animã, flamma superni timoris incẽdere laborant: quatinus his de corde siue corpore extirpatis, cõsequenter ad maiora possint ascẽdere, ac deo spiritalium thymiamata orationum & compunctionis offerre. Factũ namq; est aliud altare ad offerendas uictimas multo quidem maius, sed quantum magnitudinę præstans, tãtum situ loci & specie metalli inferius. Nam & de ære factum & ante fores erat positum templi: in quo illi nimirum figuraliter sunt expressi, qui tali deuotione domino deseruiunt, ut caro adhuc eorum cõcupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: soleantq; dicere, quia mente seruimus legi dei, carne autẽ legi peccati. qui cum incentiua carnis edomare, fluxa luxuriæ restringere, frequẽtibus ieiunijs & orationibus, uigilijs & eleemosynis, cæterisq; fructibus spiritus ad tranquillitatem castimoniæ deo digne ascendere contendunt: quid nisi uictimam illi suę deuotionis immolãt, implentes illud Apostoli, quo obsecrat nos per misericordiam dei, ut exhibeamus corpora nostra hostiam uiuẽtem, sanctam, deo placẽtem: qui quoniam feruore flagrant spiritalis amoris, sed nondum eminent triũpho uictæ concupiscẽtiæ carnalis: altare holocausti ignem quidem de cœlis sanctum habet, sed speciem æris & non auri prætendit. Ve-

De altari XXIIII

rum quia plures sunt in sancta ecclesia carnales quàm spirituales, plures qui uiciorum illecebras refrenando cohibent, quàm qui superato ac sopito uicio-rum certamine adepta uirtutum securitate lætãtur, merito altare holocausti maius esse multo, quàm altare thymiamatis asserebatur. Scriptũ namq; est de eo in libro Paralipomenon. Fecit quoq; altare æneum XX cubitorũ lon-gitudinis, & XX cubitorũ latitudinis, & X cubitorum altitudinis. Equidem al tare thymiamatis Moyses fecit in eremo, habens cubitum longitudinis & latitudinis, & duos cubitos in altitudine. Quãtæ aũt magnitudinis hoc Sa-lomon fecerit, nõ dicit scriptura, sed tantum quia altare aureum fecerit, dicit. Constat autem quia tantum facere non potuit, quantũ fecit holocausti, quia si XX cubitorum in longitudine & latitudine factum esset, totam templi lati tudinem impleret. Quantum igitur exterius erat positum altare holocausti quàm incensi, & quantũ genere oblationis ac uilitate metalli ignobilius fuit, tantum quantitate mensuræ & hostiarum frequentia præstabat: quia nimi-rum plures sunt multo, quibus dicatur, si uis ad uitam ingredi, serua manda-ta: quàm quos audire delectat, Si uis perfectus esse, uade, uende quę habes, & reliqua. Nec tamen huius mensura altaris, ratione mystica caret numeri. Habet enim XX cubitos longitudinis, & totidem cubitos latitudinis, & X cu bitos altitudinis. De quo quidem numero supra in expositione templi & ue stibuli eius diximus, sed & nũc dicendũ breuiter, Quod si altare holocausti illorum in ecclesia typum tenet, qui suum corpus & animam deo consecrare per ignem amoris illius quærunt, perseuerantia horum in bona operatione per longitudinem altaris, amplitudo in charitate dei & proximi, per latitudi nem, spes in expectatione diuinæ uisionis per altitudinem figuratur. Quod autem longitudo & latitudo altaris uicenorum erat cubitorũ, magnam utiq; perfectionem designat eiusdem indefessæ longanimitatis ac sinceræ dilecti onis, quæ per utriusq; testamenti nobis obseruantiam tribuit. Quater qui-ni uicenarium numerum complent, V enim libri Mosaicæ legis, IIII euan-gelicæ libertatis: cum ad intelligentiam atq; custodiam legis spiritualis illu-strãte euangelij gratia peruenimus, uicenarium profecto numerum perfici-mus. Fitq; idem numerus uicenarius in lõgitudine & latitudine altaris, cum corda electorum docente utroq; testamento, & adiuuante ipso uno utriusq; testamenti autore, & perseuerantiam boni operis etiam in persecutionibus seruant, & hilaritatem dilectionis in eos qui persequuntur exhibent. Dena-rio autem numero spes cœlestium præmiorum designari solet domino affir mante, cum eos qui in uinea magni patrisfamiliâs laborabãt, denario remu nerandos esse testatur. Et merito per hunc numerum merces æterna figura-tur, in qua nostra natura in æternum diuinæ uisioni cõiungitur, quia in ipso numero mystice diuina simul & humana natura designatur. Deus quippe trinitas est, homo autem numero septenario comprehenditur, quaterno ui-delicet propter corpus, quod ex quatuor elementis cõstat, ternario uero pro-

pter

pter interioris hominis triplicem differentiam, quam scriptura nobis sancta ostendit, cum diligere nos iubet dominum ex toto corde, tota anima, tota uirtute. Vnde & in decalogo legis tria sunt mãdata quę nos ad cultũ diuini amoris excitant, septem quæ dilectionem commẽdant proximi. Qui ergo decalogum legis in dei & proximi dilectione custodiunt, iure mercedẽ huius custodiæ in dei simul & proximi uisione percipiũt: quiq; in hac uita & proximum quem uident, & deum quem nõ uident, diligunt, hi in futura uita & deum regem in decore suo, æque & proximum in deo glorificatum ac decoratũ uidebunt. Et ideo altare quod in figura factum est electorum, ob significandã eorum perpetuã uitam, X erat cubitis altum. Cum uero dictum esset, quia fecit Salomon altare aureum, additum est continuo, Et mensam super quam ponerentur panes propositionis auream. Mensa autem, scriptura est sacra, spiritalis intelligẽtiæ claritate fœcunda, de qua psalmista domino, Parasti, inqt, in cõspectu meo mẽsam, aduersus eos qui tribulãt me. Ne enim aduersarij tribulantes ad errorẽ inflectant, mensam nobis conditor noster scientię, per quã in fide ueritatis eũ confitemur, parauit. Namq; panes propositionis, sancti sunt doctores, quorũ uel opera nobis uel uerba salutaria ad exemplũ uitæ proposita semper in diuinis paginis quisquis quærit, inuenit. Vnde apte ijdem panes in Exodo, XII fieri præcepti sunt: uidelicet propter apostolos XII, per quorum ministeriũ noui scriptura testamẽti condita est, & instrumenti ueteris donante domino reuelata mysteria. Quo nimirum non tãtum ijdem apostoli, sed & omnes sunt designati, qui prædicando uerbum pabulum uitæ fidelibus ministrant, quia omnes utiq; ipsam doctrinæ formam, quam apostoli à dño accepere sequuntur. Legimus autem de his panib. in Exodo, per singula sabbata eos mutari debere, & nouos pro ueterib. in mensa dñi proponi, unius quoq; mensuræ farinæ similæ semper eos parari præceptos. De quib. omnib. mysticus de interna refectione sensus luce clarior refulget: ablatis enim ueterib. noui restituuntur panes, cum assumptis de hac uita aliquib. doctorum fidelium alios loco eorum sancta ordinat ecclesia, & hoc non nisi die sabbati, quia quisquis bonum certamen certauerit, cursum cõsummauerit, fidem seruauerit, tempore suæ resolutionis, requiem beatæ perẽnitatis intrabit. Vnius mensuræ & non dispares ex simila semper fiebant panes, quia nimirum una eademq; forma ueritatis & fidei, quam primo apostoli suis auditorib. ostendebant: ac deinde successores eorũ, & omnes usq; ad finẽ seculi pij doctores ecclesijs Christi per orbem prædicare non desistunt. Quod uero in uerbis dierũ legimus, quia fecit Salomon mensas X, & posuit eas in templo, V à dextris & V à sinistris, fialas quoq; aureas C: has mẽsas tam ad panes propositionis, quàm ad uasa domini portanda, factas esse credibile est: fialas uidelicet quas pariter factas scriptura refert, thymiamataria, thuribula, mortariola, & cętera quæ in sequentib. leguntur. Nam quod paulopost in eodem uerborũ uolumine subinfertur, Fecitq; Salomon omnia uasa domus domini, & altare aureum, & men

De mẽsis decem XXV

ſas,& ſuper eas panes propoſitionis:uel pluralem numerum pro ſingulari po ſuit,more ſcripturæ uſitatiſſimo,ut in Ieſu Naue,Filij autem Iſrael præuaricati ſunt mandata: de anathemate, cum Acham ſolus & non plures filij Iſrael hoc fecerint: Vel certe quia panes propoſitionis ſolebant ante ſabbatũ coqui, ut in ſabbato mox poni potuiſſent in mẽſam propoſitionis,potuit fieri ut panes nouiter cocti,mox illis menſis imponerẽtur,ibidemq́ꝫ nocte illa ſeruarentur operti,donec primo mane ablatis ueteribus ſuper menſam propoſitionis ponerentur calidi.Non aũt hæ menſæ decem,à figura huius menſæ propoſitionis diſcrepant.Nam ſicut una menſa XII panibus onuſta, unitatem totius ſcripturæ,& cõcordiam autoritate apoſtolica unitam deſignat:ita non immerito X menſæ aureæ diuinæ legis & prophetarũ eloquia figurate denuntiant, quæ uel refectionem nobis uerbi dei,quaſi panes propoſitionis offerũt,uel in nobis exempla fidelium quaſi poſitorum in ſe uaſorũ domini claritatẽ & miracula proponunt.Recte autem bis quinæ ſunt menſæ,non ſolum quia legiſlator V uolumina ſcripſit:uerũ etiam quia tota teſtamenti ueteris ſeries,V ætates ſeculi cõplectitur.Geminatur uero numerus menſarũ quinarius,& V à dextris & V à ſiniſtris ponuntur,cum poſt incarnationẽ dominicam eadem ſcriptura,ſiue utriq́ꝫ dei populo,Iudæo ſcilicet & gentili committitur,ſiue euangelicis plena figuris oſtẽditur,quæ quondam dei populo antiquo iuxta literam ſolã intelligẽda putabatur.Cum enim legentes in ſancta ſcriptura,uerbi gratia,Abel coronatum martyrio, Enoch translatum de mundo, Noe pereunte mundo mirabiliter ſaluatum,hoſpitalitatem Loth exterminatis impijs ſublimiter remuneratam, Abrahã merito obedientiæ patrem cũctarum gentium conſtitutum,Ioſeph poſt uenditionẽ merito caſtitatis & innocentię exemplo ſublimatũ: hæc & huiuſmodi innumera nobis exempla uirtutis aſſumimus, quid niſi menſæ quinq́ꝫ aureæ, ſiue uaſa domini, ſeu panes propoſitionis adhuc in ſiniſtris templi, diuinæ literæ iuxta hiſtoricum ſenſum, ianuam nobis & recte uiuendi æterna præmia à domino ſperãda aperiunt:at cum eandem altius intelligentes uel diſpenſationem dominicæ incarnationis,uel alia quælibet ſanctæ eccleſiæ ſacramẽta ſonare uiderimus,quaſi alias V menſas ad portanda uaſa electionis & alimoniã uitæ ſpiritalis in dextris templi inuenimus: quia eadem ipſa uerba ſacræ hiſtoriæ nouũ omnino fulgorẽ nobis ſapientiæ cœleſtis,nouos aperire ſenſus de ueterib. agnoſcimus,in qua profecto figura & candelabra ſunt quina facta in templo.Cum enim dixiſſet ſcriptura regem Salomonem feciſſe menſam,in qua ponerẽtur panes propoſitionis, auream, adiunxit ſequenter,& ait, Et candelabra aurea V ad dexteram,& V ad ſiniſtram cõtra oraculum ex auro puriſſimo,& quaſi lilia flores,& lucernas deſuper aureas)Sicut enim menſæ in typo ſanctæ ſcripturæ recte ponuntur, quia & iuſtitiam eſurientib.panem uerbi miniſtrant,& uaſa ferunt miniſterij cœleſtis,id eſt iuſtorum nobis actus in exemplũ ponunt: ita & aptiſſime per candelabra eadem diuina eloquia figurãtur,uidelicet quia lucem ſapientiæ erran

De decem candelabris XXVI

tibus

tibus proferunt. Hinc etenim psalmista, Lucerna, inquit, pedib. meis, &c. Hinc etiam Salomon ait, Quia mandatum lucerna est, & lex, & lux. Quare aūt V à dextris, & V à sinistris, conueniēter addidit contra oraculū. Oraculum nanq; ubi erat arca, ut sæpe dictū est, aperte designat patriam cœlestē, ubi Christus est in dextera dei sedens, paternorū utiq; cōscius arcanorū: & cādelabra tēpli aurea contra oraculū sunt posita, cum diuina eloquia ad habitationē supernæ ciuitatis aspectant, ut huius agnitionē ac desideriū nostris cordib. infundant: & eos qui originē carnis à terra habent ad appetendā promerēdamq; in cœlis perpetuā mansionē accendant. Sunt autem qui hoc quod de cādelabris dicitur, V ad dexterā, & V ad sinistram, ita putant intelligendū, q V fuerint à dextris illius candelabri quod fecit Moyses in deserto, & V à sinistris, utraq; tamen ad meridianā plagam, in qua candelabrū unum quod fecit Moyses stare præceptū est: quod eodē ordine etiam de mensis X intelligant, quia omnes quidem ad septentrionalē plagam fuerint positæ, sed V ad dexterā Mosaicæ illius mensæ, & V ad læuam. Verū si cōsideres uerba sacræ scripturæ, quib. dicitur, Et candelabra aurea V ad dexterā, & V ad sinistrā contra oraculū: patet ni fallor, q æque utraq; V, oraculū respiciebāt: utpote iuxta utrūq; latus tēpli in longū posita. Nam si omnia cādelabra ad australe latus tēpli in longū posita essent, non dicerētur cōtra oraculū posita, sed potius cōtra aquilonē, siue cōtra mensas, si etiā mensæ ibi stabant: quod dictū est in Exodo de illo uno cādelabro, quod absq; ulla dubietate ad meridiē stabat: Posuit & candelabrū in tabernaculū testimonij è regione mēsæ in parte australi. Itemq; in libro Numerorum, Cum posuerit VII lucernas cōtra eam partē qua candelabrū lucem dabit. Ex utraq; ergo parte tēpli cādelabra, ex utraq; erāt mensæ, quia scriptura diuina ad illustrationē ac refectionē utriq; dei populo condita est, quæ nos in prosperis & aduersis, in tristib. ac lætis euentib. reficere ne deficiamus, & ne cæci remaneamus illustrare cōsueuit. Vasa quoq; misericordiæ sunt superposita: hoc est scriptura in se iustorū opera utrisq; nobis, per quæ in actione iustitiæ & ipsi cōfortemur, pponit. Si aūt quęris quid inter cādelabra & lucernas eorū typice distet, possumus recte intelligere, lucernas esse uiros sanctos, q oleo sancti spūs infusi, & ipsi igne dilectionis ardēt in corde, & pximis lucē sciētię proferūt lingua. Cādelabra aūt quæ has lucernas in sublime tollūt, ut lōge lateq; uideri possint in ecclesia, scripturā esse sacrā, quę sanctorū nobis uirtutes & exēpla sua lectiōe demōstrāt. Cui uidelicet interpretatiōi ānuit sermo dñi, quo dicit de Ioāne, Ille erat lucerna ardēs & lucēs. Possumus etiā ita aptissime dicere, quia lucernę diuina sunt eloquia, iuxta illud psalmistæ, qđ & supra posuimus, Lucerna ped. m. u. t. dñe. Cādelabra aūt lucernarū harū, sancti sūt oēs, qui sua corda & corpora ferēdis dñi mādatis, humili semp intētione supponūt. Quisquis em̄ in nullo ppriā seq curat uolūtatē, sed in omnib. quæ scriptura sancta dicat, attēdit, eiusq; sese subijcere mādatis satagit: quasi cādelabrū domus dei aureū, aureas eius gestat lucernas: qa casta corporis sui mēbra, castas mētis co

 gitationes

gitationes,ad facienda quæ deus iubet,supponere contendit: & hoc tam fixa intentione,quàm candelabrũ necesse est firmiter ad superna erectum,imposi tas sibi lucernas non solum absq; ruina,sed etiã absq; ulla status sui mutatio/ ne seruare. Cum uero dixisset,Et candelabra aurea V ad dexterã,& V ad sini/ stram contra oraculum ex auro purissimo:addidit,Et quasi lilij flores & lucer nas desuper aureas:uidetur iuxta literam,quia suprema pars candelabrorum in modum sit lilij repandi formata:quod in candelabro tabernaculi factũ esse legimus, cuius & stips medius, & calami ex ipso procedentes cum scyphis & sphærulis,lilia scribuntur habuisse plurima. Flores autem lilij,ut sæpe dictum est,amœnitatem semper uirentis terræ uiuẽtium designant,de qua dicit bea/ tus Petrus,Regeneratos nos à domino in spem uiuam,in hæreditatem incor ruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem,conseruatam in cœlis. Et bene lilij flores aurei in cãdelabro sunt facti domus dei,quia scriptura diuina, spretis temporalib.gaudijs,ad appetenda nos bona patriæ cœlestis prouoca re consueuit:& quomodo erectum in altitudine candelabrum,lilij flores & lu cernas habet aureas in capite,ita electi omnes qui in eadẽ scriptura sacra con/ tinentur,erecto ad superna sensu, cœlestia bona à domino quæsisse & perce/ pisse probantur. Fecitq; forcipes aureos,hydrias quoq; & fuscinulas,fialas, & mortariola & thuribula de auro purissimo) Varia uasa quæ ad offerẽda li/ bamina sunt facta,uariæ sunt distinctiones eloquij diuini pro dispari capaci/ tate audientium. Non enim una eademq; omnib.potest conuenire doctrina, ac per hoc diuersa altaris uasa,uel diuersas fidelium personas, uel certe multi/ farias ipsorum actiones,siue cogitationes in famulatum sui conditoris dispo/ sitas accipere debemus. Forcipes namq; ad emendandum altaris ignem fieri debere credendum est. Vnde recte per eos sancti prædicatores designantur, qui ignem in nobis charitatis, quasi in altari dei accẽdere suis exhortationib. solent. Namq; hi uelut gemino dente forcipis ad hunc ignem accendendum titiones in altare componunt,quando consonis utriusq; testamenti nos pagi/ nis instruunt, & eloquia ueritatis in nostro corde,quibus amplius ad æterno/ rum desideria inflãmemur collocant. Fuscinulæ quæ Græce uocãtur creagræ, ad hoc in ministerio altaris habebãtur,ut carnes uictimæ per eas de caldarijs coctæ proferrentur,atq; ad esum eorũ qui his erant reficiendi afferrẽtur:qua/ rum usus æque sanctis prædicatorib.figurate congruit:quorum ministerij est animas fidelium uerbo fidei reficere,& iuxta regulam apostolicæ discretionis rudibus adhuc discipulis rationabile & sine dolo lac doctrinæ simplicis adhi/ bere:perfectiorib.autem solidum cibũ doctrinæ sublimioris ministrare. Qui/ cunq; enim sacramẽta Christi ad eius imitationem suscipere norunt, hi quasi carnibus hostiæ salutaris refecti satiantur. Et quia doctorũ est spiritaliũ,quæ cuiq; personæ mysteria audienda cõmittant,solertissime discernere, recte fu/ scinulas intulit Salomon sacerdotib.in domo domini,quib.carnes hostiarum prout oportuerit componant: & alia quidem hominibus, sed mundis eden/ da offe/

dã offerant:alia uero altaris ignibus consumenda relinquãt: quia sunt in uerbis dei nonnulla quæ nostræ humilitati reuelare,ac epulas nostrę refectioni concedere dignatus est. Sunt item alia tantæ profunditatis quæ sancti spiritus solummodo scientiæ pateãt,nostræ uero capacitatis per omnia mensuram transcendant.Quid enim per fialas, nisi mensura prædicationis accipitur,qua oportet ut exhortationis gratia singulis iuxta capacitatẽ ingenij conferatur. Debet enim hic subtiliter qui docet perspicere, ne plus studeat quàm ab audiente capitur prædicare,debet ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo condescendere, ne dum paruis sublimia, & idcirco nõ profutura loquitur, se magis curet ostendere,quàm auditoribus prodesse.Diximus plenius de mensa & candelabro,& utroq; altari,ac uasis domus domini, in libris quos de factura tabernaculi & habitu sacerdotali scripsimus.Si quis ergo capacitatem nostri sensus ex patrum traditione progenitam,de his scire desiderat,in opere illo requirat.Sequitur. Et cardines ostiorum domus interioris sanctisanctorum,& ostiorum domus templi ex auro erant)Si ostia domus interioris sanctisanctorum, angelica sunt ministeria,quæ nobis de corpore egressis introitum uitæ cœlestis referant, & ostia domus templi doctores sunt sancti,ac sacerdotes,qui instruendo, baptizando,dominici corporis & sanguinis mysteria communicando, prima nobis ecclesiæ præsentis limina pandunt; quid cardines utrorunq; ostiorum, nisi sensus & corda sunt eorundẽ angelorũ,siue sanctorum, quibus immobiliter complexationi ac dilectioni sui conditoris adhærent:ut eo ministeriũ diuinitus sibi delegatum recte cõpleant,quia uoluntati illius cum ministrãt, nunquam oculos auertunt.aperiuntur enim & claudũtur ostia,tempore cõgruo; sed nunq; cardinem templi deserũt:quia & angeli & homines sancti siue in hanc uitã fidei,siue in illã speciei fideles atq; electos suscipiãt,semper animũ in radice dilectionis fixũ tenẽt.Vnde bene idem cardines ex auro esse facti perhibentur,propter uidelicet meritũ propriæ claritatis,uel illius quã habẽt in deum charitatis. Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo domini) Cum rex pacificus noster in die nouissimo omnes electos resurrectionis immortalitate glorificat.Alioquin quamdiu status huius seculi geritur,facit quidẽ opus domus domini Salomon,sed nondũ perfecit: quia corda electorũ dominus ut bona operẽtur,inspirat & adiuuat, nullũ tamen in hac uita dũtaxat cõmorantẽ absq; peccato esse tribuit, nãq; hoc donũ futuræ uitę beatitudini reseruat.Perficit uero omne opus templi sui, & hoc dedicationi aptũ reddit,cũ translatos de hac uita electos suos æternũ perducit ad regnũ.Quod bene significat͛ in eo quod templũ VII annis ædificatũ est; VIII aũt perfectũ ac dedicatũ est.Septẽ nãq; diebus omne hoc opus uoluit, octaua est dies iudicij & resurrectionis futuræ, de q̃ psal. VI & XI attitulati sunt.Cui uidelicet tẽpori,cõuenit apte q̃d sequit͛. Et intulit q̃ sanctificauerat Dauid pater eius argẽtum & aurũ, & uasa reposuit in thesauris domus domini

De cardinib. XXVII

domini.) Argentum namq; ad nitorem eloquentiæ, aurum ad splẽdorem sapientiæ, uasa generaliter ad rationabilem pertinent creaturam. Sanctificatq; Dauid pater Salomonis argentum, cum deus pater eloquentes quosq; gratia sancti spiritus ad loquendum uerbum euangelij confortat: sanctificat aurum, cum naturali ingenio præditos, suo replens spiritu ad consideranda in lege sua mirabilia, illuminat. Sanctificat & uasa, cum omnibus generaliter ecclesiæ filijs eiusdem spiritus gratiam largitur, & illos ad appetenda dona perpetuæ salutis inflammat. Hoc autem argentum, hoc aurum, hæc sanctificata uasa Salomon infert in templum, cum dominus noster peracto uniuersali iudicio, omnes electos, & doctorum uidelicet, & cæterorũ fidelium cœtum, in gaudium regni cœlestis introducit. Reponitq; uasa diuersi generis argentea siue aurea in thesauris domus domini, quãdo eos qui multitudine dulcedinis eius frui meruerint, abscondit in abdito uultus sui à conturbatione hominũ. Apte multi sunt thesauri, in quibus uasa electionis recondantur: sed una domus domini, in qua ijdem sunt facti thesauri: quia & una est ecclesia, in qua omnes continentur electi, quantislibet meritis distent: & una, ac non diuersa est patria illa cœlestis, quæ promittitur omnibus: quamuis sicut stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum: quod utrumq; iudex ipse, ac distributor præmiorum dominus, una sententia demonstrauit, cum ait, In domo patris mei multæ sunt mansiones. Vnam ergo domum domini fecit Salomon, sed multos in ea thesauros ad recipienda uasa diuersi generis, una tamen benedictione sanctificata parauit: quia nimirum una est domus patris, non manufacta, æterna in cœlis, sed multæ in ea mansiones, ad recipiendos omnes timentes se ac diligentes: dominus benedicet pusillos cum maioribus.

De arca in oraculũ illata. XXVIII

Veneruntq; cuncti senes ex Israel ad regem Salomonem in Hierusalem, ut deferrent arcam fœderis domini de ciuitate Dauid, (id est, de Sion) & tulerunt sacerdotes arcam fœderis domini, intuleruntq; eam in locũ suum in oraculum templi, in sanctum sanctorum, subter alas Cherubin: siquidẽ cherubin expandebant alas super locum arcæ, protegebantq; arcam & uectes eius desuper. Cumq; eminerent uectes, apparerentq; summitates eorum foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus. Qui & fuerũt ibi usq; in præsentem diem.) Hoc manifestius in Paralipomenon uolumine scribitur. Vectium, inquit, quib. portabant arcam, quia paululũ longiores erant, capita parebant ante oraculum: si uero quis paululum fuisset foris, eos uidere non poterat. Vbi notandum quia & si capita uectium antecedentibus potius ac diligentius intuentibus parebant ante oraculum, non tamẽ fieri poterat ut ipsa eorum capita ante oraculum eminerent: quia nimirũ necesse erat, ut clauso oraculo & appẽso ante ostia uelo, ipsi quoq; uectes toti cum arca & cherubin abderentur interius: quod fieri non poterat, si prominẽtes ulterius uectes, producẽdis ad claudendũ ostijs locum non darent: quorũ positionẽ uectium scriptura nõ sine causa, sed magni intuitu sacramẽti tã diligẽter expedire curauit.

uit. Constat enim quia domus templi exterior, peregrinantem in terris ecclesiam, sancta autem sanctorũ internam supernæ patriæ felicitatem designant. Item illata in sancta sanctorum arca, assumptam Christi humanitatẽ, & intro uelum regiæ cœlestis inductam: uectes uero quibus eadem arca portabatur, prædicatores uerbi quos ipse mundo innotuit, typice denũtiant. Apparebant enim summitates uectium foris ante oraculũ, non semper, sed cum ostia eiusdem oraculi aperiri contingeret: neq; hæc omnibus, sed eis solũmodo qui propius accedentes, attentius ea quæ intus erant satagebant intueri. Ipsa autem arca qualis & quomodo esset posita, solis eis qui oraculum intrassent, uidere licebat: quia nullus sanctorum in hac uita positus, tametsi multum se in altitudine mentis attollens, sed soli illius patriæ ciues gloriam inibi sui redemptoris planè contuentur. Sunt & uectes cum arca in oraculo reconditi, quia absconditi sunt etiam nunc perfecti quiq; electi, qui nos præcesserũt de mundo, in abdito uultus dei à conturbatione hominum. Quorum tamen summitates uectium nonnũquam aperto oraculo his qui appropiant uisuntur, cum perfectioribus quibusq;, atq; oculum sui cordis tota intentione purificãtibus, diuina gratia aliquid extremum de supernorum ciuium gaudio contemplandum donauerit: quæ nimirum cõtemplatio his qui paulò longius recesserint minime conceditur: quia quanto exterius mente uaga remanent, tanto minus quæ sint interna gaudia uident. Deinde sequitur, In arca autem non est aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Oreb, quando pepigit fœdus dominus cum filijs Israel, cum egrederentur de terra Ægypti.) Quæri potest quomodo dicat hic, quod in arca non esset aliud nisi duæ tabulæ testimonij, cum apostolus Paulus magister gentium in fide & ueritate, Hebræis, idest filijs Israel scribat, dicens, Tabernaculum enim factũ est primum, in quo erat urna aurea habens manna, & uirga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Ecce teste apostolo didicimus, quod & ista ibidem fuerint. Non enim ausus est aliud eis scribere, nisi quod certũ tenebant illi omnia hæc in ipsa arca fuisse: sed non plenius apparet, quãdo intromissa ibidem sint, excepto quod in libro Numeri scriptum est, Protulit Moyses omnes uirgas de conspectu domini ad cunctos filios Israel, uideruntq; & receperũt singuli uirgas suas. Dixitq; dominus ad Moysen, Refer uirgam Aaron in tabernaculum testimonij, ut seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, & quiescant querelæ eorum à me, ne moriantur. Deniq; & de manna in Exodo ita scriptum est, Dixitq; Moyses ad Aaron, Sume uas unum, & mitte ibi man, quantum potest capere gomor, & repone coram domino, ad seruandum in generationes uestras, sicut præcepit dominus Moysi. Posuitq; illud Aaron in tabernaculo ad reseruandum. Erat autem in arca urna aurea, habens manna: quia in homine Christo, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Erat uirga Aaron, quæ excisa denuo floruerat: quia potestas omnis iudicandi penes eum est, cuius iudicium in humilitate passionis uidebatur esse sublatum.

De tabulis lapideis arcæ inclusis XXIX

sublatum. Erant & tabulæ testamēti, quia in illo sunt omnes thesauri sapien/tiæ absconditi. Adhærebant ei uectes quibus portabatur, quia doctores qui quondam laborabāt in uerbo Christi, nunc præsenti uisione gaudent gloriæ Christi. Quod enim unus eorundē dixit, Cupio dissolui & esse cum Christo: de omnibus utiq; sui operis consortibus intelligēdum reliquit.

De nebula in tēplo. XXX

Factum est autem cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domum domini, & non poterant sacerdotes stare propter nebulam. Impleuerat enim gloria domini, domū domini.) Gloria domini intelligitur Christus, cuius fide impletus est uniuersus mundus, De qua gloria cū pro adorato uitulo dominum precaretur Moyses, ut parceret populo peccatori, respondit dominus, Propitius ero illis, uerum tamen uiuo ego & uiuit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra. Et septuagesimus primus psalmus canit, Implebitur gloria eius omnis terra. Vnde & angeli clamabant pastoribus, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uolūtatis. Quod autem nebula impleuit domum dei, & non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam: hæc sententia superbos Iudæorum pontifices ac doctores insinuat, qui dum natiuitatis Christi sacramenta inuestigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium per erroris nebulam perdiderunt. Ita enim eorum mentes infidelitatis caligo repleuit, ut exigētibus proprijs meritis, non agnoscant cultum credulitatis.

De classe Salomo. XXXI

Post perfectū omne opus domini, & longam orationem Salomonis, & diuina ad eum oracula facta, inter cætera refert scriptura; quod classem nauium fecerit rex Salomon in Asion Gaber.) Asion Gaber portus est maris rubri, & fuit tricesimaprima mansio filiorum Israel, quando profecti sunt de Ægypto, ipso etiam post loco classis Iosaphat, ut scriptura testatur, ui tempestatis attrita est. Classes sunt nauigia maris, classis etiam dicta nauiū multitudo. Post hæc iterum refert scriptura, quod uenerint serui Hiram cum seruis Salomonis in eisdem nauibus in Ophir, sumptumq; inde aurū quadringentorum uiginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem in Hierusalem. Ophir unde sicut iam diximus, aurum efferebatur Salomoni, fuit unus de posteris Heber nomine Ophir: ex cuius stirpe uenientes à fluuio Cophene usq; ad regionem Indiæ, quæ uocatur Hieria, eos habitasse refert Iosephus, à quo & regio ipsa tale uocabulum est consequuta. Vnde & Septuaginta interpretes, deriuato uocabulo, non Ophir, sed Ophiram transtulerunt.

De regina Saba. XXXII

Sed & regina Saba audita fama Salomonis, in nomine domini uenit tentare eum in ænigmatibus.) Sicut enim hæc regina uenit à finibus terræ, id est India, ut quidam dicunt, audire sapientiam Salomonis: ita uenit ecclesia post multa secula ad redemptorem & eruditorē suum, ut post stultitiā erroris, doctrinam perciperet ueritatis. Hæc est illa regina de qua ad dominum dicitur, Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato circundata uarietate: id est, diuersarum circundata precioso decore uirtutum. Hæc enim omnium credentium mater est, quæ natos ad mortem regenerat ad salutem, per quam Christus plus re/

stituit

ſtituit in gratia, quàm perijt in natura, & de Adæ tranſgreſſoris genere prolem in adoptionem diuinæ paternitatis aſſumpſit, & de paradiſo exhæredatos cœlo reddidit ciues. Hæc poſt ſynagogam quidem uocata, ſed ante ſynagogam promiſſa, hæc enim iam in primo homine præfigurata eſt. Nam ſicut ex Adæ latere fabricata eſt Eua, ita ex Chriſti corpore & uulnere redempta creuit eccleſia. Ingreſſa regina Saba Hieruſalem, cum multo comitatu & diuitijs, cum camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas precioſas, uenit ad Salomonē, & locuta eſt ei uniuerſa quæ habebat in corde ſuo) Ergo in figura reginę huius eccleſia uenit ex gentibus à finibus terræ, imponens finem cupiditatibus uitijsq́ terrenis, audire ſapientiam Salomonis, id eſt, uiri pacifici domini noſtri Ieſu Chriſti, qui fecit utraq́ unum, ſoluens inimicitias inter deum & hominem in carne ſua: uenit poſt ueteres & profanas ſuperſtitiones audire & diſcere de fidei illuminatione, & iudicio futuro, de animæ immortalitate, de ſpe reſurrectiōis & gloria. Venit ergo in Hieruſalem cum multo comitatu, id eſt, nō iam cum una tantum gente Iudæorum, ſicut prius ſynagoga ſolos habuit Hebræos, ſed totius mundi gentibus diuerſisq́ nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Chriſto, aurum & gemmas precioſas: & hoc camelis portātibus aromata, id eſt, ex gentili populo uenientibus, qui prius fuerant uiciorum fœditate diſtorti, & malorum onere curui, ac peccatorū prauitate deformes: cum his tanquam muneribus regina hæc ingreditur ad pacificum regem Chriſtum, exhibet ſecum fidei aurū, puritatis in ſenſu, precioſas ſplendoris gemmas, morum uidelicet inſignia ornamenta uirtutum. Et locuta eſt ei quæ habebat in corde ſuo, id eſt, aperuit ei cor ſuum, manifeſtauit ei occultam conſcientiam in confeſſione & pœnitudine præcedentium delictorum. Videamus quid agat hæc regina. Videns autem regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauit, & cibos menſæ eius, & holocauſta quæ offerebat in domo domini, non habebat ultra ſpiritum) Quid erat rationis ut præpotēs regina, domum, expenſas, & cibos regios tātopere miraretur. Ergo hoc loco aliqua maiora nos oportet inquirere. Vidit ergo eccleſia ex gentibus congregata ſapientiam Chriſti, id eſt, poſt carnalia inſtituta gentilium, poſt humanam & animalem doctrinam philoſophorum, accepit intellectum ſalutis & uitæ, inſpexit ſpiritualiū mirabilia bonorum, agnouit uirum fabricatorem cœli & terræ, ac potentiſſimum humani generis conditorem. De cuius ſapientia dicitur, Omnia in menſura & numero & pondere conſtituiſti. Vidit & domum quam ædificauerat, id eſt, incarnationē hominis, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vidit & cibos Salomonis, uidelicet illos de quibus dicebat, meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem patris mei. Cibus Chriſti eſt ſalus noſtra, reficitur cœleſtibus epulis, profectibus noſtris. Cibus eius ſumus, dum adquiſiti ab eccleſia in membra eius corpusq́ tranſimus: uel cibus eius altaris ſacramēta cœleſtia,

 de qui-

de quibus dicitur, Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducabit homo. Vidit & holocausta eius, orationem sine dubio supplicationum mysteria, & obstupuit: ibi uidit inæstimabiles diuitias domini sui. Dixitq; ad regem. Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa ueniens uidi oculis meis, & probaui quod media pars nuntiata mihi non fuisset. Maior est sapientia tua & opera, quàm rumor quem audiui) Cum ergo hęc siue ecclesia, siue quæq; anima sancta, cum peruenerit in æternam Hierusalem, id est, uisionem pacis, & ingressa fuerit beatam requiem & gloriam cœlestium promissorum, multo plura & magnificentiora perspiciet, quàm ei sunt in hac uita per sacra eloquia, per prophetas atq; apostolos nuntiata: Nunc enim tanquam in speculo & in ænigmate, tunc autem oculis uidebit, id est, facie ad faciem: Cum inquam una quæq; anima fidelis, & sancta in illo seculo plena bonorum operũ fructibus, diuinis fuerit præsentata conspectibus, exhibens in se, imò se ipsam xenium deo suo proferens, digna cœlo & ualitura cœlum multiplicia munera, gemmas misericordiæ, iusticiæ margaritas, diuersorum ornaméta meritorum, id est, aromata compunctionis, & suaue olentis balsama castitatis: præferens sicut dixi aurum infinitum nimis, id est integrum in se reconsignans pio inæstimabile precium redemptori, spiritualibus cordis & corporis oblationibus placitura, ut possit cœlestium mirabilibus inserta, uocem propheticæ exultationis assumere, Introibo in domum tuam cum holocaustis: tunc beata & illustris anima inter stupendas remuneratoris sui constituta diuitias, ineffabilibus reginæ huius uerbis uti ad deum poterit, dicens: uerus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, maiora sunt opera tua quàm rumor quem audiui: Hoc est dicere. O domine de tribulatióibus meis magna quidẽ sperare pręsumpsi, sed maiorem percepi ueniam manifestam quam cerno, dulcedinis magnitudine cogitationis meæ sensum exuperat remunerationis pręmiũ. Et reuera id quod parat deus diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non attingitur, charitate non capitur, desideria & uota transgreditur, adquiri potest, æstimari non potest. Videbit homo merita sua insuspicabili retributionum largitate succrescere, habebit de perceptione fructũ, non habebit de satietate fastidiũ.

De throno Salomõis & auri copia. XXXIII

Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandẽ, & uestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat VI gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori) Thronus eburneus æterni iudicij potestatem, auro diuinitatis fulgentem, quam dominicus homo â patre accepit, figurã gestasse nõ dubium est. Sex gradus huius throni omnem creaturam uisibilem & inuisibilem quæ sex diebus facta est, & Christo domino à patre subiecta, typice demonstrabãt. Quod autem ipse thronus in posteriore sui parte rotundus esse describitur, hoc proculdubio datur intelligi, quia præsens mundus qui per metas temporum uoluitur, in sua extremitate à domino sit iudicandus.

At ue-

At uero XII leunculi per VI gradus bini ſtantes, ſanctorum apoſtolorum li/niabant poteſtatem, quibus dictum eſt à domino: ſedebitis ſuper XII thro/nos iudicantes XII tribus Iſrael. Poſt aliquãta iterũ refert ſcriptura, quod fecit Salomon, quod tanta eſſet abundantia argenti in Hieruſalem, quanta lapidum) Hæc locutio tropica non propria eſt. Tale eſt hoc quale in Geneſi legimus, ubi dixit deus ad Abraham, Faciam ſemen tuum quaſi puluerem terræ, quod ea locutione dictum eſt, quam Græci uocant hyperbolen, quæ utique tropica non propria eſt, quo tamen modo ut cæteris tropis uti ſo/lere ſcripturam, nullus qui eam didicit ambigit. Iſte autem tropus, id eſt, mo/dus locutionis fit, quando id quod dicitur, lõge eſt minus quàm quod eo di/cto ſignificatur. Quis enim non uideat quàm erat incomparabiliter ampli/or lapidum numerus quàm argenti pondus in ciuitate Hieruſalem. Rex autem Salomon amauit mulieres alienigenas multas, filiam quoq; Pharao/nis, & Moabitidas & Amanitidas, Idumeas & Sidonias & Cetheas de gen/tibus, ſuper quibus dixit dominus filijs Iſrael, non ingrediamini ad eas, neq; de illis ingredientur ad uos. Certiſſime enim auerterent corda ueſtra, ut ſe/quamini deos earum. His itaq; copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amo/re, fueruntq; ei uxores quaſi reginæ ſeptingentæ & cõcubinæ CCC, & auer/terunt mulieres cor eius) Admonendi ſunt quibus hoc ſeculum proſperatur, qui nullis aduerſitatibus huius mundi feriuntur, quod Salomon poſt acce/ptam ſapiẽtiam uſq; ad idololatriam cecidiſſe deſcribitur, quia nihil in hoc mundo priuſquam caderet aduerſitatis habuiſſe memoratur: ſed cõceſſa ſa/pientia eum funditus deſeruit, eo quod eum nulla ſaltẽ minima tribulatio/nis diſciplina cuſtodiuit, niſi poſtquam deum deſeruit, & ſe à deo deſertum eſſe cognouit. Iam uero de cæteris operibus eius quæ dicit, eum uehementer arguit ſcriptura ſancta atq; condemnat, & nihil de pœnitentia eius uel in e/um indulgentia dei omnino commemorat, nec prorſus occurrit quid poſte/riora eius male geſta, quid ſaltẽ in allegoria boni aliquid ſignificet hæc flen/da eius ſubmerſio, niſi forte quis dicat mulieres alienigenas, quarum amore deceptus eſt, ſignificaſſe electas eccleſias de gentibus. Poſſet enim fortaſſe hoc non abſurde intelligi, ſi illæ propter Salomonẽ deſererent deos ſuos, & colerent deum eius: Cum uero ipſe propter illas offendit deum ſuum, & co/luit deos earũ, non eſt quid inde boni conijci poſſit, nec tamẽ nihil arbitran/dum eſt boni aliquid ſignificare potuiſſe, ſed malum. Apparet enim in per/ſona huius Salomonis mira excellẽtia, & ſubuerſio terribilis. Quod igitur in illo diuerſis temporibus extitit prius bonum & poſterius malum, hoc in ec/cleſia in iſto adhuc ſeculo ſimul & uno tempore oſtenditur. Nam bono illi/us bonos eccleſiæ, malo autem illius malos eccleſiæ ſignificatos puto, tanq̃ in unitate areæ, ſic in illo uno homine, bonos in granis, malos in paleis: aut certe in unitate unius ſegetis, bonos in tritico, malos in zizania. Factum eſt

De caſu Salo/monis. XXXIIII

igitur in tempore illo, ut Ieroboam egrederetur Hierusalē, & inueniret eum Ahias Selonites propheta in uia, opertus pallio nouo. Erāt autem duo tantum in agro. Apprehendensq; Ahia pallium suum nouum, quo opertus erat, scidit in XII partes, & ait ad Ieroboam. Tolle tibi X scissuras. Hæc enim dicit dominus deus Israel. Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi X tribus: porrò una tribus remanebit ei propter seruum meum David, & alia tribus propter Hierusalem quam elegi ex omnibus tribubus Israel) Illud uero quod post mortem Salomonis X tribus à templo separatæ sunt, & duæ relictæ, satis indicat, quod de tota ipsa gente Apostolus ait. Reliquiæ per electionem saluæ factæ sunt. Quod uero unitas pallij prophetæ in XII partes scissa est, ex quibus scissuris Ieroboam X accepit, hoc figurasse uidetur, quod concordia ecclesiæ ab hæreticis concissa, ipsi magistri erroris, à quibus unitas diuisa est, plebem deceptam quam suo errore à catholicis diuidunt, tyrannice sibi subditam detinent. Post multa alia refert scriptura & dicit. Reliqua autem uerborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & sapientia eius, ecce uniuersa scripta sunt in libro uerborum Salomonis. In libro uero Paralipomenon, quem græco uocabulo taliter nuncupamus, quē nos latine præteritorum possumus dicere, ita de Salomone scriptum est: Reliqua uero operum Salomonis primorum & nouissimorum scripta sunt in uerbis Nathan prophetæ, & in libris Ahiæ Selonitis, in uisiōe quoq; Addo uidentis contra Ieroboam. Hos libros hodie nusquam, neq; apud ipsos Hebræos inueniri posse asseuerant, sicut nec librum Bellorum domini, cuius in libro Numerorum mētio est, neq; librum Iustorum, neq; carmina Salomonis, neq; disputationes eius sapiētissimas, de lignorum natura herbarumq; omnium, itemq; iumentorum, uolucrum, reptilium & piscium: uel quod iam ex libro dierum protulimus, ubi dicit: Reliqua uero opera Salomonis priorum & nouissimorum scripta sunt in uerbis Nathan prophetæ, & in libris Ahiæ Selonitis, in uisione quoq; Addo uidentis contra Ieroboam filiū Nabath: & multa huiusmodi uolumina, quæ scriptura quidē probat, sed hodie constat non esse. Vastata namq; à Chaldæis Iudæa, etiā bibliotheca antiquitus cōgregata inter alias prouinciæ opes hostili igne cōsumpta est, ex qua pauci qui nunc in sancta scriptura continentur libri, postmodū Esdræ pontificis & prophetæ sunt industria restaurati.

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI

FINIS.

DIVI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI COMMENTARIORVM IN LIBROS regum, ad Veranium & Salonium fratres episcopos, Liber quartus.



POST diuisionem regni Israel inter Roboam & Ieroboam, postquã recessit Israel à domo Dauid, sequitur scriptura & dicit. Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod reuersus esset Ieroboam, miserunt & uocauerunt eum, congregatoque cœtu constituerunt eum regem super Israel. Non est itaque dubitandũ uoluntati dei qui in cœlo & in terra omnia quæcunque uoluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas uolũtates nõ posse resistere, quo minus faciat ipse quod uult, quandoquidem etiam de ipsis hominum uoluntatibus, quod uult, & cum uult facit: nisi forte, ut ex multis ista de Ieroboam sufficiant, quãdo deus uoluit ei propter peccatum Salomonis regnum dare, sic erat in potestate Israelitatum subdere se memorato regi, siue non subdere, quod utique in eorum positum erat uoluntate, ut etiam deo ualerent resistere: qui tamen hoc nisi per ipsorum hominum uoluntates facere noluit, sine dubio habens humanorum quò placeret animorum inclinandorum potestatẽ. Sic ergo cum uoluerit reges in terra deus cõstituere, magis habet in potestate uoluntates hominum, quàm ipsi suas uolũtates. Deinde refert scriptura, quod uenit propheta de Iuda in Bethel, ad Ieroboam regẽ sacrilegum, obiurgare eum propter sacrilegia idolorum, quæ fecerat, unde auertit filios Israel à domino deo patrum suorũ: iussusque est ibi non manducare neque bibere: qui pro eo quod

De propheta à pseudopropheta decepto. I

deceptus

deceptus est à pseudopropheta,& inobediens fuit uerbo domini, à leone in uia interemptus est. Equidem homo cuiuslibet sit meriti, si cõditoris sui protectione deseratur, quæ nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur, sed utiliter plerunq; subtrahitur, ut sibimetipsi homo, quia sine illa nihil sit ostendatur. Manus ergo domini aliquãdo nos nobis per aduersa insinuat, quæ etiã nesciẽtes nos in prosperis portat: qua destituti dum cadere incipimus,& tamen adiuti retinemur, & doctrina fit quod in lapsu trepidauimus,& custodia quod in statu permaneamus. Nemo ergo se alicuius uirtutis æstimet, etiam cum quid fortiter poterit, quia si diuina protectio deserat, ibi repente eneruiter obruitur, ubi se ualenter stare gloriatur. Quid est enim quod uir dei contra altare Samariæ ad prophetandum directus, præsente rege autoritatem liberæ uocis exercuit, eiusdemq; regis extensum brachium in rigorem mirabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit, cuius in domum inuitatus comedere noluit, quia ne in uia comederet prohibitionis dominicæ præcepta seruauit, qui tamen in eadem uia & seductus comedit, & pastus interijt. Qua in re quid subtili consideratione colligimus, quid ut ita dixerim formidandum suspicamus, nisi quod forsitan apud semetipsum tacitus, & pro præceptis dominicis regem se contempsisse gloriatus, ab interna mox soliditate quassatus est, & inde ei in opere culpa subripuit, unde gloria in corde subrepsit: unde prophetæ falsis uerbis deceptus disceret, quia nequaquã propriæ fortitudinis fuerit, quod ad regis uerba restitisset. Bene autem ex eius ore mortis sententiam accepit, cuius seductiõe uitæ pręcepto deuiauit, ut inde pœnam ueraciter assumeret, unde culpam negligenter admisisset. Sequitur. Hæc dicit dominus. Quia inobediens fuisti ori domini,& non custodisti mandatum, quod præcepit tibi dominus deus tuus, & reuersus es, & comedisti panem & bibisti aquã in loco, in quo præcepi tibi ne comederes panem neq; biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchro patrum tuorum, & reliqua.) Quãti hæc pœna pendenda sit, si secundum euangeliũ cogitemus, ubi post corpus occisum, nihil metuendum esse didicimus, ne membra exanimata patiãtur, nec pœna dicenda est. Si autem humanum erga suam carnem consideremus affectũ, potuit inde terreri uel contristari uiuus, quod sensurus nõ erat mortuus: & hæc erat pœna, quoniã dolebat animus id de suo corpore futurum, quamuis cum fieret non doleret. Hactenus enim uoluit dominus seruum suum plectere, qui non sua contumacia spreuerat præceptum implere, sed aliena decipiente fallacia obedire se credidit, quando non obediuit. Neq; enim putandum est, ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartareum eius deinde anima raperetur, quandoquidẽ ipsum eius corpus idem leo qui occiderat custodiuit, iumento etiã quo uehebatur illæso,& simul cum illa immani fera intrepida præsentia ad domini sui funus astante: quo mi-

rabili signo apparet hominē dei coercitū potius temporaliter usq; ad mortē, quā punitum esse post mortē. De qua re Apostolus cum propter quorundā offensas cōmemorasset infirmitates quoq; multorū: si enim inquit nos ipsos iudicaremus, à domino non iudicaremur, cum iudicamur autem à domino, corripimur, ne cum hoc mūdo damnemur. Eum sanè ipse qui deceperat, in monumento proprio satis honorifice sepeliuit, seq; sepeliendum iuxta eius ossa curauit: ita sperans parci posse ossibus suis cum ueniret tempus, quādo secundum illius hominis dei prophetiam, Iosias rex Iuda in illa terra multorum eruit ossa mortuorum, eisdemq; ossibus tum sacrilega altaria, quæ sculptilibus constituta fuerant, funestauit: pepercit quippe illi monumento, ubi iacebat propheta, qui ante annos amplius quàm CCC ipsa prædixerat, & propter ipsum nec illius qui eum seduxerat, sepultura uiolata est. Affectu namque illo quo nemo unquam carnem suam odio habet, prouiderat cadaueri suo qui occiderat mendacio animam suam. ex hoc igitur quod quisq; carnem suam naturaliter diligit, & illi pœna fuit addiscere, nō eum futurum in sepulchro patrum suorum: & huic cura prospicere, ut parceretur ossibus suis, si iuxta eum iaceret, cuius sepulchrum nemo uiolaret. Hunc affectū Christi martyres certantes pro ueritate uicere: nec mirum quod contempserunt quod non fuerant peracta morte sensuri, qui nō potuerunt eis quos uiuentes sentiebant cruciatibus uinci. poterat utique deus, qui leonem prophetæ corpus, quod ipse occiderat, ulterius non permisit attingere, & fecit de peremptore custodem: poterat inquam à suorum interfectis corporibus canes quibus fuerant proiecta prohibere: poterat & ipsorum hominum innumerabilibus modis terrere sæuiciam, ne cadauera incendere, nec in aëra dispergere auderent: sed hoc quoque experimentum multiplici uarietati tentationum deesse non debuit, ne fortitudo confessionis quæ immanitati persecutionis pro corporis salute non cederet, sepulchri honore trepidaret, postremo ne fides resurrectionis consumptionem corporum formidaret. Debuerunt ergo & ista permitti, ut etiam post hæc tāti horroris exempla martyres in Christi confessione feruentes, & huius quoque testes fierent ueritatis, in qua didicerant eos, à quibus sua corpora interficerentur, postea nihil habere quod facerent, quàm quicquid mortuis corporibus facerent: utique nihil facerent, quando in carne omni uita carente, nec aliquid sentire posset qui inde migrauit, nec aliquid inde perdere qui creauit. Prætermissa multa libri regum historia ad Achab sceleratissimi regis & sacrilegæ uxoris eius Iezabel tempora cursim temdimus, ut de uirtutibus sanctorum prophetarum Heliæ atque Helisei saltem tenuiter aliquid disseramus. Interea refert scriptura quod Achab filius Zambri mortuo patre super Israel regnauerit in Samaria uiginti & duobus annis, feceritq; malū in conspectu domini super omnes qui fuerunt ante eum: nec satis fuit ei ut

ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabath,insuper duxit uxorem filiam Etabahel regis Sidoniorum,abijtq; & seruiuit Baal in templo quod ædificauerat in Samaria,& plătauit illic lucum,& addidit Achab in opere suo irritare dominum deum Israel super omnes reges Israel,qui fuerunt ante eum. Lucus locus est siluestris spissus,dictus ab eo quod parum luceat,multis uestitus arboribus,locus amœnus,ubi multæ arbores sunt:dictus lucus per antiphrasin,quia caret luce præ nimia nemorum umbra,densis arboribus septus,solis lucem declinans.Potest & à conlucendo crebris luminibus dici,quę ibi propter religionem gentilium cultumq; fiebant, Solebant autem pagani in lucis dæmones consulere , & responsa ab illis non signis sed uocibus accipiebant,unde & à fando fana sunt appellati.Cum enim in diebus Helię scisso iam in duas partes populo Iudæorum,Achab per successionem regni Israelitarum apicem obtineret,Iezabel externæ fœminam gentis & prophanæ mentis duxit uxorem,cuius cura & instantia idolorum profecerat cultus, ut ad sacrilegũ ritum rex pariter traduceretur & populus. Grassabatur in iniuriam dei diabolus antiquæ artifex tyrannidis,multimodam dei religionẽ destruere satagens:grassabatur in corde mulieris,cuius instinctu diuina lex & eius sacerdotium spernebatur,occidebantur prophetæ,& altaria tollebantur:stupebant omnia , & tantum commissum facinus perhorrebant : mundum dico in omnibus tabescentem,quod membris speciebusq; suis nomen creatoris asscriberet error humanus . Sed quæris forte ut tibi probet,utrum peccantibus hominibus metuant elementa.Audi Hieremiam magnificum prophetarum,diuino ore clamantem.Expauit,inquit,cœlum in istum,& terra commota est,quia duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ,& foderunt sibi lacus contritos,qui non possunt aquam continere.Turbata ergo erant elementa , turbata non officio sed affectũ , quod unicum,ut dixi,nomen deitatis hominum eis error imponeret, famulatúmque debitum conditori cæca deuotione præberet . Erat hic Helias medius in tanto discrimine animarum, erat medius in ipso mundi naufragio:quod non aquarũ inundatio , sed pœnalis & cæca diaboli æmulatio inuexerat orbi terrarum. solus enim hic , latentibus cæteris uelut lucerna ardens offerebat se his quos uidebat profunde noctis mersos caligine , nunc monendo, nunc arguendo,nunc curando,nunc etiam comminando:sed nec lumen cæco,nec surdo prodest inferri sermonem . Crescebat indies singulos error infaustus,& omnem creaturam mortis umbra contexerat, ad omnem formã, omnemq; speciem inclinabatur miserum hominum genus : Quid enim de sole , luna ac stellis , de terra ac mari , principalibus dicam & clarissimis elementis ? cunctis animãtibus,uolatilibus,quadrupedibus,& reptilibus, muscis quoq; & uermibus,æterni & singularis dei prosternebatur imago. Quẽadmodũ igit̃ ferret illa mens tota pietatis & fidei,Heliæ dico prophetæ, &

tantam ruinam tantamq́ perniciem animarum: iacebat populi illius corpus regio morbo constrictum, & uelut exanime iam & sine sensu discerptis membris, & per rupes & scopulos, per nemora lucosq́ iactatis, nullas in se diuinæ imaginis reliquias possidebat. Nullum huic poculum, nullum medicamenti genus proderat, si daretur, quia membra si quid apponeret propellebant: ferro erat utendum, uulnus cruore sanandũ, cauterio uiolento curandum: consequenter tamen ut creuerat, à capite, inquit Esaias, usque ad pedes. In diebus autem regni Achab ędificauit Achiel de Bethel Hiericho: in Abiram primogenito suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius) Patet sensus, quia cum præfatæ conditor urbis fundamenta illius ponere inciperet, primogenitus eius qui uocabatur Abiram mortuus est: & cum urbe ædificata, portas munire tentaret, nouissimum filiorum suorum cognomento Segub amisit. Quod ita futurum Iosue cum eam destructam anathemati traderet, imprecando prædixit. Maledictus inquiens uir coram domino, qui suscitauerit & ędificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius. Quia uero Achiel uiuens deo, Bethel interpretatur domus dei, Achiel de Bethel destructa à Iosue, atq; anathematizata Iericho mœnia restaurat, cum quis eorum qui in ecclesia habitum religionis assumpserãt, ad agenda scelera, quæ ei dominus Iesus in die baptismatis donauerat redit, quasq́ ipse anathematizauerat diaboli pompas, luxuriose uiuendo repetit, & errorum dogmata, uel gentilium fabulas ueritati ecclesiasticæ, qua imbutus est, anteponit, quasi de Bethel egrediens, ruinas Iericho resuscitat: meritoq́ talis coram domino maledictus, & primum filiorum in fundatione nefariæ ciuitatis, & nouissimum in portarum positione amittit: quia & fundamenta fidei, à quibus bona ædificia inchoare, & claustra bonæ actionis, quibus perfici debuerat, perdidit. Hæc & allegorico sensu exposui, ut reminiscaris quia uerus sit Apostoli sermo, qui dicit, quia omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos. Sequitur, Dixitq́ Helias Tespites de habitatoribus Galaad ad Achab. Viuit dominus deus Israel, in cuius cõspectu sto) Sciẽdũ est quod duobus modis in cõspectu domini uenimus, uno quidẽ quo hic peccata nostra subtiliter perpendẽtes, in eius nos cõspectu punimus, & flendo diiudicamus: alio uero modo in cõspectu domini uenimus, cũ in extremo iudicio ante tribunal eius assistimus. Nã quoties cõditoris nostri potentiã ad sensum reducimus, toties in cõspectu illius stamus. Vnde recte nũc per uirũ dei Heliam dicitur. Viuit dominus deus Israel, in cuius cõspectu sto. Qui iam nõ ut solebat lenis ac mitis, sed immitis ac seuerus accedit ad ipsum corporis caput, accedit ad regẽ Achab, & dicit ei. Viuit dominus deus uirtutum, deus Israel, in cuius cõspectu sto, si fuerit pluuia aut ros in his annis, nisi in oris mei sermõe) Magna uis ꝓphetică dignitatis,

huma

humanus sermo est, diuinus effectus. In terris homo loquitur, & imperio eius cœlestes obediunt potestates. Commouit omnem creaturam unus sermo prophetæ, & miro modo humi sonans aëra cœlumq; cōcussit, turbatus est humani ministerij ordo, & à seculis instituta elementorū harmonia contabuit, cum sicco humidum, calido frigidum negaretur: sed elementa pœnā suam læta suscipiunt, dum modo uel in salute hominum, uel in honore proficiat conditoris. Iubetur Helias secedere ac latere, ab auibus cœlitus ei cibus ministratur, siccatus deinde torrens, pocula deficiunt. Procedens enim uelut ignis sententia ipsa quodammodo terræ uitalia penetrauit, confestimq; omnia arefecit: nulla agrorum gratia, pratorum nulla uenustas, ripæ quoq; uirgultis quondam florentibus prætextę squalore turpissimo fatiscebant, cum fontes aquis, flumina cursibus priuarentur. migrat inde propheta, & ex dei præcepto transit ad præparata cellaria, totiusq; afflictionis oblitus de se cogitat solo: non commouetur humanitate, nec ulla flectitur pietate: non respicit ad ipsa iura naturæ, nō paruulum sub sicco ubere matris exhalantem: senum ac iuuenum profunda inediæ nece defessa, non iam corpora sed cadauera, turbido præterit uultu: non exoranti colono, non supplicanti respondet agricolæ, sed crudelior, feris & beluis effectus immanior, omne humanū despicit genus. Et factum est uerbum domini ad Heliam dicens. Recede hinc & uade contra orientem, & abscondere in torrente Charith, quæ est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruisq; præcepi, ut pascant te ibi. Abijt ergo & fecit iuxta uerbum domini. Corui quoq; deferebant ei panes & carnes mane, similiter panes & carnes uespere, & bibit de torrente. Post dies autem siccatus est torrens, non enim pluerat super terram) Helias igitur recte dei filio assimulatus est, cui & autoritas & nomen ueridice cōgruit. Helias enim deus meus interpretatur, quod nomen substantialiter dei filio inest, autoritatē uidelicet sibi faciēdi quod uelit originaliter uendicans, quoniā omnia quæ sunt patris, sua quoq; testatus esse est. Tespites autē, captiuans siue conuertens interpretatur. De domino enim psalmista ait, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Et iterum. Conuerte domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro. Ac ne forsitan moueat quempiam, q; Heliam dei comparauerim filio, legat epistolam ad Hebræos, & id Apostolum protulisse reperiet, dicens quodammodo: hic Melchisedech assimilatus filio dei, permanet pontifex in æternum, sine patre, inquit, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum habens, neque finem: quod utiq; nulli homini, nisi dei filio soli congruere poterit, qui ex quo uel unde originem trahat, scriptura nequaquam indicat. Idipsum etiam & de Helia scriptura testatur, cum subito nomē illius introducit, & ex qua tribu uel familia ortus sit minime profertur. Torrens Charith, qui interpretatur diuisio, siue concisio, Iudaico populo congruere certissimū est. Qui populus torrenti merito cōparatur, quia quod ad obseruādum per legē ei diuinitus fuerat traditū, opportuno

tuno tempore incarnationis dominicæ finiendũ erat, quando umbræ & imagines legis expletæ noscuntur. Pascitur deinde Helias tempore famis à coruis, mane afferẽtibus panem, & ad uesperam carnes: & Manichei intelligũt in illis libris Christum, cui quodammodo salutem nostram esurienti confitentur peccatores, fidei primitias nunc habentes, in fine autem uelut ad uesperam seculi etiam carnis resurrectionem percipiẽtes. Potest & per panem & carnem, quæ mane & uespere coruos Heliæ attulisse scriptura pronũtiat, intelligi in panibus opera pietatis, quæ in peregrinis & indigentibus sibi testatus est dominus dari: in carnibus autem castigatio intelligenda est corporis siue cruciatus, quos pro diuino amore uel cultu omnes sancti sibi intulisse uel à persecutoribus pertulisse mane & uespere, id est, sub ueteri testamento & euangelica prædicatione leguntur. Postquam uero exsiccatus est torrens, dicitur Heliæ à domino. Surge & uade in Sareptam Sydoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri, ut pascat te. Surrexit & abijt in Sareptam. Cumq́ue uenisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier uidua, colligens ligna, & uocauit eam, dixitq́ue ei. Da mihi pauxillum aquę in uase, ut bibam. Cumq́ue illa pergeret ut afferret, clamauit post tergũ eius dicens. Affer mihi & buccellam panis obsecro in manu tua. Quæ respondit. Viuit dominus & uiuit anima tua, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & pauxillũ olei in lecytho. En colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illud mihi & filio meo ut comedamus & moriamur. Ad quã Helias ait. Noli timere, sed uade & fac sicut dixisti. Veruntamẽ mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me. Tibi autem & filio tuo, facies postea. Hæc autem dicit dominus deus Israel. Hydria farinæ nõ deficiet, nec lecythus olei minuetur, usq́ue ad diem qua daturus est dominus pluuiam super faciẽ terræ. Quæ abijt & fecit iuxta uerbum Heliæ, & comedit ipse & illa & filius eius. Et ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei nõ est imminutus, iuxta uerbum domini quod locutus fuerat in manu Heliæ) Vt interim omittam quid intrinsecus lateat sacramenti, quod de terra Israel ad Sidoniam mittitur regionem, unde caput omnium & causa malorum Iezabel orta fuit: illud breuiter perstringatur, quod pergit ad uiduam penuria laborantẽ, & in ipso uitæ mortisq́ue confinio destitutam, quæ exierat ut ligna colligeret, & tam sibi quàm paruulis extremam uictus substantiam procuraret. At Helias uidet mulierem inediæ squalore confectam, non mouetur, non cunctatur, non reuocat pedem, sed ingerit se & immergit, fitq́ue ei ipse grauior fame, & dicit ad eam. Da mihi parum aquę ut bibam. O si tibi beate homo uidua respõdisset, & iusta te uoce repellens diceret, quid petis à me, quod omnibus abstulisti, quid quæris à muliere quod mundo negasti? hæc omnium necessitas & penuria, oris tui autoritate prolata est: ego à te refici, ego à te debeo satiari, & tu uenis ad me? Sed nullo horum mulier, nec corde nec ore usa sermone est, mox deuota

mens

mens & euangelicæ non indigna mercedis, frigidæ aquæ poculum prophetæ defert sitienti. Addit quoq; Helias & dicit, Affer mihi etiam buccellam panis in manu. At illa, Viuit dominus deus tuus si est mihi panis, nisi manus plena farinæ in hydria. En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, & manducabimus, & moriemur. Sed quid ad hæc Helias? Confide, inquit, & intra, & fac secundum uerbum tuum: sed prius fac mihi inde subcinericium, tibi autẽ & filio tuo facies postea. O' magnificũ mulieris animum, ó immutabile mentis propositum, ó uere uenerabile per secula factum: poculum petit, mox offert: & quod regibus iam forsitan deerat, quod diuites non habebant, hoc uidua ex abundantia erogabat. Pascit pane, quæ cum filio die postero erat moritura, nec habere se negat, sed fatetur simpliciter, nec metuit prodere ueritatẽ: & non tam postulãti, q̃ quodãmodo exigenti, omnem causam pandit in medium: quantitatẽ uictus, & numerũ personarum, ut non tam hospitem uelit habere, q̃ iudicem. Non dixit, Non possum facere quod iubes: nec ait, considera uiduam, non tam de se, quàm de filio tabescentẽ: considera paruulorum chorum, nec me illis auferas, nec matrem patiaris tanta orbatam prole derelinqui. Non ait, Tu es utiq; qui orbem terræ famis sententia condemnasti, te omne hominum genus irascente deperijt: deinde transijsti patriam, terram penè omnem gentis tuæ & prouinciam peragrasti, nusq̃ tibi diues occurrit, nusquam locuples obuiauit, qui esurientem susciperet, & reficeret ieiunantem: ego tibi sola occurri, aut ego iam sola remansi, quæ præter penuriæ egestatem etiam mole opprimor filiorum: quæ tãtam natorum plebem plaga ipsa patior grauiorem: exeo domum non ut spicas colligam, sed ligna: non ut alimoniã deferam, sed fomenta: & quos à fame liberare non possum, conor saltem à frigore defensare. Certe quia tam crudelis es, ut non consideres quid iniungas, illo sanè contentus esse debueras, ut nobiscum ederes pariter quod remansit: uel prius sineres paruulos satiari, tunc tibi quod remãsit, offerri: sed singulariter tibi præcipis fieri cibos: & nõ solum singulariter, sed te uis primitus satiari: nulla te miserorum cõuenit cura, nec te ipsa naturæ religio interpellat, paruulis & lactentibus extremum de ipsis dentibus auferre uis cibum. Sed illa horũ nihil aut egit aut dixit, quinimmo intrepida currit, & imperata consummat. Erat in illo tempore spectaculum angelis hominibusq; gratissimum, quod inter gentes terra prophana, uidua mulier iam tunc esset filia Abrahæ, multo hospitalior ipso parente, multo humanior fidei genitore. Erat quidem Abraham hospitalis, & erga peregrinos magno detentus affectu: sed erat uere opulens, erat diues, aderat ei posse quod uellet: quia nec minor erat animus quàm facultas, nec census animum superabat. Hæc uero quæ non solum marito, sed & facultatibus uiduata, nõ solum natalibus tenuis, sed & temporis malo constricta, ad tantam deuenerat paupertatem, ut in domo nihil, nisi quod augeret famem, possidere potuerit, scilicet paruulorũ turbam, ipsa inedia grauiorẽ: sed in his omnibus malis, liberalis animus deuotus per-

ſtabat: pergit, & ut præceperat homo dei fideliter complet, ſuſcipit prophe/
tam & recipit. Quo ergo ore quibus uocibus hanc fœminam laudẽ nihil mi/
hi dignum occurrit, quod tãtæ uirtutis animum ualeat exæquare. Conſidero
enim quemadmodum ſtudio humanitatis omnem uim deſpexit naturalis af
fectus, non de ſe, non de paruulis: nihil eam à mentis propoſito reuocauerit,
nec proprij ſexus infirmitas, nec materna erga paruulos uiſcera pietatis: occi/
dit in ſe naturæ officia hoſpitalitatis intuitu, & effectus eſt deuotus erga ho/
ſpitem matris animus, filiorum crudele ſepulchrum. Quantum enim ſpectat
ad illam mortui ſunt paruuli, & genitricis quodammodo manibus ſtrangu/
lati atq; ſepulti: quantum autem ad dei miſericordiam, non mortui uere ſunt,
nec fame uel inedia conſumpti, quia ſoli cæteris pereuntibus conualuerunt.
Confeſtim ſiquidem & propheta fidem diuina mercede remunerans, ait,
Viuit dominus, quia hydria farinæ tuæ non deficiet, & uas olei non imminue
tur. Facta eſt igitur manus uiduæ perenne torcular, & mola iugiter fundens.
Et quid dico mulieris manũ? In uerbo prophetæ, tota domus uiduæ piorum
cellarium facta eſt. non ibi ros, non pluuia, non ueris aura, nõ calidi ſoles, non
nymbus neceſſarius, non aratrum, non agricola, non colonus, ſed omnia & in
omnibus ſermo prophetæ affatim uiduæ miniſtrabat. Sciendũ tamen quod
in Septuaginta intrepretib. hæc uidua non unum tantũ filium, ſed plures ha/
buiſſe narratur. Mulier uero quæ fuiſſe ſcribitur in Sarepta, eccleſiæ typum ge
ſtabat, quæ à ſuo diutius conditore deſerta populum rectæ fidei neſciuit: ege/
na ſtipe nutriebat, id eſt uerbum fructus experte docebat, donec aduenirer
ſermo propheticus, qui exſiccato uellere Iſraelis, utpote clauſa ianua cœli fa/
me periclitabatur in Iudæa: quæ ob hoc dicta eſt uidua, quia utpote genti/
lis necdum fuerat diuino cultui mãcipata, nec ſacram legis habebat notitiam.
Sarepta autem ciuitas, quæ interpretatur incendium ſiue tribulatio panis uel
panis anguſtia, præſens accipiendus eſt mundus, in quo incendium peſſimæ
conflagrat cupiditatis, ubi rebus ſuperuacuis acquirendis quaſi aucupandi cu
ra impendebatur, ubi dire ſatis incendium paniſq; ſpiritalis antea fiebat an/
guſtia. Ergo ut de Helia ſcriptura pronuntiat, dominus noſter ad nationum
eccleſiam ueniens, & eam extra portam ciuitatis patrio uidelicet in errore
reperiens, non eam ſignis & mirabilibus maximiſq; portentis, ut Iſraeli fe/
cerat, ad confeſſionem ſui nominis prouocauit, ſed uerbo eidem tantum/
modo imperauit, dicens, Da mihi pauxillum aquæ in uaſe ut bibam, & buc/
cellam panis in manu tua. Aqua enim in uaſe fides accipienda eſt cordis, qua
creditur ad iuſtitiam: buccella uero panis in manu, miſericordiæ intelligẽdum
eſt opus: fides quoq; & opera uinculo ſibi quodam indiſſolubili connectun/
tur. Vbi enim una defuerit, altera penitus non ſtabit: quia ut Iacobus apoſto
lus ait, Fides ſine operibus mortua eſt: & opera ſine fide inania redduntur &
friuola. Eccleſia ergo in typo illius mulieris uiduæ, iuxta domini præceptum
ad afferendũ eidem aquam pergendo, quodammodo fidem ſui cordis præ/
paratam

paratam ostendit domino. Panem sibi confitetur necdum fuisse, condigna ui delicet opera diuinæ culturæ: sed modicũ se testatur habere farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. Pugillum farinæ in hydria, naturalem indicat legem, quæ diuina largitione humanæ naturæ insita est, per quam discernitur bonum uel malum, & ut quod sibi quisquã fieri non uult, ipse non faciat. Paululum olei in lecytho, rationabilis accipiendus est intellectus, per quem creatura intelligit creatorem, & pijs operibus eidem placere studet: quæ idcirco se dixit parum habere, quia necdum per baptismi sacramẽtum spiritalis gratiæ acceperat donũ. Ibi tñ farina oleũq; ore ꝓphetico benedicit̃, id est fructus & hilaritas charitatis, siue gratia corporis dominici, & chrismatis unctio, indefectiuo uerbi cœlestis munere fœcundatur: cuius hactenus in uasis oleum gaudij spiritalis & benedictionis farina non deficit, cæteris quæ non credunt gentibus inopiæ panis diuini, miseriæ & uenatui deditis inutili. Quod autem ait, duo se ligna colligere, ex quibus modicum farinæ coqueret quod habebat, & cum filijs suis comedens, mortis iam exitium expectaret, ita accipiendum est. In duobus lignis, non solum ligni nomine, sed etiam numero lignorum crucis mysterium præsignabat, per quam sibi & filijs suis, id est populo, qui Christo fuerat crediturus, panem uitæ perpetuæ dari credebat, præteritis peccatis per lauacrum baptismi mori, illo uidelicet genere quo dominus in euangelio prædicauit, Beati qui non uiderunt & crediderunt. Per panem uero subcinericium, paruulum illud iam præfigurabat, quod in exordio fidei obseruare gentes per epistolam Apostoli decreuisse leguntur: ut ab idololatriæ se tantummodo cultu, & à fornicatione ac suffocatis abstinerent. Hæc enim quæ rudibus adhuc & feris hominibus, ab apostolis consilio sapienti indulta sunt, ad comparationem euãgelicæ prædicationis, ad quam postmodum introducti sunt, ualde exigua & parua fuisse noscuntur. Quod autem ait, mihi primitus facito, hoc uoluit ad omnes credentes ex gentibus, ut non suis meritis ascriberent, quod obdurato spretoq; Israele ipsi saluati sunt: sed sibi, qui ut crederent eisdem misericors extitit: quia, ut dictum est ad Cain, nõ recte offert, qui non recte diuidit: hoc est, qui non deo, sed sibi omne bonum quod habet, ascribit. Siue aliter: Panis subcinericius, historia accipienda est legis, quæ spiritalem intelligentiam opertam continebat in litera. Per fermentatum uero panem, euangelij intelligenda est prædicatio: quia testamento ueteri, tanquam fermentum inserta sunt testimonia. Quod autem pascentem se pauit Helias, ita intelligendum est: uniuersi enim fideles licet sua fide & pijs operibus deum pascant: tamen ut hoc habeant, ab illo eisdem condonatur: omne enim datum optimum, ut scriptum est, & omne donum perfectum, desursum est, à luminum patre descendens. Diuina enim, metuentibus deum, nequaquam penitus minuentur. Rursum aliter: per panem subcinericium, quem sibi uerus Helias dominus noster, nationum ecclesiam pręcipit exhibere: quid aliud accipiendum est, nisi pœnitentium satisfactio, idipsum psalmographo sub

persona pœnitentis canente cum dicit, quia cinerem sicut panem manducabam,& potum meum cum fletu temperabam. His enim satisfactionibus dominus se pasci hortatur. Factum est autem post uerba hęc: ægrotauit filius mulieris matris familiæ, & erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus, Quæ dixit ad Heliam: Quid mihi & tibi uir dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. Cui ait Helias: Da mihi filiū tuum. Quem tollens de sinu eius portauit in cœnaculo quo manebat, & posuit eum super lectum suum, expanditq́ꝫ se & mensus est super puerum tribus uicibus, & conuersa est anima pueri ad eum & reuixit, depositumq́ꝫ de cœnaculo tradidit matri suæ & ait: Ecce filius tuus uiuit. Quæ respondit: In isto cognoui quoniam uir dei es tu, & uerbum domini in ore tuo uerum est.) Quod enim dicit filium mulieris nimio languore detentum & ad mortem usque fuisse perductum, hanc intelligentiam habere dignoscitur. Post præceptum enim quis & diuinam cognitionem seu euangelicam prædicationem percepto bonorum operum gustu, pro cōmissis facinoribus & præteritis erroribus, ut grauissima langueat afflictione necesse est: quia ut scriptum est, qui addit scientiam, addit etiam pœnitentię salubrem dolorem, castigationeq́ꝫ assidua uim facit perditioni suæ, ut euadere ualeat perpetuam mortem, & uitam consequatur beatitudinis sempiternæ: hoc ipsum Paulo apostolo confirmante cum dicit se non esse dignū uocari apostolum, eo quod persecutus fuerit ecclesiam dei & expugnauerit illā. In descensu enim fontis, originali peccato ac pristinis uicijs per baptismum qui Christo crediderit moritur. Vnde sublatus ad sacri altaris cœnaculum per unctionē chrismatis & inuocationem patris ac filij & spiritus sancti, cōmunionemq́ꝫ corporis & sanguinis domini uiuificari manifestum est: & tunc ab omni ecclesia cuius mater pueri figuram gerebat, illa procedit confessio, quia dominus Iesus uerus dei filius est, & in gremio patris uel dextera sit constitutus, rursumq́ꝫ depositus de altari, cœtui fidelium tanquam matri redditur uiuus. Siue aliter. Postquam enim fidelis quis pristinis uitijs per pœnitentiæ satisfactionē sua mortificauerit membra, sublatus à terrenis cupiditatibus & carnalibus desiderijs per meditationem legis ac prophetarum, euangelicaq́ꝫ prædicatione uiuificari meruerit, templumq́ꝫ fuerit diuinum effectus: illuc intentionem animi contendit dirigere ubi Christus est ad patris dexteram sedens, & in carne adhuc habitans, conuersationem iam nititur habere in cœlis. Sed quantumlibet homo quis ad deum mentem contendat erigere, & per excessum quendam theoriæ gaudeat in supernis Christo domino adhærere: corporis tamē compellente natura cui anima iuncta, ut de supernis ad inferiora rursum retrahatur, necesse est, Quod autem dicit Heliam se super puerum expandisse, tribusq́ꝫ uicibus mensum fuisse, hoc ipsum explesse dominum manifestum est, cum per legem & prophetarum uaticinia, seu propria prædicatione salutem protulit gentium populo. Superiora iam figuraliter exposita uerba Heliæ de

De uita filio uiduæ reddita V

liæ de uidua, multo aliter apud antiquas translationes reperiuntur, in quibus Helias domino supplicat, dicens, O domine testis huius uiduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tu male fecisti ut occideres filium eius. Nihil in hoc dicto moueret animum si uera pronunciatio seruaretur: uox est enim non credentis, quod tam male faceret deus cum ea uidua, quæ tam pie prophetam susceperat, eo præsertim tempore quo ibi erat cui protulerat illa totũ uictum suum tam exiguum in tam magna & summa inopia. Ita ergo dictum est, ac si diceret: O domine testis huius uiduæ cum qua ego inhabito apud ipsam, tu ne male fecisti ut occideres filium eius: ut sub intelligatur quod utique dominus testis cordis illius mulieris uidebat quanta esset pietas, unde etiam Heliam ipse ad eam miserit, nec malefaciendi causa mortificauerat filium eius, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, qua tantum prophetam & tunc uiuentibus & posteris commendaret: sicut dicit dominus nõ ad mortem mortuũ fuisse Lazarum, sed ut glorificetur deus in filio suo. & hoc consequentia probant: ex ipsa enim fiducia quã habuit, credidit Helias non adhoc illud contigisse, ut acerbo luctu hospita eius affligeretur: sed potius ad hoc factũ, ut deus magnificentius ostenderet uiduæ qualem dei famulum suscepisset. Sequitur scriptura & dicit, Et insufflauit puero ter, & inuocauit dominum & dixit, Domine deus meus reuertatur nunc anima pueri huius in eum. Et factum est sic.) Hæc ergo deprecatio qua petijt Helias tam breuiter & tam fideliter ut resurgat puer, satis indicat quo affectu dicta sint superiora: & ipsa mulier ostendit ad hoc mortificatum fuisse filium suum ad quod Helias factum fuisse præsumpserat, cum illa uerba non confirmando sed renuendo renunciauerat. Cum enim uiuum recepisset filium suum, ait: Ecce cognoui quoniam homo dei es tu, & uerbum dei in ore tuo certissimum. Multa sunt autem in scripturis quæ nisi illo modo pronuntientur in contrariam sententiam recidunt. sicuti est: quis accusabit aduersus electos dei. Deus qui iustificat. si quasi confirmans respondeas, uides quanta peruersitas oriatur. Sic ergo pronunciandum est ac si diceret: Deus ne qui iustificat? ut subaudiatur, non utique. ac per hoc apertam puto esse illam sententiam Heliæ, quam non seruata pronunciatio faciebat obscuram. Factum est, inquit, uerbum domini ad Heliam: Vade & ostende te Achab, ut dem pluuiam super faciem terræ. Qui perrexit & occurrit ei in itinere Abdias dispensator regis Achab, & ait, Vade nuncia Achab, adest Helias. Qui abijt, & nunciauit ei. Venitq; in occursum eius, & ait ad Heliam. Tu ne es qui conturbas Israel? ad quem Helias: Non turbaui, inquit, Israel, sed tu & domus patris tui qui dereliquistis mandatum domini & secuti estis Baalim. Veruntamen mitte nũc & congrega ad me uniuersum Israel in montem Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasq; lucorum qui comedunt de mensa Iezabel. Misit itaq; Achab ad omnes filios Israel, & congregauit eos in montem Carmeli. Accedens autem Helias, ad omnem populum ait: Vsque quo clau-

De igne à deo misso VI

dicatis in duas partes. Si dominus est deus, sequimini eum: sin autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus uerbum. Ad quos rursum ait Helias, Ego remansi propheta domini solus: prophetæ autem Baalim quadringenti quinquaginta uiri sunt. Dentur ergo nobis duo boues, & illi eligant bouem unum,& in frusta cædentes ponant supra ligna, ignem quoque non supponant: ego quoque faciam bouem alterum & imponam supra ligna,ignemq; non supponam, Inuocent illi nomina deorum suorum, & ego inuocabo nomen domini,& qui exaudierit per ignem ipse sit deus. Responditq; omnis populus & ait, Optima propositio. Dixitq; Helias prophetis Baal, Eligite bouem unum, & facite uos primum quia plures estis. Et fecerunt ita, inuocabantq; Baal de mane usque ad meridiem, & non erat uox, nec qui responderit, incidebantq; se ritu suo cultris & lanceolis donec perfunderentur sanguine. Cumque transisset meridies & tempus adesset iam quo sacrificium offerri deberet, dixit Helias ad populum: Accedite ad me. Et accedente ad se populo,curauit altare domini,quod destructum fuerat, & tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, & ædificauit altare domino in nomine domini: fecitq; aquæ ductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & imposuit ligna, diuisitq; bouem & posuit supra ligna & ait, Implete quatuor hydrias aquæ, & effundite supra holocaustum & ligna. Quod cum fecissent, idipsum etiam secundo & tertio fieri iussit,repletaq; est fossa aquæductus aqua.) Vide quur etiam Helias hoc faciat, & diligenter aduerte. Habebat beatus Helias & pro gratia propheticæ dignitatis & pro diuini cultus studio scientiam omnium quæ in templis dæmonum agebantur. Nouerat inter cætera inepta potius quàm commenta callidam etiam huiuscemodi compositam fraudem, qua facilius irretirentur animæ miserorum, ut aræ eorum non simpliciter ante delubri pedes statuantur, sed pendens crepido supra qua structæ sunt, rogus subterranea fornice baiuletur: ad quas ex aduersa parte concaui parietis, occulto aditu descendatur, ac per patulas cauernas præparatos ignes doli minister sacrificij tempore clandestinis officijs subministret: quo attonitus miserorum animus, dum nullas desuper uidet adhibitas flammas,hostiamq; cernit ex improuiso comburi, per inuisibilem potestatem ignes cœlo credat esse delatos. Ne ergo hoc incredulæ mentes, de diuinis suspicarentur altaribus, uallum quod fieri præceperat aqua iussit impleri: ut si qua esset sub altario proderet fouea, uel descendens deorsum aqua latentes utique ignes extingueret. Nec sufficit semel rigasse locum, tertio id agitur: sed nec hoc est contentus propheta: Ipsa altaris ligna præcepit inundari, ut omnis fraudis suspicione submota, diuinæ potestatis esse uirtutem, nec rex nec populi nec ipsi dubitarent sacerdotes. Cumque iam tempus esset, ut holocaustum offerretur, accessit Helias ad altare & exclamauit dicens: Domine deus exaudi me hodie in igne, sicut exaudisti me in aqua, ut cognoscat populus hic quoniam

tu es dominus deus Israel, & ego seruus tuus, & propter te feci opera hæc: Exaudi me domine exaudi in igne, ut cognoscat populus hic quia tu es domine deus, & conuertisti cor populi huius retrorsum. Ecce, inquit, clamante eo, cecidit ignis de cœlo & deuorauit holocaustum ac ligna & lapides, puluerem quoque & aquã quæ erat in fossa aquæductus lambens. Quod cum uidisset omnis populus, cecidit in faciem suam & ait, Dominus, ipse est deus. Dixitq; Helias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat de illis. Quos apprehendentes, continuo duxit eos Helias ad torrentem Cyson, & ibi eos trucidari præcepit.) Clementissimus enim deus qui non obliuiscitur misereri, nec in ira continet miserationes suas, rursum ad Israelem filium suum dignatus est mittere, ut eisdem pluuiam euangelicæ prædicationis tribueret. Tres anni famis, scientiam sanctæ trinitatis populo Iudæorum uel in toto mundo defuisse præsignabant. Achab uero qui interpretatur frater patris, à quo etiam dei prophetas interfectos scriptura pronunciat, principum sacerdotum typum gerebat. Quod autem dicit Achab ad Heliam, Tu ne es ille qui conturbas Israel? hoc ipsum & de domino principes sacerdotum dixisse Pilato leguntur. Inuenimus hunc subuertentem siue conturbantem gentem nostram. Hij enim, ut dominus legitur eis exprobrasse, filij fuere patris sui diaboli, cuius opera facere studuerũt, ut uitæ suæ autorem crucifigendum impie proclamarent. Vos enim, ait dominus, de diabolo patre estis, & opera patris uestri facere uultis. Ille enim homicida est & ab initio mendax, & in ueritate nunquam stetit. Abdias autem cuius nomen interpretatur seruus domini, qui etiam eo tempore quo Achab prophetas domini præceperat trucidari, centum prophetas in speluncis celauerat, uictum eisdem cotidie administrans, illos quodammodo præsignabat qui ex principibus Iudæorum occulte discipuli domini erant, hoc est Nicodemus, & cæteri quos euangelista pronunciat. Prophetæ Baal & prophetæ lucorum, scribarum & pharisæorum typum gerebant, qui sacræ legis negligentes præcepta, populum proprijs traditionibus peruerterant, quibus uæ futurum dominus legitur prædixisse. Carmelus uero mons, qui interpretatur scientia circumcisionis, Christi figurabat ecclesiam, in qua non præputij circuncisio, sed qualiter circuncisio accipienda sit, scire præcipimur. Per circuncisionem enim præputij carnis libidinem atq; luxuriam sciendum est abscindendam: per cordis uero circuncisionẽ immundæ cogitationes intelligendæ sunt amputandæ. Bouem uero quem Helias mactauit in holocaustum atque in frusta concidit, uetus intelligendum est testamentum, ex quo ad cõfutandas Iudaicas superstitiones, ea quæ de illo scripta fuerũt in multis locis excussisse euangelica prædicatione manifestatur, cum dixisse scribitur: Non legistis quod dictum est, lapidem quẽ reprobauerũt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et intellexerũt, inquit, scribæ & pharisæi quod de illis diceret, & cætera quæ in euãgelio reperiũtur. Bouẽ uero alterũ à falsis prophe-

tis electum, populum significat reprobum per phariseos atque scribas seu hæreticos non deo sed diabolo autori eorum ab ipsis oblatum. transacti meridiei tempus, uergentis mundi significabat cursum, in cuius uesperum dominus Iesus Christus in uerum sacrificium quod ipse est seipsum patri ad deponenda humani generis delicta obtulit. Altare quod ab Helia curatum est & ex duodecim lapidibus restauratum, sanctæ trinitatis accipienda est confessio, quæ in Iudæis olim uel in hereticis destructa fuerat, à domino per apostolos in ecclesia reformata est. Ligna uero quæ super altare composita fuerant, crucis patibulum præsignabant, in qua dominicum affixum est corpus, quod uerum & acceptabile deo patri fuit holocaustum. Quatuor hydriæ repletæ aqua, totidem numero signabant euangelia. In quibus baptismi sacramentum, quod in nomine sanctæ trinitatis datur, habetur præceptum. Ignis quoque qui lapides altaris & quæ super eum fuerãt, nec non & aquam uorauit, sanctum spiritum præsignabat, qui non solum apostolos sed cunctos credentes per lauacrum regenerationis in dei sacrificium absumit & sanctificat. Falsi uero prophetæ qui ab Helia interfecti leguntur, aduersariæ accipiendæ sunt potestates, de quibus dominum in cruce pronunciat apostolus triumphasse: siue illi accipiendi sunt, qui aduersus dominũ impie proclamasse leguntur, Sanguis eius super nos & super filios nostros, quod utique temporibus Vespasiani & Titi expletum, qui legit Iosephum historiographum, nõ ambigit ambiguum. Deinde sequitur historia & dicit: Ascendit Helias in uertice Carmeli & pronus in terram posuit faciem suam inter genua, & exorabat dominum, dixitq́ ad puerum suum, Ascende & circũspice contra mare, septem uicibus. Quod quum fecisset septima uice, apparuit nubecula parua quasi hominis uestigium ascendens de mare, & subito contenebrati sunt cœli & facta est pluuia grandis.) Quod enim Helias exorat ut pluuia tribuatur à deo, hoc quoque dominum fecisse pro suis discipulis, & qui per uerbum illorum credituri erant, euangelista pronunciat. Ministrũ Heliæ cui iussum est contemplari contra mare, omnium prophetarum qui ante aduentum Saluatoris fuerunt typum gestasse non dubium est: quibus in gratia spiritus sancti per omne tempus quod ante aduentum Saluatoris præcessit, incarnationem illius præstolare datum est. Nubecula parua quæ uelut uestigium hominis ascendisse de mari describitur: dominus ac redemptor noster accipiendus est. Sicut enim uestigium extremum corporis membrum est, ita quoque dominus Iesus humilis & paruus ac puer in mundo existere uoluit, qui nos à peccato mundaret. Cœli contenebrati sunt, quia sancti prædicatores diuini uerbi, occultis sacramẽtis sunt repleti. Pluuia facta est magna, quia euãgelicus hymber per Apostolorũ prædicationẽ totius mundi rigauit fines. Currus Achab quẽ Helias accinctus lumbis præibat, diaboli accipiẽda potestas est, cui à domino dicitur, Vade retro satanas, non tentabis dominũ deũ. In tantũ enim diaboli potestas in aduentu domini inanis existit & infirma, ut nec

ut nec in porcos intrandi haberet licentiam, nisi ei fuisset permissum. Nunciata sunt, inquit, Iezabel cuncta quæ gesserat Helias: & quemadmodum prophetas occidisset Baal, quæ statim nunciũ misit ad eum dicens: Hæc mihi faciant dij & hæc addant, nisi hac hora cras ponam animam tuam sicut animam unius ex illis. Quod audiens Helias timuit ualde, & abijt quocunque eum ferebat uoluntas, uenitq; in Bersabeæ Iudæ, & illic reliquit puerũ suum: ipse autem perrexit in desertum uiam unius diei. Cumque uenisset illuc & sedisset subter unam iuniperum ait, Sufficit mihi domine, tolle animã meam.) Sancti uiri qui subleuante spiritu ad summa rapiuntur, quamdiu in hac uita sunt, ne aliqua elatione superbiant quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere ualeant quantum uolunt, sed ne extollantur superbia, fit in eis quædam mensura uirtutum. Hinc est quod Helias dum tot uirtutibus in alta profecisset, quadã mensura suspensus est, dum Iezabel postmodum quamuis reginã tamen mulierculam fugit. Perpendo quippe hunc miræ uirtutis uirum ignem de cœlo trahere, & duos quinquagenarios uiros cum suis omnibus petitione subita concremare, uerbo cœlos claudere, uerbo ad pluuias aperire, suscitantem mortuos, uentura quæq; præuidentem, & ecce rursus animo occurrit quo pauore ante unam mulierculam fugit. Considera uirum timore perculsum de manu domini mortem petere nec accipere, de manu mulieris mortem fugiendo uitare. Quærebat enim mortem dum fugeret dicens, sufficit mihi tolle animam meam, neq; enim melior sum quàm patres mei. Vnde ergo sic potens, ut tot illas uirtutes faciat: unde sic infirmus, ut ita fœminam pertimescat: nisi quia dispensatoris superni nutu mensura occulti libraminis appenduntur, ut ipsi sancti homines dei & multum ualeant per potentiam dei: & rursum quadam mensura moderati sint per infirmitatem suam. In illis uirtutibus Helias quid de deo acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat, agnoscebat. Illa potẽtia uirtus fuit, ista infirmitas custos uirtutis. In illis uirtutibus ostendebat quid acceperat, infirmitatibus hoc quod acceperat custodiebat. In miraculis monstrabatur Helias, in infirmitatibus seruabatur. Post hæc sequit. Proiecitq; se, & dormiuit in umbra iuniperi. Et ecce angelus domini tetigit eum, dixitq; illi, Surge & comede. Respexitq; & uidit ad caput suũ subcinericium panem, & uas aquæ. Comeditq; & bibit & rursum obdormiuit, tetigitq; eum secundo angelus & dixit, Surge & comede, grandis enim tibi restat uia. Consurgensq; comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius XL diebus & XL noctib. usq; ad montem dei Oreb. Quid igitur Iezabel? Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, nisi posuero animam tuam. Et audiuit Helias, & fugit uiam dierum XL. O' uiolẽtiam uerbi, ó formidinis eminẽtiam. Audito mulieris uerbo fugit Helias: & fugit non una, non duabus, non tribus diebus: sed ingressus est in eo sermo mulieris, & quid ageret nesciebat, tanti itineris spacio metu exagitante iactatus, uelut cum secundo flatibus cursu impulsæ nauis arborem uiolentus ex aduerso turbo

De odio Iezabel in Heliam VII

ſo turbo corripuit impetumcꝫ reflexit: ita prophetæ animum uirtutum uelis nauigantem mulieris perculit ſermo, totamcꝫ eius nauem per omnes formidinum fluctus turbato rectore iactauit. Quid ergo tu Helia? Tu enim es, qui uerbo clauſeras cœlum & fraudaueras imbres, qui mandaueras aeri & diuinos ignes eduxeras, qui falſos ſalubriter interfici iuſſeras ſacerdotes, qui conſtanter in faciem exprobraueras regi, quod ipſe & domus ſua populum euerteret Iſrael: qui dixeras, Viuit dominus, ſi erit pluuia aut ros, niſi in uerbo oris mei: qui domum uiduæ ſpicarum aream & torcular feceras olei: qui omnibus imperaueras elementis, ſermonem nunc audiens meretricis expauiſti, & una muliercula profugum fecit timoriſcꝫ captiuum. O' ſtupendam rem, uide duos iſtos, Petrum & Heliam, magnificos uiros & cæteris clariores, uelut duas ciuitatum arces in ſublime porrectas, à mulieribus fatigari: Petrus timet puellam, Iezabel deterret Heliam. Et quia eiuſdem culpæ uitio utercꝫ ſubiacuit, amborum naturalis infirmitas unum ſortita eſt proditorem. Fugit ergo Helias uiam quadraginta dierum. Vbi eſt zeli tui ardor incontinens, ubi conſtantiæ flamma, ubi autoritas libertatis cum dicebas, Viuit dominus ſi erit pluuia ſuper terram: uel quum regem cominus arguebas, & quum uitrices flammas cœlitus deponebas, talia tantacꝫ mirabilia faciens, unum adulteræ non tuliſti ſermonem? Sed conſidera quid in his oſtendatur, quod ſcilicet homini quãdiu domini gratia cooperaẗ omnia ſecunda ſunt, omnia fidà: elementa ſeruiunt, & principes proſternuntur, reges adorant, populi uenerãtur: ſi uero ſe ſemel perfectionis uel correptionis cauſa, ſupernum ab homine ſuſpendat auxilium, confeſtim fragilitas naturæ monſtratur: mox inſurgunt quæ uidebantur eſſe ſubiecta, quæ prius ut dominum metuebant incipiunt eſſe terrori. Iezabel quæ interpretatur fluxus uanus, ſynagogæ geſtauit typum, quæ uanis ſuperſtitionibus ſeruiens, in euangelica prædicatione credere noluit, & autorem uitæ perſequens, ſicut & Iezabel Heliã, extinguere magis quàm credere maluit. Puer Heliæ qui in Bethſabeæ, quæ interpretaẗ puteus iuramenti, dimiſſus eſt, ſacerdotale accipiendum eſt miniſterium, quod templo domini in Hieruſalem cultui diuino exhibeatur. Deſertum uero ad quod uia unius diei Helias legitur perueniſſe, & ſub arbore iuniperi quieuiſſe, uniuerſus accipiendus eſt mundus, qui propter dęmonum culturam in maligno fuerat poſitus, ad quem dominus relicta Iudæa per prædicatores ſuos tranſire dignatus eſt: & ibi quaſi dormit, dum per fidem in corde fidelium requieſcit. Arbor uero iuniperi agreſtis atcꝫ inculta eccleſiam præſignabat ex gentibus, quæ ſacrarum ſcripturarum nequaquã fuerat exculta præceptis: ad quam Iſraeliticum regnum tranſiturũ dñm prædixiſſe euãgeliſta pronũtiat: auferetur à uobis regnum, inqt Iudæis, & dabitur genti faciẽti uoluntatẽ dei. Via uero unius diei, quã Helias egiſſe legiẗ, unitas intelligẽda eſt trinitatis, q̃ꝫ euangelica prædicatio cũctis nationib. introduxit. Panis ſubcinericius & uas aquæ, qd aliud indicant, niſi gentiũ pœnitentiã & lachrymarũ effuſionẽ, quib. dñs ualde reficiẗ?

Poſt

Post hæc peruenit, inquit, Helias ad montem dei Oreb, & mansit in spelunca, & ecce sermo domini ad eũ, dixitq; illi. Quid hic agis Helia? At ille respondit, Zelo zelatus sum pro domino deo exercituũ, quia dereliquerunt pactum domini filij Israel. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderũt gladio, & derelictus sum ego solus, & quęrunt animam meam, ut auferant eam. Fugiens ergo Helias uenit ad quendam locum & obdormiuit ibi, & uenit ad eum dominus, dominus scilicet ad seruum, & ait. Quid tu hic Helia? Velut notans eum timoris & fugæ. Quid tu, inquit, Helia?) Putas ne fugisti, & furor te unius mulierculæ profugum fecit? Vbi est illa constantia ubi libertas? Disce de cætero non tibi ipsi confidere, nec propriæ cum res secundo cursu ferantur imputare uirtuti. Verum tamen Helias respondet & dicit, aliud quidem mente retinens, aliud ore depromens. Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Hoc est, hæc cogitatio quæ tãtum prophetam de ipso deiecit fastigio meritorum, communem hominem demonstrauit. Deniq; mox eum corripit sermo diuinus. Non ita, inquit, est Helia, falleris, & humanæ cogitationis laqueis irretiris: non idcirco fugisti, nec te ideo quod solus esses regina perterruit. Nec enim tu es tantũmodo qui non adoraueris Baal: sunt mihi fideles famuli, sunt multi amici, & septem milium uirorum electissima uirtus, quam nec error humanus inclinare, nec inanis gloriæ cogitatio potuit eleuare. Hi omnes non curuauerunt genua ante Baal, sed instabili poplite ad instar cœlestis exercitus me semper adorant. Fugisti ergo nõ quod in te solo furor adulteræ desæuiret, sed quod tibi hanc elationem genuerit magnitudo uirtutum, ut tam arrogantem ferres de genere humano sententiã: erasq; paulisper mea gratia deserẽdus: & nisi tibi tantæ elationis frena laxassem, lapsum incurreres grauiorem, & disceres bona facta non tuæ uirtuti ascribere, sed diuinæ. Non igitur alia ex causa fugisti, nisi quod secedẽte mea gratia mulier te minaci sermone deterruit. Consideremus ergo quãta uis fuerit in adulteræ sermone, gratia recedẽte, quanta formidinis magnitudo, quod quadraginta diebus oberrabat fugiens Helias per inuia & deserta, tantiq; ieiunij metu cõsternatus nõ sentit esuriẽ. Quid agis Helia? Vbi est, ut sæpe iam memini, illa omnibus stupenda fiducia, ubi os illud metuendum, ubi lingua terribilis alternis imperans elementis? Sed hoc tibi, ut dixi, constabat gratia ministrante. Vide ergo quemadmodum leuitate culpæ permittitur iacere tantus propheta, ut emendatus elationis uitio atq; correptus, integro uestiatur moderationis & clementiæ indumento. Iam ergo eruditi sumus & docti in Petro, atque Helia, quemadmodum eos dominus nostri causa circunscribi delicto, quemadmodum illos fidei pietatisq; signiferos, & generis humani columnas permiserit metu dominante quassari: ut populorum esset exemplum, à deo sibi non peccandi gratiam minime condonatam, ne quum ipsi à culpis essent ac uitijs alieni, peccatoribus diri existerent & crudeles: sed quum fortè quis fuerit delicto præuentus, non statim

De aduentu Heliæ ad Oreb. VIII

ſtatim abijciant,non condemnent iacentis affectum, ſed impartiantur uiſce/ra charitatis,porrigant manum,& erigant lapſum,ſpem ei diuinæ clementiæ promittentes,ſicq; ſe exemplo illorum commendent magiſtrorum. Hæc autem idcirco diximus, non iuſtos culpando,ſed peccatores ad ſpem erigendos protulimus:& primo quidē uirtutes eorum extulimus,nunc culpas intulimus, ut & iuſtis formam cautelæ,& peccatoribus ſalutis portum fideliſſimū monſtraremus. Merito quærit quomodo licite ſacrificauerit Helias extra tēplum dei,quando & ignem de cœlo impetrauit,& prophetas dæmoniorum conuicit.Quod mihi non uidetur alia ratione defendi, quàm illa qua defenditur & Abrahæ factum, quando filium deo iuſſus uoluit immolare. Cum enim iubet ille qui legem cōſtituit aliquid fieri quod in lege prohibuit, iuſſio ipſa pro lege habetur,quoniam autor eſt legis.Nō enim deeſſe poſſent miracula alia, præter ſacrificium,quibus ſuperarentur & conuincerētur prophetæ lucorum, ſed ſpiritus dei qui fuerat in Helia, quicquid in hac re fecit, contra legem eſſe non poteſt,quia dator eſt legis. Alia adhuc inſuper quæſtio animum pulſat, quare interpellauerit Helias deū,quod Iſrael derelicto deo prophetas occiderit,& eius deſtruxerit altaria,cum in lege olim iuſſum fuiſſet,nō eos poſſe amplius habere altare quàm unum, primum in tabernaculo, deinde in templo: niſi quod liquide datur intelligi, quod poſtquàm decem tribus à domo Dauid exciſæ, & à templo & Hieruſalem ſunt ſeparatæ, illi qui in decē tribubus, quæ uocabatur Effraim,cultores diuini nominis erant:& ut putandum eſt,ad illa altaria recurrebant,quæ olim erexerant patriarchæ Abraham,Iſaac,& Iacob,locis competentibus, ubi eis deus apparuerat: ad hæc altaria cultores diuini nominis,& ſi non ad ſacrificandum,tamen ad adorādum deum patrum ſuorum recurrebant.Hæc uidentes Iſraelitæ ſacrilegi,& idolorum cultores,deſtruebant,ut nec ibi locus eſſet,ubi ueri adoratores dominum precarentur: & hoc eſt, ut in ſuperiori parte iam præmiſſum eſt, quod inſtaurauerit Helias altare domini,quod deſtructum fuerat. Dixitq; dominus ad Heliam,Egredere,& ſta in monte coràm domino.Et ecce dominus tranſijt,& ſpiritus grandis & fortis, ſubuertens montes, & conterens petras ante dominum.) Quod autem ait,ante dominum ſpiritum præceſſiſſe grandem,& cętera:eius aduentum ſignificat ad corda credentium,quibuſdam occultis & ineffabilib. ſignis eſſe profuturum.Nam quod ait,Subuertens montes,& conterens petras ante dominum:hoc eſt quod Apoſtolus ait,Arma militiæ noſtræ non carnalia, ſed ſpiritalia,ad deſtructionem munitionū, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam dei. Non in ſpiritu dominus,& poſt ſpiritū commotio:non in commotione dominus,& poſt commotionē ignis:non in igne dominus,& poſt ignem ſibilus auræ tenuis.) Spiritus ante dominum euertit montes,& conterit petras:quia pauor qui ex aduentu eius ingruit, & altitudinem cordis noſtri deijcit, & duriciam liquefacit. Sed ſpiritui commotionis & ignis, deum non ineſſe dicit: in ſibilo uero tenuis auræ non negat: quia nimi/

tum

rum mens cũ in contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfecte perspicere ualet deus nõ est. Cũ uero subtiliter aliquid cõspicit, hoc quod de incõprehensibili substãtia ęternitatis audit, quasi sibilũ auræ tenuis percipit: sed sibilũ auræ tenuis pcipimus, cũ saporẽ incircũscriptæ ueritatis cõtemplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo uerũ est quod deũ cognoscimus, cũ plene nos aliqd de illo cognoscere nõ posse sentimus. Vnde bene illic subditur. Quod cũ audisset Helias, operuit uultũ suũ pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ) Quid est quod propheta cum uocẽ domini loquentis secum audit, in speluncæ suæ ostio stat & faciem uelat: nisi quia dum contemplationis gratia uox supernæ intelligentiæ fit in mente, totus homo iam intra speluncam non est, quia animum carnis cura non possidet: sed stat in ostio, quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed iam quia in ostio speluncæ consistit, & uerba dei in aure cordis percipit, necesse est ut faciem uelet: quia dum per supernam gratiã ad altiora intelligentiæ ducimur, quanto sublimius leuamur, tãto semper per humilitatem nosmetipsos intellectu nostro premere debemus, ne conemur plus sapere, sed sapere ad sobrietatem: ne dum nimis inuisibilia discutimus, aberremus, ne in illa natura incorporea corporei luminis aliquid quæramus. aurem enim intendere, & faciem operire, est uocem interioris substantię audire per mentem, & tamen ab omni specie corporea oculos cordis auertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quæ ubiq; tota, & ubiq; incircumscripta est. Et dominus dixit ad Heliam. Vade reuertere in uiam tuam per desertum in Damascum. Cumq; perueneris, Azahel regem super Syriam, & Iehu filium Namsi unges regem super Israel: & Heliseũ filiũ Saphat, qui est de Abelmaula, unges prophetam pro te. & erit quicunq; fugerit gladium Azahel, occidet eum Iehu: & qui fugerit gladiũ Iehu, interficiet eum Heliseus) Abelmaula urbs est una de præcipuis urbibus Salomonis: est autem nunc uicus, ut in locorũ libro legimus, in Aulone x ab Scythopoli miliari distans cõtra australem plagam, & nunc dicitur Bethulia. Damascus enim qui interpretatur sanguinem bibens siue propinans, totius mundi typum gerebat, in quo habitatores illius immolando dæmonibus filios suos, sanguinem bibere ac propinare non est ambiguum: sanguis enim pro peccato ac morte ponitur in scripturis, quam nõ solum sibi infelices uidebantur inferre, sed & suis imitatoribus propinabant. Azahel uero qui interpretatur factura dei, uniuersarum gentium continebat figuram, cui ualde congruit interpretatio, dei factura. Opus enim dei fuit, ut obdurato Israele, & signis atq; uirtutibus domini penitus nequaquam credente, nationum populi cum omni mentis alacritate crederent in crucifixum. Siue aliter factura dei, id est, imago dei per fidem Christi gentibus restituta, nulli poterit esse dubium. Nam ut in Iacob & Esau figura præcesserat, maioris quõdam filij primatus ac benedictio ad iuniorem fratrem translata: ita etiam in istis, Azahele uidelicet & Iehu, diuina dispen-

De reditu Heliæ Damascũ. IX

ſatione intelligimus geri,ut gentium populus qui fuerat iunior per Azahe-lem præponatur in perſona Iehu primogenito,ut ſcriptum eſt,Iſraeli: & iuxta ſcripturæ teſtimonium, populus qui erat in capite, propter præuaricationes aſſiduas, & piaculum quod intulit domino, factus in cauda eſt: translatóque ab eodem regno, ut dominus fuerat proteſtatus, datum eſt gentium populo dei uoluntatem uidelicet exequenti. Sed quia diuinæ pietatis eſt omnes homines ſaluos fieri, ſicuti Eſau, licet iuniori fratri ſubiectum nequaquam benedictione priuauit,ita quoque & hic Heliæ à deo prędicitur,relinquam mihi ſeptem milia uirorum,quorum genua non ſunt curuata ante Baal.Relinquam enim ad futurum tempus pertinere intelligi uoluit,quod in domini aduentu conſtat fuiſſe expletum, de illis pro certo extitiſſe intelligendum, qui ex omni Iſraele per Apoſtolos Chriſti fidem ſuſceperunt,& ſeptiformi gratia ſpiritus ſancti uncti ſunt. Iehu uero cuius uocabulum interpretatur ipſe uel eſt,filius uidelicet Namſi, qui interpretatur attrectans uel palpans, Apoſtolorum ſpiritaliter præfigurabat perſonam. Illis quippe horum nominum ualde congruit interpretatio.Beati enim apoſtoli ſemper pro certo ſunt, qui pro trinitatis confeſſione & ueridica prædicatione deo & uniuerſo orbi perpetuo uiuunt. Ioannes quoq; in epiſtola ſua,cum de uerbo uitæ, hoc eſt dei filio, qui carnem aſſumpſit ſcriberet, ita effatus eſt,Quem noſtris oculis uidimus, & auribus noſtris audiuimus,& manus noſtræ tractauerunt.Quod autem dicitur Heliæ,Heliſeũ filium Saphat de Abelmaula unges prophetã pro te, ita intelligendum eſt,Heliſeus enim interpretatur dei mei ſalus,Saphat autẽ iudicans,Abelmaula uero luctus parturiens,Dei enim filius qui eſt uera fideliũ ſalus, cui omne iudicium tradidit pater,in quo iudicio impijs & incredulis erit luctus parturiẽs,gehennæ uidelicet cruciatus,quia in ſubſtantiæ ſuę ſplendore atq; uirtute non poterat ab hominibus contemplari ex deitate,ut Apoſtolus ait, ſe exinaniens maieſtate,in Heliſei præfiguratiõe ſerui dignatus eſt ſuſcipere formam, qui uerus homo ex uirginis utero procreatus,ſanctoq; ſpiritu eſt unctus.Quod autem ait hiſtoria, qui effugerit gladium Aſahel, occidet eum Iehu, & qui effugerit gladiũ Iehu,interficiet eũ Heliſeus,hoc modo intelligi poteſt.Gladius enim Aſahel Syri,illorũ doctrina accipienda eſt,qui ex gentibus dominicæ incarnationis & paſſionis ac reſurrectionis uates inſpirati diuinitus extiterunt,ad cõfutandos uidelicet Iudæorũ doctores,qui hoc myſteriũ populis occultabãt.Gladius uero Iehu qui ſuper Iſrael unctus eſt, prædicatio intelligenda eſt Ioannis domini præcurſoris, qui ſaduceos & phariſæos uenientes ad baptiſmũ ſuum increpans,dixiſſe ſcribitur: Genimina uiperarum, quis uobis oſtendit fugere futuram iram? Gladius præterea Heliſei,euãgelica accipienda eſt prædicatio,de qua dixiſſe ſcribitur: Non ueni pacẽ mittere,ſed gladiũ:quia fideles & iuſtos quodãmodo diuidit & ſeparat ab infidelibus & iniuſtis,& quia in cordibus credẽtiũ cupiditates interimit noxias, &

uicia

uicia uniuersa atq; peccata. Interea ait dominus ad Heliã. Reliqui mihi septem milia uirorũ, qui non curuauerũt genua ante Baal, & omne os quod nõ adorauerit eum osculans manũ: Certũ est quod cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cũ recte agit, considerare meliorũ merita negligit. Ac contra magno humilitatis exemplo semetipsum illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat: quia dũ ea quæ ipse fecerit, facta foris & ab alijs conspicit, eum qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorẽ premit. Hinc est quod uoce domini ad Heliam solum se æstimantẽ dicitur: Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curuauerunt genua ante Baal: ut dum non solum se remansisse cognosceret, elationis gloria quæ ei de singularitate surgebat, inclinaret. Propheta namq; erat, & sæpe mysteria superna cognouerat. Quid ergo difficile fuit agnoscere, in hoc mũdo fideliter dei famulos & alios remansisse? Sed hinc solerter intuendum est, oculum elatio quàm nequiter claudat, quia qui humilis occulta dei nouerat, elatus & aperta nesciebat. Posthæc inquit reperit Helias Heliseum filiũ Saphat arantẽ in XII iugis boum, & ipse in XII arantibus unus erat: Cumq; uenisset, misit pallium suum super eum, qui relictis statim bobus, cucurrit ad Heliam, & ait. Osculer oro te patrem meum & matrem meam, & sic sequar te: Cui dixit Helias: Reuertere, quod enim meum erat, feci tibi: Reuersus itaque Heliseus, tulit par boum & mactauit illos, & in aratro boum coxit carnes eorum, deditq; populo ad comedendum) XII iuga boum XXIIII ueteris testamenti figuraliter accipiendi sunt libri: XII uero aratores, XII sunt intelligendi apostoli: sed in omnibus illis dominus existere dignatus est operator, qui dixit, sine me nihil potestis facere Osculum patris, reconciliationis dinoscitur signum. In duobus enim bubus lex accipienda est & prophetia, quarum umbras & imagines dominus noster per incarnationis suæ ac passionis mysterium occidit in litera, & in crucis suæ coxit aratro, nec non ad comedendum fidelibus præbuit, ut iam non uiuant secundũ literã, sed secundum spiritum.

Posthæc refert scriptura, quod Benadab rex Syriæ obsidens, & impugnare incipiens Samariam, ait. Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me) Hũc habet sensum, Samaria iuxta morem ciuitatum, habebat terram interius prope muros penè ipsis muris æqualem, ne uidelicet eos sine subsidijs terræ adiacẽtis erectos creber insistente manu hostili dejceret ictus arietis: extrinsecus autem murorum altitudo longe superficiem terræ transcenderat, maxime cum in montis uertice, ut scriptura refert, fuerit urbs eadẽ. Ait ergo rex supbus obsessam terrens ciuitatẽ, quod tantã haberet exercitus multitudinẽ, ut etiã si quisq; militum eius solummodo lapidem, uel cespitem, uel stipitem ad construendum contra urbem aggerem apportaret, tam sublimis ex eo posset agger exurgere, qui superficiei ciuitatis ipsius quæ erat intra muros esse uideretur æqualis, ita ut ex æquo pugnãtes contra ciuitatem tela, uel faces mittere pos- De minis Benadab. X

sent. Cuius temeritatem arrogantiæ, modesto sermone compescens rex Israel ait. Dicit ei. Ne glorietur accinctus, æque ut discinctus) Aliud est autẽ accinctus, aliud discinctus, aliud nõ accinctus: Accinctus namq; est, qui cingulo circumdatus incedit: discinctus qui cingulum nuper deposuit, uerbi gratia, uel balneum intraturus, uel lectum ascensurus, uel alteram tunicam forte induiturus: non accinctus, qui nuper tunica indutus, necdum se addita zonæ circumpositione muniuit: Sic ergo & in expeditione castrensi qui positus est, recte accinctus nominat', id est armis indutus. qui pugna cõfecta uictor domum rediјt, iure discinctus uocatur, quia nimirũ depositis armis optatæ pacis ocium gerit. qui uero necdum pugnare, neque se ad certamen parare iam cœperat, merito non accinctus esse dicitur. Ait ergo rex Israel regi Syriæ gloriãti, quasi iam cepisset Samariam, quam obsidere cœperat. Ne glorietur accinctus ęque ut discinctus: ac si aperte dicat, Noli gloriari quasi iam uictor bellici discriminis, qui adhuc in acie positus, quem uictoria sequatur ignoras. Et uerum profecto dicebat. Nam mox inito certamine Benadab non uictis aduersariјs triumphans, sed cæso suo exercitu fugiens, domum rediјt. Benadab regem Syriæ typum habuisse diaboli, qui princeps est huius mundi, non dubium est, qui cum XXX & duobus regibus, hoc est, omnibus uitiјs suis aduersus humanum genus pugnare non desistit. Achab uero qui interpretatur frater patris, hoc in loco personam gestauit Iudæorum, cum quibus diabolus prius conflictum habuit. Interea sequitur scriptura de uisione Micheæ prophetæ, ubi ait ad Achab. Vidi dominum sedentẽ super solium suum, & exercitum cœli à dextris & à sinistris eius, & dictum est: Quis decipiet Achab, & ascẽdat & cadat in Ramoth Galaad. Et dixit unus uerba huiuscemodi, & ali⁹ aliter, Et egressus unus dixit, Ego decipiã Achab. Et dictum est ei: In quo decipies? Qui respõdit dicens. Egrediar, & ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum eius) Quid per solium domini nisi angelicas potestates accipimus, quarum alis præsidens inferius cuncta disponit: Et quid exercitus cœli, nisi ministrantium angelorum multitudo describitur? Quid est ergo quod exercitus cœli à dextris & à sinistris eius stare perhibetur? Deus enim qui ita est intra omnia, ut etiam sit extra omnia, & qui incircumscriptus est, ueritas illa, æterna beatitudo, quæ dextera eius dicitur, sinistrã non habet, quia nihil est quod displiceat, quia simul omnia contuetur, simul cuncta aspicit. ea autẽ in quibus & bonus spiritus uiuit & malus, exercitũ cœli à dextris & à sinistris habere describitur: ut per dexteram intelligamus angelos electos, per sinistram uero spiritus reprobos. Non enim ministrant deo solummodo boni qui adiuuant, sed etiam mali qui probant: non solum qui à culpa redeuntes subleuant, sed etiam qui redire nolentes grauant: Nec mouere debet quod exercitus cœli etiam repulsi angeli uocantur, quia & ipsi quamuis ab æthereo cœlo expulsi sint, adhuc tamen in aëreo cœlo demorantur, Aquas enim in aëre suspendi nouimus, aues cœli

De uisiõe Micheæ XI

nomina-

nominamus,& de eisdem ſpiritualibus Paulus dicit, Contra ſpiritualia ne-
quitiæ in cœleſtibus. Quorum caput enuntians ait, Secundum principem
poteſtatis aëris huius. Ad dexteram ergo & ſiniſtram exercitus ſtat,quia
uoluntas electorum ſpirituum diuinæ pietati concordat, & reproborum
ſenſus ſuæ malitiæ ſeruiens,iudicio diſtrictionis eius obtemperat. Vnde &
mox ſpiritus in medio proſilijſſe deſcribitur,per quem Achab rex exigenti-
bus ſuis meritis deciperetur. Neq; enim fas eſt credere bonū ſpiritum falla-
ciæ deſeruire uoluiſſe,ut diceret, egrediar & ero mendax ſpiritus in ore om-
nium prophetarum eius: Sed quia Achab rex peccatis præcedentibus di-
gnus erat,ut tali debuiſſet deceptione damnari,quatinus qui ſæpe uolens ce
ciderat in culpa,quandoq; nolens caperetur ad pœnā:occulta iuſticia, licē-
tia malignis ſpiritibus datur,ut quos uolentes in peccati laqueo ſtrangulāt,
in peccati pœnā etiam nolentes trahāt.Sed quomodo deus hæc agat ubiq;
præſens,& ubiq; totus,ac ſemper præſens,& quomodo eius ſimplicem & in-
commutabilem æternamq; ueritatem conſulant ſancti angeli, omnesq; ab
eodem creati ſublimes & mūdiſſimi ſpiritus,atq; id quod in eo ſempiterne
iuſtum uident,pro congruentia rerum inferendarū temporaliter peragant:
quomodo etiam lapſi ſpiritus qui in ueritate non ſteterūt,propter immun-
diciam & infirmitatem concupiſcentiarum & pœnarum ſuarum non ualen
tes præſentem intrinſecus contueri & conſulere ueritatē,ſigna forinſecus per
creaturam expectent, eiſq; moueantur, ſiue ad faciendum aliquid, ſiue ad
non faciendum:quóue modo cogantur æterna lege qua uniuerſitas regitur,
uincti atque conſtricti,uel ſinente deo operari,uel cedere iubenti:& comple
cti arduum, & explicare longiſſimum eſt. Poſt mortem Achab regnare
cœpit Ochozias filius eius pro eo,de quo refert ſcriptura, quod cecidit per
cancellos cœnaculi ſui, quod habebat in Samaria: & ægrotauit Ochozias
rex Samariæ,qui ſe à domo Dauid ſeparauit,& per cancellos decidit.hoc ſi-
gnificare uidetur,quia hæretici ſiue ſchiſmatici, &ſi aliquam bonæ actionis
arcem conſcendere uidentur,quia tamen cōpagem eccleſię unitatis non ha-
bent,quaſi patentibus & non ſolidis laterum præſidijs ſemper ad uiciorum
infima relabuntur, dum diuino deſtituti auxilio ſuæ pertinaciæ faſtu intere
unt. Deinde refert eadē ſcriptura quod idem Ochozias miſerit duos prin
cipes quinquagenarios ad Heliam,quem quia procaciter hominem dei uo-
cauerunt,illo orante cœleſti igne conſumpti ſunt:tertius autem miſſus ſalua
tus eſt.Figuraliter autem quinquagenarius numerus confeſſio pœnitentiæ
eſt,per quod declaratur remiſſio peccatorum. Iudæi enim nolentes Chriſtū
deum eſſe uerum,nec principem indulgentię largitorem,dicūt ei,Quinqua-
ginta annos nōdum habes,& Abrahā uidiſti? Hij tales futuro diuini ignis
incendio extinguntur. Tertius autem quinquagenarius quia conuerſus ad fi
dem trinitatis demonſtrat pœnitentiæ ſacramēta, idcirco ad indulgentiam
meruit puenire.Sciendū eſt quod ſcriptura ſacra duobus modis maledictū

De morte A-chab. XII

De militibus cōbuſtis. XIII

memorat, aliud uidelicet quod adprobat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur iudicio iusticiæ, aliter liuore uindictæ. Maledictum quippe iudicio iusticiæ ipso primo homine peccante prolatum est, cum audiuit: Maledicta terra in opere tuo. Maledictum iusticiæ iudicio profertur, cum dicitur ad Abraham, Maledicam maledicētibus tibi. Rursum quia maledictum non iudicio iusticiæ, sed liuore uindictæ promitur, uoce Pauli prædicātis admonemur, qui ait, Benedicite, & nolite maledicere. & rursum idem: neq; maledici regnum dei possidebunt. Deus ergo maledicere dicitur, & tamen maledicere hominem prohibet, quia quod homo agit malicia uindictæ, deus non facit, nisi examine & uirtute iusticiæ. Nam & sancti uiri cum maledictionis sententiam proferunt, non ad hāc ex uoto ultionis, sed ex iustitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile dei iudicium aspiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto debeant ferire cognoscunt, & eo in maledicto non peccant, quod ab interno iudicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem sententiam maledictionis intorsit, dicens: pecunia tua tecum sit in perditione. Qui enim nō ait est, sed sit, non indicatiuo sed optatiuo modo se hæc dixisse signauit. Hinc Helias duobus quinquagenarijs ad se uenientibus dixit: Si homo dei sum, descendat ignis de cœlo, & consumat uos. Quorum utique sententia quanta ueritatis ratione conualuit, terminus causæ monstrauit. Nam & Simon æterna perditione interijt, & duos quinquagenarios desuper flamma ueniens consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente maledictionis sententia cum maledicentis innocentia permanet, cum eum qui maledicitur, usque ad interitum maledictio absorbet. Itaque ex utriusq; fine partis colligitur, quia ab uno & intimo iudice in reo sententia sumpta iaculatur. Quod enim abstrahendus Helias atq; eleuandus ad cœlum, iusserit Heliseo ut resideret in Bethel, aut Ierícho siue Iordane, & ille semper iurauerit per dominum, quod non relinqueret eum, hoc figurasse uidetur, quod apostolorum in se habuerit figurā, qui ab ipsa reuelatione fidei, hoc enim interpretatur galgala, Christo domino indiuidue adhærentes, usq; in diem ascensionis eius in cœlum, ab eius comitatu non recesserunt.

De raptu Heliæ. XIIII

Cumq; transissent Iordanem, dixit Helias ad Heliseum. Postula quid uis ut faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitq; Heliseus. Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me) Secundum historiæ fidem duplex spiritus Heliæ Heliseo collatus est, quia multo plures uirtutes Heliseus quàm Helias operatus est: tropologice uero duplex spiritus Heliæ Heliseo attributus est, quia post ascensionem domini per aduentum spiritus sancti duplex intelligentiæ donum, hoc est, noui ac ueteris testamenti apostolis est collatum. Cumq; pergerent & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diuiserunt utrūq;, & ascendit Helias per turbinem in cœlum. Heliseus autē uidebat & clamabat. Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius. Et non uidit eum amplius) Currus Israel, hoc est

mente

mente uidentium deum, non incongrue dominus Iesus Christus accipitur, qui electos suos patienter tolerando uelut in curru portat, atq; per prædicationem & disciplinã suam sicut auriga agitat. Moraliter autẽ quid est quod Helias currus & auriga dicitur, nisi quia auriga agitat, & currus portat? Doctor ergo qui mores populi & per patientiam sustinet, & sacri eloquij uerbis docet, & auriga dicitur & currus: currus quia tolerando portat, auriga quia populos bonis admonitionibus exercet. Quid est autẽ quod Helias ad cœlum raptus esse dicitur? Nunquid nam eum adhuc in hac carne corruptibili positum, ad illius summæ quietis requiem ante resurrectionem ascensionemq; domini credimus esse perductum? Sed aliud est cœlũ aëreum, & aliud æthereum. Cœlum quippe aëreum, terræ est proximum. Vnde & aues cœli dicimus, quia eas uolitare in aëre uidemus. In cœlum quippe aëreum Helias subleuatus est, ut in secreta quadam terræ regione repente duceret, ubi in magna iam carnis ac spiritus quiete uiueret, quo usq; ad finem mũdi redeat & mortis debitum soluat. Subleuatus namq; Helias, ascensionem domini designauit. Ille enim mortem distulit non euasit. Redemptor autem noster, quia non distulit superauit, eamq; resurgendo consumpsit, & resurrectionis suæ gloriam ascendendo declarauit. Notãdum quoq; est quod Helias in curru legitur ascendisse, ut uidelicet aperte monstraretur, quia purus homo adiutorio egebat alieno. Per angelos namq; illa facta & ostensa sunt adiumenta, quia nec ad cœlum quidẽ aëreum per se ascendere poterat, quẽ naturæ suæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noster non curru, non angelis subleuatus legitur, quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua uirtute ferebatur. Illò etenim reuertebat ubi erat, & inde redibat ubi remanebat, quia per humanitatẽ ascenderat in cœlum, per diuinitatẽ suam & terram pariter continebat & cœlum. Neq; enim arbitrandum est Heliã uel sic esse sicut erunt sancti, quando peracto operis die, denariũ pariter accepturi sunt: uel sic quẽadmodũ sunt homines qui ex ista uita nondũ emigrauerunt, de qua ille tamẽ nõ morte, sed translatione migrauit. Iam itaq; aliquid melius habet, q̃ in hac uita posset, quamuis nondum habeat quod ex hac uita recte gesta in fine habiturus est. Pro nobis enim meliora prouiderunt, ne sine nobis perfecti perficerentur. Aut si quisq; putat hoc Heliam mereri non potuisse, si duxisset uxorem filiosq; procreasset: creditur enim non habuisse, quia hoc scriptura non dixit, q̃uis & de cœlibatu eius nihil dixerit: quid de Enoch respõdebit, qui filijs genitis deo placẽs nõ mortuus, sed trãslatus est? Cur ergo & Adã & Eua si iuste uiuentes, caste filios procreassent, nonne eis possent translatione nõ morte succedẽtibus cedere? Nã si Enoch & Helias in Adam mortui, mortisq; propaginem in carne gestantes, quod debitum ut soluant creduntur etiam redituri ad hanc uitam, & quod tamdiu dilatum est morituri, nunc tamen in alia uita sunt, ubi ante resurrectionem carnis antequam animale corpus in spirituale mutetur, nec morbo nec

senectute deficiunt: quãto iustius ac probabilius primis hominibus illis præstaretur, sine ullo suo parentúmue peccato uiuentibus, ut in meliorem aliquẽ statum filijs genitis cederent, unde seculo finito cum omni prosperitate sanctorum in euangelicam formam, non per carnis mortem, sed per dei uirtutem multo felicius mutarentur. Apprehenditq; uestimenta sua, & scidit illa in duas partes, & leuauit Heliseus pallium Heliæ quod ceciderat ei) Heliseus enim domini ac redemptoris nostri figuram gestauit, uestimenta uero illius ueteris testamenti accipiendæ sunt scripturæ, quæ tunc scissæ, hoc est, reuelatæ hominibus sunt, quando per passionem & resurrectionem siue ascensionem ipsius in cœlo expletæ sunt. Pallium uero Heliȩ ab Heliseo collectũ, uirtus accipienda est uerbi, quam ad glorificãdam carnem suam mundo reliquit. Habitante autem Heliseo in Iericho, uenerunt ad eum uiri ciuitatis, & dixerunt ei: Ecce habitatio ciuitatis huius ualde optima est, ut ipse tu domine perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait, Afferte mihi uas nouum, & mittite in eo sal, Qui cum attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in eum sal, & ait. Hæc dicit dominus. Sanaui aquas has, & non erit in eis ultra mors neq; sterilitas. Sanatæ ergo sunt aquæ usq; ad diem hanc, iuxta uerbum Helisei quod locutus est) Ciuitas Iericho mundi huius præsignabat figuram, cuius habitatio secundum conditoris creationem non simpliciter tantum, sed ualde ab omnibus, ut cernitur, optima est. Aquȩ uero illius pessimæ, doctrina accipienda est philosophorum & poetarum, uidelicet hominum mentes ad dæmonum cultum & libidinem atq; luxuriã prouocans. Terra uero sterilis, omne indicat hominum genus, qui relicto creatore deo obscuratis sensibus deseruiebant omnibus creaturis. Quem enim in hoc facto miraculo, nisi dominũ Iesum Christũ præfigurauit, qui postq; uerbum caro factum est, atq; per ministrum in Iordane fluuio baptizari dignatus est, aquas Iericho steriles, hoc est, huius mundi conuertit in lauacri fœcunditatem: ut quicquid ex eis regeneratum fuisset, uitalem acciperet spiritum. In sale quippe sapiẽtia, in uase uero rudi, caro domini intelligit. Ascendit, inquit, in Bethel. Cumq; ascenderet per uiã, pueri parui egressi sunt de ciuitate, illudebantq; ei dicẽtes. Ascende calue, ascende calue: Quibus maledicens in nomine domini, continuo egressi sunt duo ursi de saltu, & lacerauerunt ex eis XLII pueros, & abijt ex inde in montem Carmeli) Heliseus qui interpretatur dei salus, personam saluatoris gestasse non dubium est: qui saluator ascendens in Bethel, hoc est, ad domũ dei cœlestem, à Iudæis quasi à pueris insipientibus subsannatus est, clamantibus hisdem Iudæis, ascende calue, ascende calue, crucifige, crucifige in caluariæ loco: ob cuius piaculi facinus plebs Iudæorum decursis XLII annis, post resurrectionem saluatoris, & ascensionem in cœlos, à principibus Romanorũ Vespasiano uidelicet & Tito quasi à duobus ursis cõsumpta est. Mons uero Carmelus ecclesia intelligenda est, ad quã spreto Israele suum dominus transtulit regnum.

Ab Heliseo sanatæ aquæ. XV

De pueris ab eo maledictis XVI

Mulier

Mulier quædam, inquit, de uxoribus prophetarum uenit ad Heliseũ, & ait. Seruus tuus uir meus mortuus est, & tu nosti quia timens erat deum, & ecce nunc ueniens creditor, duos filios meos uult tollere in seruitutẽ sibi. Cui dixit Heliseus: Quid habes in domo tua? indica mihi: At illa, modicum, inquit olei quo ungar. Ad quam Heliseus, uade, ait, & pete tibi uasa nõ pauca, & ingressa cubiculũ, tolle de ipso oleo, & mitte in uasis, tu infunde & filij tui offerant uasa: Cumq; impleta fuerint, uende & redde creditori tuo, tu autẽ & filij tui uiuite de reliquo. Quæ abijt, & fecit sicut ei uir dei præceperat) Mulier hæc uidua antiquã sanctorũ patrũ qui sub lege fuerunt significauit ecclesiam, quæ in aduentu saluatoris à legali pręcepto quasi à legitimo uiro destituta, cũ duobus superstitibus filijs, id est, gemino populo derelicta est. Creditor huius ecclesiæ diabolus intelligendus est, qui humanũ genus ante aduentum saluatoris per originale delictum, & quotidiana peccata obnoxium tenebat. Quæ ecclesia parum olei in uasculo tenebat, quia gratiã euangelicæ prædicationis intra literam legis, & prophetiã ueteris testamenti non reuelatam apud se continebat. Postquam uero ad cognitionem ueri Helisei, hoc est, saluatoris nostri peruenire promeruit, eius cõsultu à uicinis suis plurima uasa uacua petijt: quia per apostolorum prædicationem multitudinem credentium, ex diuersis gentibus intra domũ fidei ad se collegit. De oleo quoq; quod apud se habebat, in cætera uascula transfudit, quia gratiã spiritualem per ora prædicatorum in cunctis gentibus mutauit: de quo oleo, id est, diuina gratia filios suos redemit, quia per donum spiritus sancti atq; charitatis unctionem, à perpetua seruitute peccati semetipsam cum cunctis fidelibus liberauit.

De filijs uiduæ à seruitute uindicatis XVII

Factum est autẽ ut Heliseus transiret, & erat ibi mulier magna quæ tenuit eum, ut comederet panem. Cumq; frequenter inde transiret, diuertebat ad eam, ut comederet panem. Quæ dixit ad uirum suum, Animaduerto quod uir dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus in eo lectum, & mensam, sellam & candelabrum, ut cum uenerit ad nos, maneat ibi, & cætera.) Mulier ista Sunamitis typum ecclesiæ retentabat, quæ priusquam uerum Heliseum, hoc est, saluatorem nostrum per fidem susciperet, sterilis fuit: postquam uero eundem dominum in hospitio cordis sui suscipere promeruit, populum fidelem quasi unicum filium genuit. In cœnaculo altitudo fidei, in lectulo uero quies spiritualis atque contemplationis ocium præfiguratur. In mensa autem unitas fidei & concordia prædicationis innuitur: in sella uero docendi potestas: in candelabro illuminatio fidei, siue claritas uirtutum exprimitur.

De hospitibus Helisei XVIII

Posthæc refert scriptura de filio Sunamitis, quem puer Helisei missus cum baculo non resuscitat: per semetipsum uero ueniens, seq; super mortuum sternens, atque ad eius membra se colligens, huc illucq; deambulans, & in ore mortui septies aspirans hunc ad rediuiuam lucem protinus per mysterium compassionis animauit: quia uidelicet autor

De puero resuscitato XIX

humani

humani generis deus quasi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum uirgam misit: per legem quippe uirgam dominus tenuerat cum dicebat, Si quis hæc uel illa fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte timor nos suscitare non ualuit, sed ad statum uitæ aspirata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non ualuit, quia Paulo attestante, nihil ad perfectum adduxit lex. Ipse autem per semetipsum ueniens, & super cadauer se humiliter sternens, ad adæquanda mortui membra se collegit: quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui excipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuẽtus ut homo. Huc illucq́ deambulabat, quia & Iudæam iuxta & longe positas gentes uocat. Super mortuũ septies inspirat, quia per apertionem diuini numinis gratia septiformis spiritus in peccati morte iacentibus aspirat: moxq́ uiuens agitatur, quia is quem terroris uirga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad uitam rediјt. Iam nunc historia Naaman Syri prosequenda est:

De Naaman à lepra mundato. XX

Superius ostendimus Heliseum typum habuisse domini saluatoris, Naaman uero princeps militiæ Syriæ, qui leprosus fuerat, & suggerente ancilla, ad beatum Heliseum sanandus aduenit, populum gentium figurauit. puella uero paruula quæ de terra Israel ab Assyrijs capta, & in Syriã ducta, uxori Naaman seruitium exhibebat, & dominæ suæ suggesserat, quod si ad beatum Heliseũ suus dominus pergeret, sanitatẽ cõsequeretur, legis accipienda est fama: idcirco uidelicet paruula nuncupata, quia, ut Apostolus ait, nullum ad perfectum perducere ualuit: omnis enim perfectio in domino Iesu Christo est. fama quippe eorum, quæ in lege de castitate & sobrietate, patientia, iustitia, hospitalitate, pietate, cæterisq́ uirtutibus habebantur, ad uniuersas peruenerat nationes: quia licet in tempore illo in sola Iudæa prophetia floruerit, fieri tamen non poterat, nisi ut etiam ad illas uicinas gẽtes beata eius noticia perueniret: & quanquam eandem custodire contenderent, tamen uelut captiua eisdem seruiebat, quia idololatriæ cultui deditæ erant. tamen audiuit Naaman puellam, & uenit ad Heliseum sanandus à lepra: & populus gentium audiuit famam legis & prophetiæ, & uenit ad Christum ab omnium peccatorum lepra sanandus. Quid tamẽ dixit beatus Heliseus per nuntiũ ad Naaman, uideamus: Ait enim ei. Vade, inquit, lauare septies in Iordane. Quod cũ audisset Naamã, tãtũ ut lauaret̃ septies in Iordane, indignatus est, & uolebat renuere: sed ab amicis suis cõsilio accepto, adquieuit ut lauaret̃, & purgatus est: Hoc significauit, quia populus gẽtiũ anteq́ Christus crucifigeret̃, ipso per se Christo loquẽte nõ crediderũt, sed postea docẽtibus apostolis ad sacramentũ baptismi fideliter uenit. Heliseus nãq́ in præfiguratione futurorum Naaman Syrum uidere noluit, & tamen minime despexit: sic nimirum dominus Iesus Christus populũ gentiũ qui eũ carnalibus

oculis

oculis minime uidit, exterū à sua salute non fecit. Dixit ergo Heliseus ad Naaman, ut lauaretur septies in Iordane. Notādum quod Heliseus mittit Naaman ad Iordanem fluuium, ita Christus populum gentium missurus erat ad baptismum. Quod autem Heliseus non per se ipsum Naaman aut tetigit aut baptizauit, hoc significatum est, quod Christus non per se ipsum uenit ad populum gentium, sed per Apostolos suos, quia illis dixit: Ite & baptizate omnes gētes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et hoc adtendendum est, quia Naaman qui populum gentium figurabat, in illo fluuio sanitatem receperit, quem postea Christus suo baptismate consecrauit. Audiens uero Naaman, ut lauaretur septies in Iordane, indignatus est dicens, nunquid non meliora sunt flumina regionis meæ, flumina Damasci Abana & Farfar, ut in ipsis lauer & munder? Hæc illo dicente, consilium dederunt serui sui, ut adquiesceret prophetæ consilio. Quid autem hoc significet, intuēdum est. Sanctus Heliseus, sicut diximus, typum habebat domini saluatoris, & Naaman figurabat populum gentium. Quod uero de suis fluminibus sanitatem se recepturum esse credebat, hoc indicabat, quod genus humanum de libero arbitrio & de proprijs meritis præsumebat. Sed propria merita sine gratia Christi libertatē habere possunt, recipere sanitatē omnino non possunt. Vnde nisi ad exemplū Naaman, humanum genus consiliū Helisei audisset, id est, per Christi gratiā donum baptismatis humiliter excepisset, ab originali & actuali lepra liberari non posset. Siue aliter flumina Damasci, quarum aquas Naaman Syrus meliores aquis Iordanis esse opinabatur, huius mundi sapientiam significāt, quam populus gētium priusq̃ fidem Christi perciperet, pro magno habens, euangelica præcepta negligens contemnebat. Lauare septies, dixit, propter septiformem gratiam spiritus sancti, quæ in Christo domino requieuit. Denicq; quando in eo fluuio dominus baptizatus est, spiritus sanctus in columbę specie super eum uenit. Cum ergo in figura baptismi Naaman in fluuiū descendisset, facta est, inquit scriptura, caro eius tanquam pueri paruuli: Hanc similitudinem in populo Christiano compleri uidemus, quia omnes qui baptizantur, siue senex sit siue iuuenis, omnes tamen infantes appellantur, quia per Adam & Euam ueteres nascuntur, per Christum & ecclesiam noui regenerātur. Prima generatio perducit ad mortē, secunda generatio perducit ad uitā, Prima generatio filios iræ, secūda generatio uasa misericordiæ, sicut Apostolus dicit: In Adam oēs moriunt̄, in Christo oēs uiuificabunt̄. Quomodo ergo Naamā senex septies lauādo factus est uelut puer, sic populus gentiū cū esset peccatis ueteribus senex, & multis iniquitatū maculis uelut lepra perfusus, per gratiā baptismi ita renouatur, ut in eo nec originalis nec actualis peccati lepra remaneat: & qui fuerat criminum ponderibus curuus, ad exemplum Naaman salutari lauacro renouatur, ut paruulus, & prima stola induitur, De qua Apostolus ait: Quicunq; in Christo baptizati estis, Christū induistis.

In emundatione Naaman Syri, decima uirtus ponitur Helisei. Denarius enim numerus consummationem siue perfectionem demonstrat: quia in fine mũdi dominus legit̃ aduenisse, in quo uniuersis lepra infidelitatis aspersis cognoscitur salus attributa. Quod uero posteaq̃ mũdatus est Naaman, munera obtulit beato Heliseo, & ille accipere noluit, Christi in hoc gratia figuratur, quæ ideo gratia dicta est, quia gratis datur. Sic enim ipse dominus in euãgelio discipulis dixit: Infirmos curate, mortuos suscitate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date. Dixitq́ interea Naaman ad Heliseum: Obsecro concede mihi seruo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra. Non enim faciet ultra seruus holocaustum aut uictimas dijs alienis, nisi domino soli) Onus terræ duorum burdonum, incarnationis Christi prætendebat sacramentum, cuius mysterium uterq; populus ex circumcisione uidelicet & præputio ob spem æternæ beatitudinis portare non renuit. Posthęc refert eadem scriptura, quod interrogauerit Heliseus Iezi puerum suum,

Vnde uenis Iezi? Qui respondit, Non iuit seruus tuus quoquã. Et ille ait, Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tuum? Nunc igitur accepisti argentũ & accepisti uestes, ut emas olíueta & uineta & oues & boues & seruos & ancillas. Sed & lepra Naamã adhærebit tibi & semini tuo, usq; in sempiternum) Si enim propheta Heliseus puerum suum Iezi absens corpore uidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus, quẽ propheta memoratus à leprę deformitate mundauerat, quod seruus nequam domino suo non uidente latenter se fecisse putauerat: quanto magis in illo corpore spirituali uidebunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, uerum etiã unde sunt corpore absentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquẽs Apostolus ait: Ex parte, inquit, scimus, & ex parte prophetamus, cum autem uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Deinde ut quo modo posset aliqua similitudine ostendere, quantũ ab illa quæ futura est distet hæc uita, nõ qualiũcunq; hominũ, uerũ etiã qui p̃cipua hic sanctitate sunt præditi: Cũ essem, inquit, paruulus, quasi paruulus sapiebã, quasi paruulus loquebar, quasi paruulus cogitabã: cũ aũt factus sum uir, euacuaui quę paruuli erãt: uidemus nunc per speculũ in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciẽ. Nũc scio ex parte, tũc autẽ cognoscã, sicut & cognitus sum. Si ergo in hac uita ubi hominũ mirabiliũ prophetia ita cõparanda est illi uitæ quasi paruuli ad iuuenẽ, uidit tamen Heliseus accipientẽ munera seruũ suũ ubi ipse nõ erat, Itáne cũ uenerit quod perfectũ est, nec iam corpus corruptibile adgrauabit animã, sed incorruptibile nihil impediet, illis sancti ad ea quæ uidẽda sunt oculis corporeis, quibus Heliseus absens ad seruum suũ uidendũ non indiguit, indigebunt. Nãq; secundũ interpretes LXX, ista sunt ad Iezi uerba prophetæ: Nónne cor meũ erat tecum, quando conuersus est uir de curru in obuiam tibi, & accepisti pecuniã, & cætera. Sic autem ex Hebræo interpretatus est presbyter Hieronymus:

Nonne

Nonne cor meum, inquit, in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Corde suo ergo dixit se hoc uidisse propheta, adiutus quidem mirabiliter nullo dubitante diuinitus: sed quanto amplius tunc omnes munere isto abundabunt, cum deus erit omnia in omnibus: habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium suum, & in loco suo uterq; erit illis spiritus per spirituale corpus. Neq; enim ille propheta, quia eis non indiguit, ut uideret absentem, non eis usus est ad uidenda præsentia: quæ tamen uidere spiritu posset, etiā si illos clauderet, sicut uidit absentia ubi cū eis ipse non erat. Absit ergo ut dicamus illos sanctos in illa uita deum clausis oculis non uisuros, quem spiritu semper uidebunt: sed utrum uidebunt & per oculos corporis cum eos apertos habebunt, inde quæstio est. Si enim tantū poterunt in corpore spirituali eo modo utiq; etiam ipsi oculi spirituales, quantū possunt isti quales nunc habemus, proculdubio per eos deus uideri non poterit. Longe itaq; alterius erunt potentiæ, si per eos uidebitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubiq; tota est. Iezi minister Helisei, qui cupiditate argenti deceptus, pecuniam à Naaman Syro accepit, & post paululum lepræ contagione est percussus, Iudæ proditoris typum gessisse non dubium est. Sicut enim Iezi ideo seruiebat beato Heliseo, ut pecuniam posset adquirere: ita & Iudas propterea adhęserat domino saluatori, ut fraudem faceret, & terrenas diuitias congregaret. Deniq; sic de illo in euangelio scriptum est, quia fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur exportabat. Nam Iezi qui gratiam magistri potuerat promereri, sicut dominus suus consecutus fuerat beati Heliæ, cupiditate uictus in æternum meruit crudeli lepra perfundi: Iudas uero per amorem pecuniæ, & apostolatus gratiam perdidit, & laqueo uitam finiuit. Ac sic intelligimus omnes malos sacerdotes intra ecclesiam intus in anima peccati lepra esse perfusos, qui contra dominica præcepta ministerium quod gratis acceperunt, gratis non administrant, & pro omni opere quod in ecclesia gerunt, non futurā mercedem, sed præsentem quærunt retribut onem. Potest enim Iezi etiam Iudæorum populum figurare, qui eo tempore peccati lepra percutitur, quo ab eą populus gentium liberatur. Deniq; sic infideles Iudæi in passione clamauerunt: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tunc enim peccati lepra perfundi meruerunt, quando super cœlestem medicum ore sacrilego clamauerunt: tolle tolle crucifige eum. Ergo eo tempore in illis remansit lepra, quo ad nos transijt gratia. Denique sic & Apostolus Paulus ad eos locutus est dicens. Vobis, inquit, oportuit primum loqui uerbum dei, sed quia uos indignos iudicastis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quando doctrina Apostolorum ad gentes transijt, tunc in miseris Iudæis peccati lepra permansit.

Posthæc refert scriptura quod eunte beato Heliseo cum filijs prophetarum ad Iordanem fluuiū, dum sibi ligna cōciderēt, ceciderit securis in aqua, & ille de cuius manu corruit, clamauerit ad beatū Heliseum, heu heu & hoc *De ferro natante.* XXI

ipsum mutuo acceperã. Posthæc in loco ubi securis illa ceciderat, beatus Heliseus misit lignum, & natauit ferrum) Dominus Iesus Christus cuius figuram Heliseus gestauit, cum per præsentiam corporis sui Iudæorum impietatem tanquam infructuosam arborem succidere uellet, quia de illo Ioannes ait: ecce securis ad radicem arborũ posita est: interueniente passione corpus ipsum uelut manubrium deseruit, & in inferni profunda descẽdit, quod in sepultura depositum, ad uitam tanquam ad manubrium suum spiritu redeunte surrexit. Siue aliter, Heliseum typum habuisse domini saluatoris frequenter iam supra diximus: sed & in puero illo filio prophetæ, cui securis de manu lapsa est, non incongrue Christus intelligitur: securis illa quæ cecidit, Adam siue totum genus humanum significasse uidetur. Tenebat ergo filius prophetę securim in manu sua, ac dominus ac saluator noster humanum genus quod creauerat in manu potentiæ suæ. Sed quomodo securis illa de manu prophetę in profundum corruit, ita & genus humanum de manu omnipotentis dei per superbiam se excussit, ceciditq; in fluuio luxuriæ, uel omnium peccatorum gurgite se submersit. Securis ergo illa in profundo iacebat, quia genus humanum in omnium criminũ abysso infelici ruina corruerat, sicut scriptum est, Infixus sum in limo profundi. Iterum: Deueni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Fluuius enim ille ubi securis cecidit, significat præterfluentem & fugitiuum & descendentem in uoluptatem uel luxuriam, seculi huius cursum. Fluuius enim à fluendo nomen accepit, & quia omnes peccatores transitorijs uoluptatibus inhærentes fluere dicũtur, ideo securis illa in fluminis limo iacebat oppressa. Veniẽs ergo Heliseus misit lignum, & natauit ferrum. Quid est lignum mittere & ferrũ in lucem producere, nisi patibulum crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus eripere, & de omnium peccatorum limo per crucis mysterium liberare? Postquam uero natauit ferrum, misit manum propheta, & recepit illud, & reddidit ad utilem usum domini. Ita & de nobis factum est, qui de manu domini superbiendo cecideramus, per crucis lignum ad manum uel potestatem domini redimus. Item moraliter. Ferrum in manubrio, donum intelligitur in corde. Ligna uero per hoc cædere, est praue agentes increpare, quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus uanæ gloriæ in accepta eadem scientia nõ uitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur, quam profecto intelligentiam ad hoc nouimus dari, ut ante dantis oculos ex bona actione debeat restitui. Vnde & recte is qui ferrum amiserat, clamabat. Heu heu heu domine mi, & hoc ipsum mutuum acceperam. Habent enim hoc electi proprium, si quando in eis sua scientia furtiua uanæ gloriæ culpa subripitur, ad cor uelociter redeũt, & quicquid in se ante districti iudicis oculos damnabile inueniunt, lachrymis insequuntur: qui flentes non solum caute inspiciunt, quę mala commiserunt, sed ex accepto munere quæ reddere etiam bona debuerunt, quia nimirum tan-

to se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis quæ agere poterant, debitores tenentur. Recte enim qui ferrum perdidit clamabat, heu heu heu, & hoc ipsum mutuum acceperam. Ac si dicat. Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod ut per bona opera redderem, ex gratia creditoris acceperam. Et nunquam deus mentem deserit, quæ in peccatis se ueraciter agnoscit. Vnde & mox Heliseus ueniens, lignum deorsum mittit, & ferrum in superficiem attulit: quia uidelicet redemptor noster, pie nos respiciens cor peccatoris humiliat, & ei quam amiserat intelligentiã reformat, lignum mergit & ferrum leuat, quia cor affligit, & sciẽtiam reparat. Vnde bene in alia translatione dicitur, quod infregit lignum atq; iactauit, & sic ferrum sustulit, Lignum namq; confringere est cor ab elatione conterere: lignum ad ima iactare, eleuatum cor in cognitionem, ut diximus, propriæ infirmitatis humiliare: atq; ilico ferrum in superficiem redit, quia ad usum exercitationis pristinum intelligentiæ recurrit. Igitur quoniam donum intellectus quod accipitur, uix cum tot difficultatibus custoditur, curandum ualde est ne ocio torpeat, curandum ne incitationes operis uitio elationis euanescant. Sancti namq; uiri minime exultant, cum cognoscunt quæ faciunt, sed cum faciunt quæ cognouerunt: & si intelligendo largiores cõgaudent à munere largitoris, mœrentes tamen considerant debitũ operis, ut uidelicet actione persoluant, quod eis prorogatum est in cogitatione. Stultus namq; est debitor, qui gaudens pecunias mutuas accepit, & tempus quo reddere debet, non attendit. Moderatur autem læticia accipiendi, quando solerti prouidentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumq; inijt cum seruis suis dicens. In loco illo & illo ponamus insidias, & reliqua) Rex Syriæ Samariam obsidens, diaboli gestabat typum, qui ante aduentum saluatoris Iudæorum populum sua obsidione concluserat, cuius sęuiciæ atq; occultæ insidiæ quas humano prætendebat generi, ueri Helisei, hoc est, domini saluatoris præscientia atq; uirtute frustratæ sunt. Exercitus regis Assyriorum, qui ad capiendum Heliseum ab ipso missus est, scribarum & pharisæorum habuerunt typum, qui instinctu diaboli ad persequendum deum instigati sunt, & per uirtutem eiusdem domini & saluatoris nostri iusto iudicio obcęcati sunt, & rursum per misericordiam illius pane uerbi dei sunt pasti, & aqua scientiæ refecti. Merito mouet quomodo potuerunt Syri isti ire in Samariam, si tali erant cæcitate percussi, ut omnino nihil uiderẽt. Hac Aorasia etiam illi percussi sunt, qui quærebant ostium Loth. Hoc enim modo sua calamitate turbati, amentes facti sunt, usq; dum irent in Samariam, & ulterius prophetam tali modo comprehendere non quæsierunt. Factum est autem posthæc, congregauit Benadab rex Syriæ uniuersum exercitum suum, & ascendit & obsedit Samariam. Facta est autem fames magna in Samaria, & tamdiu obsessa est ciuitas donec uenundaretur caput asini LXXX argenteis, & quarta pars

De obsidione & fame Samariæ XXII

canistri stercoris columbarum quinq; argenteis, & cætera) Fames Samariæ illata, inopiam significat uerbi dei, siue egestatem fidei, per quam diabolus ante aduentum saluatoris dei populum concluserat. Caput asini LXXX argenteis uenundatum, significat superbiam, quæ initium est omnis peccati. Per asinum enim quod immundum est animal, omnia uitia diaboli præfigurasse non dubium est, quorum, ut dictum est, caput est superbia. Hanc reprobi omnes neglecto decalogo legis atq; ogdoada euãgelij, in qua imago est dei, in cibum maluerunt sumere quàm panem uerbi dei. Quarta uero pars canistri stercoris columbarum, quod quinq; argenteis emptum, in cibum sumere dicitur: hoc figurasse uidetur, quod populus reprobus relicta cultura dei, atq; V corporis sensibus subditus, per idolorum culturam & simulationem uelut quodam fœtore peccatorum pasti, diabolo satisfaciebant. Duæ mulieres quarum una famis inopia coacta, filium suum comedit, reprobam plebem ex Iudæis significasse non dubium est, quæ omne bonum quod in se originaliter habuit inopia fidei consulta consumpsit. Alia uero quæ in tale facinus consensum præbere renuit, electam plebem proculdubio figurauit. Quatuor ergo uiri erant leprosi iuxta introitum portæ, qui dixerunt ad inuicem. Quid hic esse uolumus donec moriamur, & reliqua) Quatuor leprosi qui extra ciuitatem positi futuram Israeli defensionem pronuntiant, illos indicasse uidentur, qui ex populo Iudæorum immundiciam peccatorum suorum prius cæteris confessi sunt, & ad tantam peruenire meruerũt gratiam, ut uictum atque fugatum diabolum per uictoriam crucis Christi cæteris annuntiarent. Quinque equi qui in Samaria præ inopia famis tantummodo remansisse dicuntur, carnalem Iudæorum populum sub quinq; libris legis derelictum figurasse certum est. Dux ille qui futuram frumenti abundantiam per Heliseum uenturam audiens, credere noluit, scribarum atque pharisæorum gestauit figuram, qui fertilitatem in ecclesia diuinitus collatam uidit, & quia credere noluit, ab hac impietate sua mortuus, à fidelibus conculcatus est. Mulier Sunamitis quæ ob inopiam famis consultu Helisei de Iudæa ad terram Philistijm transiuit, primitiuam ecclesiam quæ per Apostolos ex circuncisione in Christo credidit, præsignauit. Quæ ecclesia ob infidelitatem Iudæorum atque inopiam uerbi dei quæ illos obtinuit, reuelante sibi diuino spiritu ad populum gentiũ transmigrauit. Hæc enim in fine mundi, postquam plenitudo gentium introierit, ad priorem populum reuertens, prædicante Helia, electos ex eadem plebe quasi pristinam paternorum suorum possessionem in proprio iure recipiet, & tunc omnis Israel saluus fiet.

De Ioa uncto in regem. XXIII

Quod ait Ioiada pontifex sacerdotibus & leuitis in templo, proferens Ioas filium Azariæ, quem sex annis, quibus regnauit Athalia, clam nutriebat in templo: tertia pars uestrum introeat sabbato & obseruet excubitum domus regis, tertia autem pars sit ad portam Seyr, & tertia pars ad portam quæ est post habitaculum scutariorum, custodietis excubitum

bitum

bitum domus messa: duæ uero partes è uobis omnes egredientes sabbato, custodiant excubitum domus domini circum regem, & uallabitis eum, habentes arma in manibus uestris: & cætera quæ ibidem dicta uel facta commemorantur, melius intelliguntur, si de locis templi in quibus actum est, latius aliqua replicentur. Templum quidem ipsum, exceptis porticibus, quibus omni ex parte sibi adhærentibus circumdabatur, habebat intra parietes: hæc est enim mensura prima, quam uerba dierum nominant: LX cubitos longitudinis, XX autem latitudinis: cuius omnis ambitus, atrio tribus cubitis alto erat circumdatus, habente introitum à parte orientis, cuius in libro Regum ita meminit scriptura. Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri: interius uidelicet hoc appellans atrium, eo quod alia circa hoc exteriora sint facta. Porrò in uerbis dierum ita: Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem, & ostia in basilica quæ texit ære: atrium uidelicet sacerdotum hoc nominans, quia nimirum ad hoc erat factum, ut ab ingressu templi cæteros arceret, solisq; hoc sacerdotibus licere designaret. Erat autem hoc idem atrium ab australi, ab occidentali, & septentrionali parte, uicinius muro templi. Porrò ad portam solis, unde & introitum per gradus habebat, in magnam se prolixitatem à templo protendebat: utpote quod in illa sui parte altare holocausti, in illa luteres bis quinos, in quibus hostiæ lauarentur, in illa mare æneum, in quo intraturi ad ministerium sacerdotes lauarentur, in illa sacerdotum immolantium & psallentium habebat choros leuitarum. Circumdabatur hoc atrium undiq; uersum à longa æde permaxima in quadrum: cuius interior paries, id est, qui templum à quatuor mundi partibus respiciebat, inferius erat per totum in arcubus constructus, ulterior uero firma soliditate fundatus, & ianuas habens æreas, ut supra dictum memorauimus, & ostia in basilica quæ texit ære: quæ etiam porticibus communita, maximis & opportunis erat discreta cœnaculis: & rursus extra hanc ædem in gyro altera simili schemate facta: sed & tertia nihilominus circa illam eodem ordine facta per gyrum, interiora omnia longe lateq; circuibat, in hoc tantum à prioribus distans ædibus, quod orientalis & septentrionalis eius paries ostia minime habebat, eo quod uterque eorum ad muros pertineret ciuitatis. Hæc autem sunt atria, de quibus canitur in Psalmis. Qui statis in domo domini, in atrijs domus dei nostri. Et quoniam ipsa domus domini mediocri loco constructa erat, fiebat ut atria quanto exteriora fuerint, tanto altiores haberent parietes, utpote inferius fundamenta habentes, adeò ut ultima CCCC in altitudine cubitos haberent, nec tamen æquandæ templi altitudini aliquantulum adpropinquarent, quorum omnium in libro Paralipomenon ita generalis fit mentio. Dedit autem Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi & cellariorum, & cœnaculi & cubitorum in astis, & domus propitiationis, nec non & omnia quæ cogita-

uerat atriorum & exedrarum per circuitum in thesauros domus domini,& in thesauris sanctorum. Sed & Iosephi scriptura uel pictura ab antiquis formata, plenius quo sint hæc ordine facta distinguit. His uero ita compositis, in sanctasanctorum summi tantum sacerdotis erat semel in anno ingredi, cum sanguine hostiarum. in sanctuario ante oraculum sacerdotes tantum purificati introibant: in atrio interiori sacerdotes omnes & leuitæ. circa hoc atrium sub diuo, uel si tempestas arcebat in ædibus circũpositis uiri Israelitę ad adorandũ siue audiendum uerbum dei conueniebant. In tertio ordine atriorum stabant ad orandum mulieres Israeliticæ sub diuo, uel si tempestas non sinebat, proxima circumpositarum ædium tecta subibãt. Porrò in ultimo ordine atriorum gentiles qui ad orandũ forte cõuenerant, intrabant, ubi etiam post tempora dispersionis hÿ qui de gentibus nuper aduenerant Israelitæ, VII diebus purificati, sic tandẽ in interiora sanctorũ petebãt. Quæ autem intra atria uel in atriÿs erant pauimenta, lapide uario sunt omnia strata. Ita uero ostia in ædibus contra inuicem posita erant, ut hÿ etiã qui in ultimis consistebant, templum possent intueri. Erant autem sortes XXIIII; & sacerdotum & leuitarum, & ianitorũ, qui per totidem septimanas sibi ex ordine succederent, sabbato noua turma intrante ad officium, & post sabbatũ ea quæ proxima septimana ministrauerat, domũ redeunte. Sed hic põtifex proponit necessitatem augendi circa nouum regem exercitus, & eos qui intrandi septimanam habebant suscepit in ordinem, & illos qui iam suam septimanam ministrando impleuerant, ne abirent retinuit, qui alios quosq; leuitas de cunctis urbibus Iuda simul & principes familiarum Israel, missis in hoc centurionibus Hierosolymam congregauerat, ut uerba dierum narrãt. quos educturus filium regis tali ratione distinxit, ut omnes qui impleuerũt sabbatũ, & egressuri erant, in duas diuisi partes regem in interioribus atriÿ locis armati circumstarent: reliqua uero multitudo, id est, qui non erant de stirpe leui, exteriores atriorum ianuas contra furorem reginæ, si quid forte aduersi moliretur, custodirent. Porrò hÿ qui nuper ad sabbatum uenerant sacerdotes & leuitæ & ianitores, in tres diuisi partes, domum regis, id est, palatium obseruarent: ne uel hoc regina collecto exercitu contra regem defenderet. seruarent & portam habitaculi scutariorum, per quam de templo ad palatium descendebatur, sicut infra dicitur. Duxeruntq; regem de domo domini, & uenerunt per uiam portæ scutariorũ in palatium, & sedit super thronum regum, ubi etiam porta Syref, & domus Messa, quæ cum porta scutariorum nominantur, esse uidentur. Scutarios autem tutores regis appellat, testante libro Paralipomenon, qui cum Roboam scuta ærea pro aureis fecisse commemorasset adiecit, Et tradidit illa principibus scutariorum, qui custodiebant uestibulum palatiÿ. In quo uidelicet libro, distinctius hęc cuncta replicantur. Tertia pars uestrũ qui ueniunt ad sabbatũ sacerdotũ & leuitarum & ianitorũ, erit in portis: tertia uero pars ad domũ regis, & tertia in porta quæ

ta quæ appellatur fundamenti. omne uero reliquum uulgus sit in atrijs domus domini, ne quisq; alius ingrediatur domum domini, nisi sacerdotes, & qui ministrant de leuitis ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt, & omne reliquum uulgus obseruet custodias domini. Leuitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua, & cætera) Quod sequitur de eodem, produxitq; filium regis, & posuit super eum diadema, & testimonium in diademate insigne capitis regiũ: in testimonio designat decreta legis dei, quibus quid agere rex debeat, qualiter uiuere pręcipitur. Deniq; in libro uerborum dierum apertius: Et imposuerunt, inquit, ei diadema, dederuntq; in manu eius tenendam legem. & magnæ utiq; erat salutarisq; prudentiæ, ut per tyrannicæ impiæq; reginæ necem succedente in regnum filio regis legitimi, cum ipso regni habitu simul disciplina legis dei seruanda comitetur: & qui se prælatum regendo uideret, ipse se regendum diuinis legibus subdi debere meminisset. Quod instaurante templum domini tempore præfati regis Ioas dicitur: & non fiebat ratio his hominibus, qui accipiebant pecuniã, ut distribuerẽt eam artificibus, sed in fide tractabant eam. deuotionẽ ostendit eorum, de quibus sermo est, qui tantum studij in religione habuerint, ut nullus dubitauerit, quin pecuniam domini sine alicuius fraudis suspitione tractarent, & hanc de ærario sublatam fideliter artificibus ad muniendam domum, prout singulis opus esset offerrent. Posthæc mortuus est, inquit, Heliseus, & sepelierunt eum. Latrunculi uero de Moab uenerunt in terram ipso uidelicet anno. Quidam autem sepelientes hominem, uiderunt latrunculos, & proiecerũt cadauer in sepulchro Helisei: quod ambulauit cum tetigit ossa Helisei, continuoq; reuixit homo, & stetit super pedes suos) Latrunculi enim Moab figuraliter dæmones intelligendi sunt, qui ad incestum & omne opus execrabile uiciorum stimulis perurgent infelicium mentes. Qui uero mortuum sepeliebant, hij accipiendi sunt, qui ut Apostolus Iacobus ait, impios & peccatores ab errore uiæ suæ assidua exhortatione conuertunt ad tramitem pietatis & castitatis, animas eorum saluantes à perpetua morte, cooperiunt multitudinem peccatorum. Siue aliter. Sepelientes mortuum ac latrunculos fugientes illi merito appellandi sunt, qui pie uiuere uolentes in Christo, fugiunt ac declinant uicia uniuersa atque peccata, quia mortem uidelicet operantur: corporaq; in fontem projiciunt baptismi, in quo secundum Apostolum credentes sepeliuntur cum Christo, ut per communionem corporis & sanguinis eius deinceps possint uiuere cũ Christo. Quod dicitur de Amasia rege Iuda, ipse percussit Edom in ualle Salinarũ X milia, & apprehendit Petrã in prælio, uocauitq; nomen eius Iethel. Vallis Salinarũ erat, ubi sales faciebãt: uel fœno uidelicet salsuginis, ut multis in locis deciso, exsiccato & incenso: uel aquis puteorũ salis feruefactis, & usq; ad salis firmitatẽ coquẽdo pductis. uel alio quolibet ordine, quo sal fieri consueuit: in quo etiã loco Ioab XII milia Idumeorũ percussisse legitur.

De Amasia rege. XXIIII

Nec prætereundum quod pro ualle Salinarum uetus æditio quasi nomen regionis Gemela posuit. Petra autem ciuitas est Arabiæ nobilis in eadem terra Edom, quæ in libro Numerorum Recem dicitur, & à Syris hodieq; sic appellatur. Iecethel uero quod Amasias uictor ei nomen imposuit, interpretatur cœtus dei, uel auxilium dei, agente eo fideliter, ut perenni inderetur memoriæ, quod hanc uel cœtus populi dei, uel deo auxiliante ceperit.

De Ieroboam rege. XXV

Quod dicitur de Ieroboam rege Israel, ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, Emath quæ nunc Epiphania dicitur, septentrionalis erat terminus Israel. Mare autem solitudinis quod Hebraice dicitur Araba, mare mortuum designat, quod in longitudine per stadia DLXXX usque ad Zoaras Arabiæ, in latitudine per MCL usque ad uicinia Sodomorum pertēditur.

De colonis in Samariam ab Assyrijs. XXVI

Quod dicitur de his quæ in Samariam à rege Assyriorum adductæ sunt nationibus, & unaquæq; gens fabricata est deum suum, posueruntq; eos in fanis excelsis, quæ fecerat Samaritana gens, & gens in urbibus suis, in quibus habitabant. Viri enim Babylonij fecerunt Sochot Benoth: uiri autem Chuteni fecerunt Nergel, & uiri de Emetha fecerunt Asima, porrò Euei fecerunt Nebaaz & Tharthæ. In libro quidem locorum legitur, quod Benoth & Nergel fuerunt ciuitates quas construxerunt in regione Iudeæ Samaritani, qui de Babylonia transierant. Asima quoque oppidum, quod ædificauerunt qui ad eam uenerant de Emath. Nebaaz etiam & Thartha ciuitates quas Euei in eadem Iudeæ terra condiderunt. Videtur autem iuxta consequentiam sermonis, etiam idolorum, quibus hæ gentes prius in terra sua seruierunt, hic posse intelligi uocabula: quia cum dictum esset, & unaquæq; gens fabricata est deum suum, quasi ad expletionē sententiæ subiunctū est. Viri enim Babylonij fecerunt Sochot, id est tabernacula Benoth. & melius, ni fallor, faceret interpres, si Sochot latine in tabernacula uerteret, & nomen idoli Benoth absolute poneret. & sicut in sequentibus manifeste dicitur: hij autem qui erant de Sepharuaim, comburebant filios suos igni Adremelech & Anamelech dijs Sepharuaim, ubi ostenditur Adremelech & Anamelech idola fuisse urbis Sepharuaim: ita uidetur consequens, ut etiam Nergel Chuthenorum, Asima Emethanorum, Nebaas & Thartha idola fuerint Eueorum.

De Sennacherib. XXVII

Anno XIIII regis Ezechiæ ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes ciuitates Iudæ munitas, & cepit eas &c.) Historia manifesta est, & interpretatione non indiget. In uerbis autem Rapsacis arrogantia consideranda est, quæ uelut contraria quædam fortitudo imitatur consuetudinem prophetarum: ut quod illi solēt in prologis ponere, hæc dicit dominus, quo autoritatē & magnitudinem loquentis ostendant, iste nunc dixerit, hæc dicit rex magnus rex Assyriorum. Consideremus uerba Rapsacis, ac primū quod dicit: confidis super baculū arundineum confractum istum, super Aegyptum, falsum est. Nulla enim narrat historia, quod Ezechias ad Aegyptios miserit, & Pharaonis auxiliū postu-

postularit. Quodq́ infert, si responderis mihi, in domino deo nostro confidimus, uerum est: sed rursum iungit mendacium ueritati, quod abstulerit Ezechias excelsa illius & altaria: hoc enim non contra dominum, sed pro domino fecerat, ut idololatria & ueteri errore destructo, iuberet dominum adorare in Hierusalem, ubi erat templum eius. Quodq́ paucitatem obsessorum uolens ostendere, equos duo milia pollicetur, quorum Ezechias ascensores præbere non posset, non de imbecillitate uenit Iudæorum, qui equitandi carebant scientia: sed de obseruatione mandatorum dei, qui per Moysen super regem præceperat Israel, Non multiplicabit sibi equos, & uxores plurimas non habebit. Ad id autem quod dixerat, si responderis mihi in domino deo confidimus, callide prudenterq́ respondit, se non sua uoluntate, sed domini uenisse præceptis. Et dixit Eliachim & cæteri ad Rapsacen. Loquere ad seruos tuos Syra lingua, si quid intelligimus & cætera) Accusatio Rapsacis Ezechiæ testimonium est, quod captis cunctis urbibus Iudeæ, in domino deo confisus sit, dixeritq́ ad populũ. Nolite timere, nec paueatis regem Assyriorum, & uniuersam multitudinem quæ est cum eo. Multo enim plures nobiscum sunt quàm cum illo. Cum illo est brachium carneum, nobiscum dominus deus noster, qui auxiliator est nostri, pugnatq́ pro nobis. Et cõfortatus est, inquit, populus huiuscemodi uerbis Ezechiæ. Vnde Rapsaces destrũere uult quod ille construxerat, & loquitur ad populum: Non seducat uos Ezechias, & non uobis tribuat fiduciam super domino deo. Rursumq́ adijciens comminationem & terrorem: ut comedant, inquit, stercora sua, & bibant urinam pedum suorum uobiscum: per quæ ostẽdit fame eos & penuria sitiq́ esse capiendos: simulq́ illecebram iungit formidini, ut quos terrore non uicerat, repromissionibus & persuasione decipiat dicens. Facite mecum quod est utile.) Ergo sensus est. Facite, inquit, quod uobis prosit, & in benedictionem uestram proficiat. Siue hoc dicit: Benedicite regi Assyriorum, & laudate eum ut dominum, confitemini, ut præmia consequamini. Et donec reuertar de Aegypto, siue capta Lomna redeam, habitate in urbe uestra, & rebus uestris fruimini, postea autem ueniam & transferam uos in terram quæ similis est terræ uestræ. Quidam putant terram eis Mediæ repromitti, quæ habebat terræ Iudeæ similitudinem, tam in situ, quâm in frugibus. Quodque infert, ubi est deus Emath & Arfath & Sepharuaim, nunquid liberauerunt Samariam de manu mea, ostendit omnium ciuitatum siue gentium dijs seruisse Samaritas: & quia non erant dij, sed idola, merito cultores uanitatis, ut decebat esse submersos ostendit. Est autem urbs Cœlesyriæ, quæ nunc Epiphania dicitur, iuxta Emesan, ut supra monuimus. Arphat urbs Damasci, quam expugnatam à rege Assyriorum etiam Hieremias scribit. Sepharuaim quod numero plurali libros uel literas sonat, nomen est locorum, de quibus Assyrij transmigrantes habitauerunt in Samaria, ut in locorũ libris inuenimus.

Verum

Verum in Esaia hoc quoq; uocabulum esse ciuitatis apparet, ubi aperte dicitur, Vbi est deus urbis Sefarfaim. Tametsi pluraliter dictum, ut Thebarũ, Athenarum. Pro Ana & Aua, uetus editio quasi unius urbis nomẽ Ana & Aua posuit, & quidẽ in Hebræo ita scriptum est. Verum quia syllaba u, quæ in medio nominis posita est, coniunctionẽ apud eos significat, potest etiam ita distingui ut dicatur Ante & Gaue, ut Aquila trãstulit, siue Ana & Anua ut noster uertit interpres. Tacuitq; omnis populus, & nõ respõdit ei quicquã. Siquidẽ præceptũ regis acceperant, ut non responderent) Vere iustus Ezechias agebat cuncta fideliter, uniuersa cum consilio. Ideo enim iusserat blasphemanti Assyrio non respõdere, ne eum ad maiores blasphemias prouocaret. Et ingressus est Eliachim & cæteri cũ eo ad Ezechiã scissis uestibus. Perspicua relinquentes, ea tantũ in quibus latens sensus est disseramus. Scindit uestes, quia Rapsacen audierant blasphemantẽ. Scindit & ipse rex uestimenta sua, quia peccatorum suorũ & populi esse credebat, quod Rapsaces usq; ad portas Hierusalẽ uenerit, & cõtra dominũ talia sit locutus, Pro regio ergo cultu obuolutus est sacco, & de palatio ad templũ gradiens, Heliachim pontificẽ, & Sobnam scribã, & seniores de sacerdotibus, misit ad Esaiã filiũ Amos prophetã. In quo regis consideranda est humilitas, atq; prudentia. Ipse pergit ad templũ, principes populi & senes sacerdotum non stolis sacerdotalibus, sed ciliciis coopertos, mittit ad Esaiã prophetã filiũ Amos. Dixerunt, inquit, ad eũ. Hæc dicit Ezechias. Dies tribulationis & corruptionis, & blasphemiæ; dies hæc tribulationis nostræ, corruptionis dei, blasphemiæ hostiũ. Ponitq; similitudinẽ parturientis mulieris & dolentis, quod uenerũt filii usq; ad partũ, & uires nõ habent parturientes. Hæc iuxta literã peccatis facientibus uidemus, quia cũ hostes irruũt defensores nostri pręparãtur, sed nullatenus ad præparata cõualescunt. Scriptũ namq; est, Requiescet super eum spũs cõsilii & fortitudinis. Quæ utraq; necessario sibi iuncta sunt, quia neq; uirtus sine cõsilio esse utilis ualet, neq; cõsilium sine uirtute. Quid igitur prosunt qui per cõsiliũ præparant, dum ad præliũ per fortitudinẽ nõ procedunt? Afflictus igitur atq; turbatus Ezechias rex loquit dicens. Dies tribulationis & blasphemię dies iste, uenerũt filii usq; ad partũ, & uires nõ habet parturiens. Filii quippe usq; ad partũ ueniunt, quãdo apta cõsilia usq; ad desiderium efficiendi operis procedunt: sed uirtutẽ nõ habet parturiẽs, dũ infirmus quisq; cõsilia hæc ad utilitatẽ aliquã per partũ operis nõ pducit. Sequitur. Si forte audiat dñs deus tuus uniuersa uerba Rapsacis, quẽ misit rex Assyriorũ dñs suus) Non enim audem⁹ dñm omniũ, nostrũ dominum dicere, quo irascente tanta patimur: sed tuũ dicimus dominũ, & hanc habemus ultionis fiduciam, quoniã uiuens deus blasphematur à cultore idolorũ mortuorum. Cumq; uenissent serui regis Ezechiæ ad Esaiã, pręuenit eos Esaias, & iam absentem regem audierat, & dicit quid respõdere deberent domino suo, humilitate mixta fiducia conscientiæ. Dicite, inquit, domino uestro,

qui ue

qui uester est dominus, meus enim hæc dicit dominus. Noli timere uerba, quibus non tu sed ego sum blasphematus. Ecce ego mittam ei spiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terram suam, & deijciam eum gladio in terra sua) Vt duo pariter Ezechias quæ optabat audiret, se de obsidione & periculo liberandum, & inimicum iratumq́ regem in sua terra esse moriturũ. Reuersus autem Rapsaces, inuenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam, & cætera. Pugnasse autem Sennacherib regem Assyriorum contra Aegyptios, & obsedisse Pelusium, iamq́ extructis aggeribus urbe capienda, uenisse Thracam regem Aethiopum in auxilium, & una nocte iuxta Hierusalem CLXXXV milia exercitus Assyrij pestilentia corruisse narrat Herodotus, & plenissime Verosus Chaldaicę scriptor historiæ. Itaq; cum accepisset Ezechias literas de manu nuntiorum, & legisset eas, ascendit in domum domini, & expandit eas coram domino, & cætera.) Contra Sennacherib regis blasphemias solita Ezechias arma arripuit, rursumq́ pgit ad templum, & epistolas expandit coram domino, audacter dominum deprecatus, & solum deum asserit esse uiuentem, per quem idola intelligimus imaginem mortuorum. Misit autem Esaias ad Ezechiam dicens. Hæc dicit dominus deus Israel. Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audiui. Iste est sermo quem locutus est dominus de eo. Spreuit te & subsannauit uirgo filia Sion, post tergum tuum caput mouit filia Hierusalem.) Quia tam audacter Ezechias dominum deprecatus est, nec misit ad Esaiam, ut prius miserat, non ipse propheta pergit ad eum, sed mittit nuntios qui ei dicerent uerbum dei. Supra Sennacherib contra quem rogas, domini ista sententia est. Virgo filia Sion & filia Hierusalem, quæ ideo uirgo appellatur & filia, quia cunctis gentibus simulachra adorantibus, hæc sola conseruat castitatem religionis dei, & unius diuinitatis cultum. Subsannauit te atq; despexit, & quæ ne ad maiores te blasphemias concitaret, præsenti nõ respondebat, post te abeunte mouebit caput suum, certa de ultione, secura de pœna. & hæc locutus est. Non contra me, sed contra dominum superbisti, nec ipse per te, sed per seruos tuos, ut maior esset arrogantia blasphemantis. Dixisti enim quod in quadrigarum tuarum multitudine ascenderis altitudinem montium, & iuga Libani succideris, cedros atque abietes illius: quæ uel de cunctis gentibus metaphorice principibusq́ earum debemus accipere: uel Hierusalem quæ interpretatur Libanus, ut cedros eius atque abietes ad potentes quoque & optimates, altitudinem uero summitatis illius, saltumq́ Carmeli referamus ad templum. Quodq́ infert, ego fodi & bibi aquã, & exsiccaui uestigia pedis mei omnes riuos aggerum: hoc intelligi potest iuxta historiam, quod pro multitudine exercitus omnia fluenta siccauerit, ut puteos sibi fodere sit compulsus: iuxta translationem, quod omnes populos qui sub aquarum nomine interdũ scribuntur, suo uastaret exercitu. Nunquid non audisti quæ olim fecerim ex diebus antiquis? Ego

plasmaui

plasmaui illud,& nunc adduxi. Eruntq; in columnam collium pugnantium ciuitates munitæ,& qui sedent in eis humiles manu contremuerunt,& confusi sunt. Facti sunt quasi fœnum agri,& uirens herba tectorum: quæ arefacta est antequam ueniret ad maturitatem. Habitaculum & egressum tuum, & uiam tuam ego præsciui,& furorem tuum contra me, Insanisti in me, & superbia tua ascendit in aures meas) Hæc ex persona domini cōtra uerba Assyrij sentienda sunt,quod ad blasphemiā eius sic respōderit dominus. Num ignoras quod hæc quæ fecisti mea feceris uoluntate,& ego hæc futura prædixerim ac per te faciēda mandauerim. Itaque quod olim decreueram hoc expletum est tempore,ut colles,id est,principes qui inter se pugnabant,& ciuitates munitissimæ me contrahente manum meam, nec solitum præbente auxilium eradicarentur,& contremiscerent ac perirent,& cōpararentur non oliuæ & uineæ fructuosisq; arboribus,sed fœno & gramini herbisq; domatum quæ frugibus impedimenta sunt,& ante marcescunt quàm ad maturitatem perueniant. Itaq; sessionem & egressum & introitum tuū ante cognoui,& insaniam qua contra me debacchaturus eras,prophetis uaticinantibus sum locutus,per quos olim dicturum esse te noueram, in cœlum ascendam super sidera cœli ponam thronum meum,eroq; similis altissimo. Itaq; furor tuus & superbia tua peruenit in aures meas, & nequaquā te ultra portabo, ut intelligas quod potuisti,non tuis te potuisse uiribus,sed meo arbitrio. Merebantur enim impiæ gentes & infructuosæ arbores, ut per te quasi securim & serram meam succiderentur & caderent. Ponam itaque circulum in naribus tuis,& chamum in labijs tuis, ut blasphemantium ora constringam,& nequaq; ultra talia loqui audeas,frenumq; inijciam labijs tuis, quod tuam ferocitatem domet,& te reducat in Assyrios. Tibi autem Ezechia hoc erit signum, Comede hoc anno quæ repereris, & in anno secundo quæ sponte nascuntur,porrò in anno tertio seminate & metite,plantate uineas, & comedite fructum earum) Omnia hæc propheta per nuntios ad Ezechiam loquitur,quid Sennacherib dixerit, quid ei dominus responderit: non ad ipsum sermonem facit,ne forsitan dubitet futura quæ dicta sunt.& idcirco uel maxime prophetæ apud populum sermonum suorum habebant fidē, quia nō solum de his quæ multa post secula futura erant,sed etiam quæ in continēti & post non grandis temporis spaciū essent implenda memorabāt, & quod intra biennium & rex Assyriorum interiret,& urbi Hierusalem securitas redderetur. Hoc erit signum eorum quæ futura pronuntio, quod hoc anno ea comedas quæ repereris,anno autem secundo quæ sponte nascūtur, in anno autē tertio fugato iam Assyrio & obsidione laxata,seminate & metite,plantate uineas & comedite fructus earum: siquidē urbis huius reliquiæ quę nūc hostili uallantur exercitu,& euasuras esse non credūt, tantā recipient rerum omnium abundantiā ac felicitatē, ut instar arboris alta radice fundatæ pomis densissimis impleantur. Et quodcunq; reliquum fuerit de domo Iuda,

mittet

mittet radicem deorsum & faciet fructum sursum. Quid hoc loco radicum nomine nisi latentes cogitationes accipimus, quæ in occulto prodeunt, sed in ostentatione operis per apertum surgunt. Radicem ergo deorsum mittere, est cogitatione bonam in abditis multiplicare. Fructum uero sursum facere, est efficacia operis recta quæ cogitauit ostendere. Mittit ergo radicem deorsum ut faciat fructum sursum, ac si aperte diceretur: in imis cogitatio nascitur, ut in summis retributio reddatur. De Hierusalem etenim & de monte Sion egredientur reliquiæ, & implebunt terram Iudæam, non suo merito, sed dei misericordia, imò zelo quod aduersus impios zelatus est populum suũ. Quod autem ad extremũ infert, propter me & propter Dauid seruum meum, illud significat, quod non merito suo sed dei clementia conseruentur, imò patris eorũ Dauid memoria, in quo admonentur & suæ negligentiæ & illius fidei atque iustitiæ, quod in tantũ iusticiam diligat deus, ut etiam posteros hominum sanctorum, non suo merito sed maiorum uirtute tueatur. Factum est igitur in nocte illa, uenit angelus domini & percussit castra Assyriorum CLXXXV milia.) De hoc quoqꝫ in Paralipomenon legitur, Et misit dominus angelum qui percussit omnem uirum robustum & bellatorem & principem exercitus regis Assyriorũ, reuersusqꝫ est cum ignominia in terrã suam. CLXXXV milia fortissimorum uirorum ab uno angelo una nocte cęduntur, & absque uulneribus occisorum mors sæua discurrit, excludens à corporibus animas domini uoluntate: & ipse rex Assyriorum idcirco seruatus est, ut sciret potentiam dei & blasphemantia ora comprimeret, fieretqꝫ testis illius maiestatis quem paulo ante contempserat. De talibus autem rebus agit multa omnipotens deus per angelos, non ut ipse ab eis discat, sed ut ab illo ipsi per uerbum eius agant aut nuncient sine corporali sono etiam quod uoluerit, ab eo missi ad quos uoluerit, totum ab illo per uerbũ illud eius audientes, id est, in eius ueritate inueniẽtes, quid sibi faciendũ, quid quibus quãdo nunciandũ sit. Sed tamen non ex angelis homines, sed ex seipso sicut angelos ita homines beatificat: nec aliqua ex aliquo tẽpore, aut ab angelis, aut ab hominibus cognouit ut nosset, sed futura omnia tẽporalia, atqꝫ in eis etiã quid & quando ab illo petituri fueramus, & quos & de qbus rebus uel exauditurus, uel nõ exauditurus esset sine initio ante prępsciuit. Vniuersas autẽ creaturas suas & spiritales & corporales nõ quia sunt ideo nouit, sed ideo sunt quia nouit. Cumqꝫ diluculo surrexisset, uidit omnia corpora mortuorũ & frendens abijt, & reuersus est Sennacherib rex Assyriorum & mansit in Niniue. Cumqꝫ adoraret in templo Nesrach deum suum, Adramelech & Sarasar filij eius percusserũt eum gladio, fugieruntqꝫ in terram Armeniorũ, & regnauit pro eo Asorathan filius eius.) Cum enim rex iste reuersus esset Niniuen urbẽ sedem regui sui, & adoraret in templo Nesrach deum suum, quasi uictoriam de hostibus reportaret, & delubrũ idoli sui triumphator gratulabundus ingrederetur, contemptor ueri dei in fano falsi numinis trucidatꝰ, nec angeli perijt gladio quod

erat cōmūne cum pluribus, sed parricidio filiorū qui fugierūt in terram Ararath, in qua scriptura Asorathan filium eius qui regnauit pro eo testatur misisse habitatores Samariæ ne terra remaneret inculta. Ararath autem regio Armeniorū campestris, per quā Araxis fluuius fluit, incredibilis est ubertatis, ad radices Tauri montis, quæ usque illuc extenditur. Ergo & arca in qua liberatus est Noe cum liberis suis, cessante diluuio nō ad montes generaliter Armeniæ delata est, quæ appellat̃ Ararath, sed ad montes Tauri altissimos, qui Ararath imminent campis. In diebus illis ægrotauit Ezechias usq; ad mortem, & uenit ad eum Isaias filius Amos prophetes, dixitq; ei: Hæc dicit dominus, Dispone domui tuæ, morieris enim tu & non uiues.) Quem diligit dominus corripit, castigat omnem filium quem recipit. Ne eleuaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, & uictoriam de media captiuitate, infirmitate corporis uisitatur, & audit se esse moriturum, ut conuersus ad dominū flectat sententiam eius, sed nulla quæ in hoc mundo hominibus eueniunt, absq; omnipotentis dei occulto consilio fiunt: nam cuncta deus futura præsciens, ante secula decreuit qualiter per secula disponantur. Statutum quippe iam homini est uel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, uel quantum unumquenq; aduersitas feriat, ne electos eius aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Statutū quoq; est in æterna ueritate quantum in ista uita mortali unusquisq; temporaliter uiuat, quia & si annos XV Ezechiæ regi ad uitam addidit, omnipotens tamen deus, cum eum mori permisit, tunc eum præsciuit esse moriturū. Qua in re quæstio oritur, quo modo ei per prophetam dicatur: Dispone domui tuæ quia morieris tu & non uiues, cui mortis sententia dicta est, sed protinus ad eius lachrymas est addita uita. Sed per prophetam dominus dixit quo tempore mori ipse debebat, per largitatem uero misericordiæ illo eum tempore à morte distulit, quo ante secula ipse præsciuit. Nec propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo uir ille mori merebatur: nec dominica instituta conuulsa sunt, quia ut largitate dei anni uitæ crescerent, hoc quoq; ante secula præfixum fuit, atque spacium uitæ quod inopinate foris est additum, sine augmento præscientiæ fuit intus statutum. Conuertitq; Ezechias faciem suam ad parietem.) Quia ad templum ire non poterat, ad parietem templi iuxta quod Salomon palatium extruxerat: uel absolute ad parietem ne lachrymas suas assidentibus sibi ostentare uideretur. Et ait, Obsecro domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te in ueritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.) Perfectionē cordis nunc in eo dicit quod idola destruxerit, templi ualuas aperuerit, serpentem æneum cōminuerit, & cætera fecerit, quæ scriptura libri Regum & Paralipomenon cōmemorat. Fleuitq; fletu magno.) Propter promissionem domini ad Dauid, quam uidebat in sua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat, post tertium enim annum concessæ uitæ, Manassen genuit. Ergo iste omnis est fletus, quia de-

De XV annis ægroto Ezechiæ additis XXVIII

ſperauerat Chriſtum de ſuo ſemine naſciturum. Plerunque enim iuſti aliqui-bus neceſſitatibus afflicti ſua opera coguntur fateri, ſed cum eorum dicta in-iuſti audiũt hæc per elationem potius quàm per ueritatẽ exiſtimant prolata: ex ſuis enim cordibus uerba iuſtorum penſant, & dici humiliter poſſe uera bona non exiſtimant. Sicut enim grauis culpa eſt ſibi hoc hominẽ arrogare quod non eſt, ſic plerunq; culpa nulla eſt, ſi humiliter bonum dicat quod eſt. Vnde ſæpe contingit ut iuſti & iniuſti habeant uerba ſimilia, ſed tamen cor ſemper longe diſſimile: & ex quibus dictis dominus ab iniuſtis offenditur, in eiſdem quoque à iuſtis placatur. Nam phariſæus ingreſſus templum dice-bat, Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo, ſed iuſtificatus magis publicanus quàm ille exijt. Ezechias quoq; rex cum moleſtia corporis afflictus ad extremitatem ueniſſet, in oratione compunctus dixit: Obſecro domine memento quomodo ambulauerim coram te in ueritate, & corde per-fecto. Nec tamen dominus hanc confeſſionem perfectionis eius deſpexit, aut renuit, quem mox in ſuis precibus exaudiuit. Ecce phariſæus ſe iuſtifi-cauit in opere, Ezechias iuſtum ſe aſſeruit etiam in cogitatione, atq; unde ille offendit, inde iſte domino placuit. Cur itaque hoc niſi quia omnipotens deus ſingulorũ uerba ac cogitationes penſat, & in eius auribus ſuperba non ſunt, quæ humili corde proferuntur. Et factum eſt uerbũ domini ad Eſaiam di-cens: Reuertere & dic Ezechiæ duci populi mei. Audiui orationẽ tuam, uidi lachrymas tuas. Ecce ego ſanaui te, die tertio aſcendes templum domini.) Vocatur quoq; Ezechias dux populi & filius Dauid, cuius opera ſectabatur. Fecerat enim rectum iuxta omnia quæ fecit Dauid pater eius, & auditur eius oratio: uidenturq; lachrymæ quomodo ambulauerat coram domino in ue-ritate & corde perfecto, & fleuerat fletu magno, & quod placitũ eſt in oculis eius fecerat. Et addam diebus tuis XV annos, ſed & de manu regis Aſſy-riorum liberabo te & ciuitatem hanc, protegam urbem iſtam propter me & propter Dauid ſeruum meum.) Secundum quaſdam cauſas futurorũ mori-turus erat Ezechias, cui deus addidit XV annos ad uitam, id utique faciens quod ante conſtitutionem mundi ſe facturum eſſe præſciebat, & in ſua uo-luntate ſeruabat. Non ergo id fecit quod futurum non erat, hoc enim magis erat futurum quod ſe facturum eſſe præſciebat: tamen illi anni additi non recte dicerentur, niſi ad aliquid adderẽtur, quod ſe aliter in alijs cauſis habue-rat. Secundum aliquas igitur cauſas inferiores iam uitam finierat: ſecundum illas autem quæ ſunt in uoluntate & præſcientia dei, qui ex æternitate noue-rat quid illo tempore facturus erat, & hoc uere futurum erat, tunc erat finitu-rus uitam quando finiuit uitam: quia & ſi oranti conceſſum eſt, etiam ſic eum oraturum ut tali orationi concedi oporteret ille utique præſciebat cuius præ-ſcientia falli non poterat, & ideo quod præſciebat, neceſſario futurum erat. XV anni Ezechiæ regi miſerante deo protelati ad uitam ſunt ei, myſtice figu-rantes, quia quicunq; utriuſq; teſtamenti plenitudinem cuſtodiunt, æternæ

salutis præmium consequuntur,ac per legis consummationẽ & Euangelij ple nitudinem ad uitæ æternæ transeunt beatitudinem. Dixitq; Esaias, Afferte mihi massam ficorum: Quam cum attulissent & posuissent super ulcus eius sanatum est.) Ac per hoc non spernendam esse medicinam quæ usu constet & experimento, quia & hanc fecerit deus. Post hæc ait Esaias: Hoc erit signum à domino, quod facturus sit dominus sermonem quem locutus est. Vis ut ascendat umbra decem lineis, an reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile est umbram crescere decem lineis, nec hoc uolo ut fiat, sed ut reuertatur retrorsum decem gradibus. Inuocauit itaque Esaias propheta dominum, & reduxit umbram per lineam quibus iam descenderat in horologio Achaz decem gradibus.) Idem nomen graduum quod & linearum significat, id est, distinctionem horarum, quas duodecim per diem in horologio notare solemus. Ita erant extructi gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens, horarum spacia terminaret. Erat autem hora diei decima, quando hæc regi loquebatur. Vis ergo, inquit, ut ascendat umbra decem lineis procedente sole super terram per Boreales plagas usque ad orientem, quod subtus terram cotidiana consuetudine cursus sui erat facturus: an ut reuertatur umbra totidem gradibus conuersa retrorsum, sole ipso quoque per Australem plagam ad orientem regresso. At rex facile est, inquit, umbram crescere decem lineis, nec hoc uolo ut fiat, sed ut reuertatur retrorsum decem gradibus. Vidit nanque quia maioris miraculi esse poterat, si sol contrarium suo mori cursum ageret, q; si consueto processu incedens, tametsi multo altius, id est, supra terras elatus ad orientem, quasi secundi diei mane nulla intueniẽte nocte facturus aduolaret. Nam & hoc qui in insula Thyle, quæ ultra Britanniam est, in ultimis Scytharũ finibus degunt, omni æstate diebus aliquot fieri uident: quia sol cætero orbi in occasu & sub terra positus, nihilominus tota nocte supra terram appareat, & quomodo aperte occidens ad orientem humilis redeat manifeste uideatur, donec tempore oportuno denuo toto orbi cõmuni exortu reddatur: sicut & ueterum historiæ & nostri homines æui, qui illis de partibus adueniunt abundantissime produnt. Nunquam autem hij qui interiora Austri incolunt, uidere solem per meridianas plagas queunt ad orientem ab occasu redire. Vt manifestiorem enim sensum legentibus faceret, quod signum & præsentis temporis & futuri typus erat, ut quomodo sol reuertebatur ad exordium sui, ita & Ezechiæ uita addita annos redderet, nobis quoque in hebdomade & ogdoade uiuentibus, per resurrectionem Christi uitæ spacia protelentur. Vel certe decem gradus in descensu solis, temporum ordines sunt per quos umbra figurarum Christi descenderat, & per quos iterum sol iustitiæ Christus per resurrectionem ascendit. Primus itaque gradus descensionis in angelis fuit in quo antiquis patribus apparere dignatus est, quia magni consilij nuncius erat. Deniq; & ad Iacob sic loquitur: Et dixit, inquit, angelis dei, Ego sum deus cui unxisti titulum &

uouisti

uouisti uotum,ut & angelum & deum ostenderet. Secundus gradus descen-
sionis in patriarchis fuit, quia in omnibus,ut apostolus ait,ipse est operatus.
Tertius in legis datione, quia & in lege ipse locutus est. Quartus gradus in
Iesu Naue,qui populum in terram repromissionis introduxit.Quintus in iu-
dicibus, quia eundem populum per eos ipse regebat. Sextus in regibus Iu-
dæorum, quia in eis ipse regnabat. Septimus in prophetis, quia per eos est
nunciatus. Octauus in pontificibus, quia ipse summus sacerdos est patris.
Nonus in homine.Decimus in passione. Per hos enim gradus decem quos
ipse per umbram legis Christus descendit, ac rursus post resurrectionem su-
am sol iustitiæ Christus per eosdem gradus ascendit in cœlum, & omnem
illam umbram legis ueritatis radijs illustrauit, obscura reuelans, clausa rese-
rans,& omnia tecta denudās. In tempore illo misit Marodachaladan rex
Babylonis literas & munera ad Ezechiam, audierat enim quod ægrotasset.
In tempore illo,hoc est,in eodem anno quo hæc gesta sunt quæ superius nar-
rātur,misit Marodachaladan rex Babylonis libros & munera ad Ezechiam,
quia apud eos astrorum obseruantia est stellarumq; cursus longo usu & ex-
ercitatione cognitus, quod & in dei natiuitate monstratur. Intellexerunt so-
lem reuersum, diei spacia duplicata, seruire ei quem solum deum putabant.
Cumq; causas huius miraculi rationemq; perquireret, fama per omnes gen
tes uolitante, didicerunt propter ægrotationem regis Iudæ etiam cursum si-
gni clarissimi cōmutatum. Quod etiam liber Paralipomenon plenissime te-
statur dicens.Ipse est Ezechias qui fecit in omnibus suis prospere quæ uoluit:
attamen in legatione principum Babylonis qui missi fuerunt ad eum ut in-
terrogarent de portento quod acciderat super terram, reliquit eum deus ut
tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius. Idcirco autem ten-
tationi relictus est, quia post tantam uictoriam & solis regressum & congra-
tulationem regni potentissimi cor illius elatum est. Denique in eodem uolu
mine scribitur. Multi deferebant hostias & sacrificia domino in Hierusalem,
& munera Ezechiæ regi Iudæ, & exaltatus est coram cunctis gentibus. In
diebus illis ægrotauit usque ad mortem,& orauit dominū & exaudiuit eum,
& dedit ei signum: sed non iuxta beneficia quæ acceperat retribuit quia ex-
altatum est cor eius, & facta est contra eum ira & contra Iudam & Hierusa
lem. Rursumq; scriptura sancta elationem cordis eius dicit pœnitentia mi-
tigatam inferens: & humiliatus est postea eo quod exaltatum esset cor eius
tam ipse quàm habitatores Hierusalem: & idcirco non uenit super eos ira do
mini. In diebus illis Ezechias lætatus est in aduentu legatorum Maroda- *De Ezechiæ diuitijs per iactationem ostentatis* XXIX
chaladan, quem patrem fuisse Nabuchodonosor Hebræi autumant, & in
oblatione munerum & congratulatione sanitatis suæ, Ostenditq; eis domū
aromatum suorum,& thesauros argenti & auri & odoramentorū & ungenti
optimi, & omnes thesauros uasorum suorum: non fuit res quam non osten-
derit eis in domo sua, & in omni potestate sua.) Vnde iram dei iustissime

 merebatur,

merebatur, quod non solum thesauros suos atque palatij, sed & templi osten-
deret: quod certe fuit potestas eius de cuius ualuis aureas laminas ante iam
tulerat. Introiuit autem Esaias propheta ad regem Ezechiam.) Rursumque
post corporis sanitatem & signi magnitudinem offerri cernimus aliam occa-
sionem superbiæ, quam ut prudens & dei cultor uitare debuerat, nec mōstra-
re alienigenis diuitias suas, quas deo tribuente possederat: ex quo iuxta legis
tropologiam, discimus non mittendas margaritas ante porcos, nec dandum
sanctum canibus. Qui enim fidelis est, spiritu abscondit negotia: & quicun-
que hoc non fecerit, omnis uirtus illius eneruatur, peritque posteritas: & amis-
so uirili robore, in muliebrem redigitur mollitudinem. Ingreditur ergo E-
saias ad regem, & quasi nescius sciscitatur, Quid dixerunt uiri isti? & unde
uenerunt?) Duo interrogat: quid loquuti sunt, & unde uenerunt. Ille ad
unum respondit, altero prætermisso. De terra longinqua uenerunt ad
me, de Babylone.) Quod quanto terra longior sit unde uenerunt, tanto iste
rex gloriosior propter quem uenerunt. Et uenerunt, inquit, ad me: quod de-
buerat dicere, Venerunt ad glorificandum deum, pro signi magnitudine de
Babylone, quæ urbs in toto orbe potētissima est. Rursumque Esaias, Quid,
inquit, uiderunt in domo tua?) Et ille respondit ex parte uerum, quod omnia
uiderint in domo illius: nec fuerit res quā non ostenderet eis in thesauris suis:
sed alterū tacuit, de quo uerebatur offensam, quod ostenderit eis cuncta quæ
haberet in potestate sua, haud dubium quin & templi supellectilem. Propter
quæ Esaias dei sermone profert sententiā: Audi uerbū domini exercituum:
Veniet tempus quando omnia hæc quæ in domo tua sunt, & non tuo, sed pa
trum tuorum labore quæsita, in Babylonem transferantur, & de semine tuo
fiant eunuchi in aula regis.) Ex quo Hebræi uolunt Danielem, Ananiam, Mi
sahelem, & Azariam, qui fuerunt de regio semine, factos esse eunuchos: quos
in ministerio fuisse Nabuchodonosor non dubium est. Eunuchos enim, id est
abscisos, non negamus aliquos fuisse de semine regio in palatio regis Babylo
nis, iuxta propheticum beati Esaiæ: Daniel & socios eius credendū nullo mo-
do est: quod si essent, de pulchritudine corporis & aspectu illorum non time-
ret dux ille, qui eos adhuc pueros erudiebat: quia species faciei solet deperire
in pueris abscisis. Fuit autem consuetudo & apud antiquos, eunuchos uocare
cubicularios & custodes palatij, qui uxores habebant, & abscisi corpore non
fuerunt. Dixitque Ezechias, Bonum uerbū domini quod locutus est: fiat tan
tum pax in diebus meis.) In quo ab Hebræis reprehenditur, cur non sit imi-
tatus bonitatē Moysi, qui locutus est ad deum, Aut dimitte eis hanc noxam,
aut si nō facis, dele me de libro quē scripsisti. Quid hoc loco prophetæ senten
tia contra Ezechiam regem, nisi arrogātium hypocritarum cogitationes suas
in exquirēda hominum admiratione significat? Per omne enim quod hypo-
critæ faciunt, occultis cogitationibus laudes hominum requirunt. Operaturi
quippe

quippe laudes suas cogitant, laudati autem secum taciti in cogitationibus uer sant, gaudent se precibus in humana ueste actione claruisse. Cumq; inflati fa uoribus apud semetipsos intumescunt, sæpe mirantur taciti etiam ipsi quod sunt: uideri quotidie semetipsis altiores cupiunt, ac miris inuentionibus in o/pere excrescunt: quia sicut uirtutes omne uitium eneruant, sic arrogantia ro/borat. Cogit namq; mentem iuuenescere, & contra uires ualere: quia & quod negat uigor ualetudinis, imperat amor laudis. Vnde & factis suis, ut dixi/mus, arbitros inquirunt: si uero operi testes deesse contingat, narrant ipsi quæ gesserint. Cumq; efferri fauoribus cœperint, sæpe eisdem operibus suis, quæ egisse se referunt, mentiendo aliquid adiūgunt. Cum uero & uera dicunt, hæc dicendo aliena faciūt: quia quæsitis remunerati fauoribus, à uera & intima re/tributione uacant. In eo enim quod bona sua patefaciunt, ostēdunt malignis spiritibus, quasi insidiantibus hostibus, unde prædentur. Horum ergo uitam, illa cunctis notissima Ezechiæ culpa figurauit. Qui postquàm una prece, & sub unius noctis spatio, centum octogintaquinq; milia hostium, angelo feri/ente prostrauit, postquàm occasui proximū ad altiora cœli spacia solem redu xit: postquàm uitam propinquante iam termino coarctatam in tempora lon giora protelauit: susceptis Babylonici regis nuntijs, bona omnia quæ possi/debat ostendit: sed prophetæ protinus uoce audiuit, Ecce dies ueniunt, & au/ferentur omnia quæ in domo tua sunt, in Babylonem, & nō relinquetur quic/quam, dicit dominus. Sic nimirum hypocritæ, postquàm magnis uirtutibus excrescunt, quia cauere malignorum spirituum insidias negligunt, & cælari in eisdem uirtutibus nolunt, bona sua ostendendo hostium faciunt: & proden/tes subito amittunt, quicquid diutius studentes operantur. Hinc per psalmi/stam dicitur, Tradidit in captiuitatem uirtutes eorum, & pulchritudines eo/rum in manus inimici. Virtus quippe & pulchritudo arrogātium, inimici ma/nibus traditur: quia omne bonum quod per concupiscentiam laudum osten/ditur, occulti aduersarij uiri mancipatur. Hostes namq; ad rapinam prouo/cant, quia suas eorum notitiæ diuitias denudant: quousq; enim ab æternæ pa triæ securitate disiungimur, in latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona quæ portat. O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus la borum. Cumq; se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos nimirum maligni spiritus, cum ad iactantiam prouocant, eorum sicut diximus opera, captiuantes denudant. Hinc est enim quod per euangelium ueritas dicit, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui uidet in abscōdito reddet tibi. Hinc est quod de electorum ecclesia per psalmistam dicitur, Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Hinc Paulus ait, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ no stræ. Filia quippe regū ecclesia, quæ in bono est opere spiritaliū principū præ/

 dicatione

dicatione generata, gloriam intus habet, quia hoc quod agit in ostentationis iactantia non habet. Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat, quia dum fauores oris alieni non appetit, uitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in huius uitæ itinere incaute portantes latrocinantium spirituũ incursione perdamus.

De Manasse rege XXX Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, & LV annis regnauit in Hierusalem, fecitq; malum in conspectu domini iuxta idola Gentium, quas deleuit dominus à facie filiorum Israel: conuersusq; est & ædificauit excelsa quæ dissipauerat Ezechias pater eius: & erexit aras Baal & fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israel, & adorauit omnem miliciam cœli & coluit eam, & extruxit aras in domo domini, de qua dixit dominus: In Hierusalem ponam nomen meum. & extruxit altaria uniuersæ militiæ cœli in duobus atrijs templi, & transduxit filium suum per ignem & ariolatus est, & obseruauit auguria: & fecit Pythones & aruspices, multiplicauit ut faceret malum coram domino & irritaret eum.) Hæc ergo omnia, id est, siue auguratio, siue auspicium, siue quælibet immolatio, siue etiam sorticio, aut quicunq; motus auium, uel pecudum, & inspectio quæcunq; fibrarum, aut aliquid quod de futuris uideatur ostendere, in operatione dæmonum fieri non dubito, diligentium uel auium uel pecudum, uel si fibrarum motus aut sortiũ secundum ea signa quæ docuerunt ijdem dæmones obseruari ab his quibus artis huius scientiam tradiderunt: à quibus omnibus is qui homo dei est & in portione dei numeratus penitus debet esse alienus: nec aliquid in his habere cõmune, quæ occultis machinis dæmones operantur, ne forte rursus per hæc dæmonibus societur, atq; eorum spiritu & uirtute repleatur, & ad idolorum cultum denuo reparetur.

De Iosia rege XXXI Post aliquanta dicitur, quod miserit Iosias nuncios ad Oldam prophetissam uxorem Sellum quæ habitabat in Hierusalem in secũda, propter librum legis diuinæ qui inuentus fuerat.) Quid sit hoc quod dicit, quod habitauerit in secunda, in superiori parte libri huius scribitur de rege Ezechia: Ædificauit quoque omnem murum qui fuerat dissipatus, & extruxit turres, & forinsecus alterum murum. Meminit huius loci & Sophonias dicens: Vox clamoris ad portam piscium & ululatus à secunda, pro qua uetus editio quasi proprium nomen loci transtulit in Masana. Masana quippe interpretatur secunda. Quod ergo dicit hæc prophetissa habitasse in secunda, in secundi muri parte intelligere debemus. Regi autem Iuda qui misit uos, ut cõsuleretis dominũ, sic dicetis: Hæc dicit dominus deus Israel, Pro eo quod audisti uerba uoluminis huius, & perterritũ est cor tuũ & humiliatus es corã domino auditis sermonibus contra locum istum & habitatores eius, quod uidelicet fierent in stuporem & maledictum, & scidisti uestimẽta tua & fleuisti corã me, & ego audiui dicit dominus: idcirco colligã te ad patres tuos, & colligeris in sepulchrũ tuũ in pace, ut non uideant oculi tui omnia mala quæ adducturus sum super locũ istũ.) Territus iste dei cõminationibus fleuerat, & sua

uestimenta

uestimenta considerat, & fit omnium malorum futurorum de præparata morte securus, quod ita requieturus esset in pace, ut illa omnia non uideret. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non uident quæcunque aguntur aut eueniunt in ista uita hominũ: Quomodo ergo uident tumulos suos aut corpora sua, utrum abiecta iaceant an sepulta? Quomodo intersunt miseriæ uiuorũ, cum uel sua ipsi mala patiantur si talia merita contraxerunt: uel in pace requiescant, sicut huic Iosiæ promissum est, ubi mala ulla nec patiendo sustineant: liberati ab omnibus malis, quæ patiendo & compatiendo cum hic uiuerent sustinebant. Dixerit aliquis: Si nulla est mortuis cura de uiuis, quomodo ille diues qui apud inferos torquebatur rogabat Abraham patrem, ut mittat Lazarum ad quinq; fratres suos nondum mortuos, & agat cum eis, ne ueniant & ipsi in eundem tormentorum locum. Sed nunquid quia hoc ille diues dixit, ideo quid fratres agerent uel quid paterentur illo tempore sciuit. Ita illi fuit cura de uiuis quamuis quid agerent omnino nesciret, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamuis quid agant utique nesciamus: Nam si nihil de mortuis curaremus, non utique pro illis deo supplicaremus. Deniq; Abraham nec Lazarum misit, & Moysen & prophetas, hic eos habere respondit quos audire deberent, ut ad illa supplicia non uenirent. Vbi rursus occurrit, quomodo quid ageretur Abraham pater ipse sciebat, ubi sciebat esse Moysen & prophetas, id est, libros eorum quibus homines obediendo tormenta infernalia uitarent. Denique nouerat diuitem illum in delitijs, pauperem uero Lazarum in laboribus uixisse. Nam & hoc illi ait: Memento fili quia recepisti bona in uita tua, Lazarus autem mala. Sciebat ergo hæc quæ utique apud uiuos non apud mortuos gesta fuerant: uerum non cum agerentur in uiuis, sed cum eis mortuis potuit Lazaro indicante cognoscere, ne falsum sit quod ait propheta, Abraham nesciuit nos. Proinde fatendum est nescire quidem mortuos quid hic agatur, sed dum hic agitur: postea uero audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, & illa tantum meminisse, quæ illos quibus hæc indicant oportet audire. Possunt & ab angelis qui rebus quæ aguntur hic præsto sunt audire aliquid mortui, quod unumquenq; illorum audire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt. Nisi enim essent angeli qui possent interesse & uiuorum & mortuorum locis: non dixisset dominus Iesus, contigit autem mori inopem illum & afferri ab angelis in sinum Abrahæ. Nunc ergo hic, nunc hic illi esse potuerunt, qui hinc illum quem deus uoluit abstulerunt. Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hic agantur, quæ necessarium est eos nosse, non solum præsentia uel præterita, uerum etiam futura spiritu dei reuelante cognoscere: sicut non omnes homines sed prophetæ dum hic uiuerent cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse reuelanda dei prouidentia iudicabat. Mitti quoque ad uiuos aliquos ex mortuis, sicut econtrario Paulus ex uiuis in paradisum raptus est, diuina scriptura testatur.

Nam

Nam Samuel propheta defunctus uiuo regi Sauli etiam futurum prædixit: quamuis nonnulli non ipsum fuisse qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse. Hæc per excessum idcirco protulimus, ut nouerint homines æternã ueritatem quærere, qui uolunt saluari, à quo creati sumus, in quo uiuimus, per quem mouemur & sumus: animas autem sanctas, sanctas eas credamus esse, & non humanis miserijs interesse, sicut dicit Esaias ad deum qui erat filius Abrahæ, Tu domine pater noster es, Abraham nesciuit nos: & Israel non cognouit nos. Posthæc sequitur historia de gestis Iosiæ, ita dicens: Contaminauit quoq; Tophet quod est in conualle filij Ennon, ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem Moloch.) Frequens est in scripturis horum mentio locorũ, maxime in libro Regum & Hieremiæ prophetæ. Est autem uallis Ennon siue filij Ennon iuxta murum Hierusalem contra orientem, in qua nemus pulcherrimum Syloæ fontibus irrigatur. Tophet autem erat locus in eadem conualle iuxta piscinam fullonis, cuius meminit scriptura, & iuxta agrum Acheldemach qui usque hodie monstratur ad australem plagam montis Sion. Solebant autem in Tophet, quia locus erat amœnissimus, unde hodieq; hortorum præbet delitias, ara posita sacrificare dæmonibus, nefandoq; rogo suos consecrare liberos siue holocaustũ offerre, sicut in libro uerborum dierum de Achaz rege scriptum est. Ipse est qui adoleuit incensum in ualle Benennon, & lustrauit filios suos in igne Benennon, siquidem filium Ennon significat. Vallis autem Ennon hebraice dicicitur gehennon, cuius nomine in nouo testamento pœna inferorum gehenna cognominatur: quia nimirum sicut in conualle Ennon qui idolis seruierũt, in ea prophetis adtestantibus perierunt, ita peccatores ex his quæ peccauerunt, æterna damnatione puniuntur. Denique Hieremias cum referret sibi præcepisse dominum, ac dixisse ad uallem filij Ennon quæ est iuxta introitum portæ fictilis, paulòpost dicit, Et non uocabitur locus iste amplius Tophet & uallis filij Ennon, sed uallis occisionis: & dissipabo consilium Iudæ & Hierusalem in loco isto, & subuertam eos gladio. Esaias quoque manifestissime Tophet infernum appellat, qui cum perpetuum diaboli interitum sub nomine Assur describeret, dicens: A uoce enim domini pauebit Assur uirga percussus, & erit transitus uirgæ fundatus, quam requiescere faciet dominus super eum: statim quomodo & ubi esset periturus subdidit dicens: Præparata est enim abheri tophet à rege, præparata profunda & dilatata: Pulchre ait & dilatata, quia Tophet dicitur latitudo. Nutrimenta, inquit, eius ignis & ligna multa, flatus domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Contaminauit autem Iosias Tophet, uel ossa mortuorum ibi, sicut in sequentibus de alijs idolorum locis fecisse legitur, uel alia quælibet immunda dispergens, quatinus abominationi potius quàm delectationi aptus omnibus qui aspicerent locus appareret. Quod sequitur de eodem rege Iosia: Abstulit quoque

equos

equos quos dederāt reges Iuda Soli in introitu templi domini,& paulopost: Currus autem Solis combussit igni,ostendit omnium gentium idolatrarum superstitioni Iudæos eo tempore fuisse mancipatos, ita ut in uenerationem Solis quem more Gentilium deum esse credebant,simulachro eius quod fecerant currus equosq; subdiderint, & hoc in atrijs templi domini: sic enim solent Gentiles pingere uel facere simulachrum Solis, ut puerum imberbem in curru ponentes,equos eidem quasi curru cœlum petentes subiugent. Cui propterea pueri aptant imaginem,quia sol uelut cotidie nouo ortu natus nullum per secula senium incidit. Vt autem eidem currus & equos tribuant de miraculo sumptum Heliæ prophetæ, quia curru igneo & equis igneis est raptus ad cœlum, Ioannes Constantinopolitanus episcopus æstimat. quia enim græce helios dicitur sol, sicut etiam Sedulius cum de Heliæ ascensu caneret ostendit dicēs: Quàm bene fulminei prælucens semita cœli Conuenit Heliæ, meritoq; & nomine fulgens, Hac ope dignus erat: nam si sermonis huius una per accentū mutaretur litera, sol est: audiētes græci ab Israelitis, quos diuinas literas habere fama prodebat, prædicari, quod Helias curru igneo & equis sit igneis ad cœlestia translatus, uel certe hoc ipsum inter alia depictum in pariete uidentes, crediderunt uicinia decepti nominis, solis hic transitum per cœlos esse designatū: & miraculū diuinitus factum, cōmutarunt in argumentum erroris humana stultitia cōmendatum: quos imitati ipsi Iudæi sategerūt ne in aliquo gentilium stultissimis minus parerent stulti. Quod paulopost de eodem rege dicitur: excelsa quoq; quæ erant in Hierusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificauerat rex Salomon Astaroth idolo Sidoniorum & Chamos offensioni Moab, & Melcho abhominationi filiorum Ammon, polluit rex & contriuit statuas, & succidit lucos, repleuitq; loca eorum ossibus mortuorū.) Luce est clarius quod excelsa nominare solet scriptura loca in collibus posita frondentibus, in quibus uel dæmonibus immolabant, uel etiam domino, locorum amœnitate allecti, contra interdictum relicto altari quod erat in templo hostias offerebant. Vnde sæpius in hoc libro de regibus qui minus perfecte iusti fuere dicitur, Veruntamen excelsa non abstulit. Montem autem offensionis montem idoli dicit, quia nimirum consuetudinis est scripturarū offensionem idola nuncupare: quia uel in illis offenditur deus, uel offensionem & ruinam suis afferunt cultoribus: sicut in hac ipsa sententia subsequenter intimatur dum dicitur, quod ædificauerat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & montem abominationi filiorum Ammon. Vbi quoque, ni fallor, palàm ostenditur, quod utinam non ostenderetur, quia uidelicet Salomon de admisso idololatriæ scelere nunquam perfecte pœnituit. Nam si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia, ut idola quæ ædificauerat de ciuitate sancta tollerentur, & non in scandalum stultorum, quæ ipse cum fuisset sapientissimus erronee fecerat, quasi sapienter ac recte facta

reliqui-

reliquisset. Meminit supra & huius loci scriptura dicēs, Tūnc ædificauit Salomon fanū Chamos idolo Moab in monte qui est contra Hierusalem, & moloch idolo filiorū Ammon. Nec uideri debet contrarium quod ibi mons in quo facta sunt hæc idola contra Hierusalem: hic in Hierusalem esse positus asseritur, quia nimirum in tanta erat urbis uicinia positus, ut ad ipsam pertinere & ad ipsam quoq; sordibus quæ in eo congerebantur attingere uideret.

De Nabuchodonosor XXXII

Quod referens de Nabuchodonosor, quia transtulerit omnē Hierusalem, & uniuersos principes, & omnes fortes exercitus decem milia in captiuitatem, addidit scriptura dicens, Et omnem artificem & clusorem: hoc est quod supra eidem populo Israel Philistijm regnantes fecisse narrantur cum dicitur: Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel. Cauerant enim Phylistijm, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Sicut enim tunc illi cauerunt ne haberēt fabros ferrarios Hebræi qui arma ad repugnandum facerent: ita nunc Chaldei destructa Hierusalem & uastata omni terra repromissionis satagerūt, ut nullus in ea remaneret artifex, nullus clusor, qui uel fœdata urbis mœnia componere uel possit resarcire disrupta: quin potius quicquid apud gentem exterminatā artis inuenerant totum Babyloniam transferunt, ut uel ad nihilum ualeat ultra, uel illius ciuitatis utilitatibus proficiat: cuius tam deflendæ historiæ, qua multum negligentiæ nostri temporis congruit, non opinor allegoriā esse reticendam. Constat nanq; quia Hierusalem & terra Israel ciuitatem Christi, id est, ecclesiam sanctam: Babylon autem & Chaldæi siue Philistei ciuitatem diaboli, id est, omnem malignorū spirituum siue hominum siue angelorum multitudinem designant. Seruitq; Israel Philistæis siue Chaldæis, cum fideles quiq; nominetenus in ecclesia consistentes, ab immundis uel spiritibus uel hominibus decepti, aut auariciæ, aut luxuriæ, aut alteri cuilibet peccato mentis colla submittunt. Abducit autem Nabuchodonosor Hierusalem & uniuersos principes fortesq; exercitus decem milia in captiuitatem, cum eis & magistros populorū & eos qui inuicibili animo domino seruire, ac decalogum legis fideliter in dei ac proximi uidebātur amore conseruare, cum subito siue illecebris mundi seu aduersitatibus subacti, aut maioribus se polluunt facinoribus, aut certe in hæresim declinando apertæ apostasiæ notam incidunt. Arma uero quibus contra diabolum repugnantes, libertatem à deo nobis donatam defendamus, quæ sunt alia nisi eloquia scripturarum, in quibus & ipsius domini & sanctorū eius exemplis quo ordine bella uiciorum superari debeant, luce clarius discimus. Sed Philistei filios Israel fabris armorū priuant, cum maligni spiritus animos fidelium à meditatione sacræ lectionis secularia illis negocia inserendo retardant: ne uel ipsi per huius exercitium resistendi fiduciam sumant, uel aliquos forte qui legere nesciunt ad resistendum uicijs exhortando aut corripiendo accēdant. Tollunt fabros armorum, cum eos qui sacra eloquia norunt in tantum sceleribus obruunt, ut dicere bona quæ didicerāt prorsus erubescant. Transferunt omnem

artificem & clusorem in Babyloniam de Hierusalem, cum eos qui multipharia uirtutum operatione pluribus prodesse, & ciuitatem dei contra irruptiones tentationum munire solebant, à proposito deflectunt, atque ingenium quod tuitioni sanctæ ecclesiæ impendere debuerant, ad uoluntatem potius regis uitiorum dispensare compellunt. Quod si clusorem hoc loco non ostiorum siue murorum, sed auri potius gemmarumq; intelligere uoluerimus, ad unum profecto eundemq; spiritualis expositio finem respicit. Dictum quippe est de sapientia, quia aurum est, & multitudo gemmarum, atq; ideo clusores horum non alios aptius quàm doctores intelligere ualemus, qui quamdiu recte uiuunt ac docent, in ornatum sanctæ ciuitatis industriã suæ artis impendunt. At si forte errauerint, quid nisi à rege Chaldæorum captiui Babyloniam transferũtur? Artificem & clusorem ab Hierosolymis transmigrare Babyloniam, est talentum uerbi cœlitus acceptum in terram defodiri, id est, sapientiam spiritualem ad peccatorum opera conuerti. Post hæc infert scriptura quod fugientem regem Sedechiam ab exercitu Chaldæorum apprehensum, duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha, qui locutus est cum eo iudicium: filios autem Sedechiæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, uinxitq; eum catenis, & abduxit in Babylonem. Dum sacra scriptura Sedechiæ captiuitatem narrat, ordinem captiuitatis internæ denuntiat. Rex quippe Babylonis est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse, qui captus est dolens cernat. Nam gemit plerumq; animus, & tamen carnis suæ delectationibus uictus, bona quæ genuit amans perdit, ea quæ patitur damna considerat, nec tamen uirtutis brachium contra regem Babylonis leuat. Sed dum uidens nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quãdoq; peccato superducitur, ut ipso quoq; rationis lumine priuetur. Vnde Babylonis rex extinctis prius filijs, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, postea intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe, multa hæc interpretatur. Ei enim quandoq; & lumen rationis clauditur, qui prauo usu ex iniquitatis suæ multitudine grauatꝰ. Sicut enim quarta die cœlum in initio creaturarum luminaribus ornatum extitit, ita quarta ætate mũdi Israeliticus populus cœlesti fide inclitus, à prophetis quasi à stellis illuminatus, regno Dauid & Salomonis gloriosus, templi etiam altitudine toto est nobilitatus in orbe. Sed accepit uesperam, quando crebrescentibus peccatis regnum illud à Chaldeis dissipatum, templum dirutum, & tota illa gens in Babyloniam est translata. Quæ quarta seculi ætas à Dauid usq; ad trãsmigrationem Babylonis, habet annos iuxta Hebraicam ueritatem CCCCLXXIII, iuxta LXX interpretes aliquot amplius, generationes iuxta utrorumq; codices XVII, quas tamen Euangelista Mathęus certi mysterij grati[a] XIIII ponit, à qua uelut iuuenili ætate in populo dei re-

gum tempora cœperunt. Hæc namq; in hominibus ætas apta ad gubernandum solet existere. Sedechias autem suprascriptus filius Iosiæ regnauit annis XI. Huius XI anno, regis autē Babylonis XVIII, secundum dies lunares mense IIII, V die mensis, iuxta solares uero dies, VIII kalendas Iulij, luna V, quem illi quintum diem cōputant, feria VII aperta est ciuitas, & ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, possederūtq; ciuitatē, & transduxerunt populum captiuum in Babylonem: & inde postea Nabuzardan princeps militiæ exercitus Babylonis mense V, X die mensis lunaris, solaris uero V kalendas Augusti, luna X, quam Hebræi decimū diem quinti mensis uocant, destructi sunt muri ciuitatis, & templū pariter incensum atq; uastatum est, anno ex quo fundari cœpit, CCCCXXX. Si uero à me quæratur per quid sciam hoc, aut quomodo potuit hoc fieri, ut talibus diebus uel comprehensa fuerit ciuitas, uel incensa, respondeo quia ipso anno X kalen. Aprilis extitit, secundum dies lunares anni principium, & primi mensis initium. Iam ipsa in Babyloniam transmigratio, quo etiā spiritus dei per Hieremiam prophetam iubet ut pergant, & orent pro eis ipsis, in quorū regno peregrinantur, quod in illorum pace etiam pax esset istorum, & ædificarent domos, & nouellarent uineas, & plantarent hortos: quis non agnoscat quid præfigurauerit, qui attenderit ueros Israelitas, in quibus dolus non est, per apostolicam dispensationem cum euangelico sacramento ad regnum gentium transmigrasse? Vnde nobis Apostolus tanquam Hieremias replicans ait. Volo ergo primum omnium fieri deprecationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum & acceptum est coram saluatore nostro deo, qui omnes homines uult saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Ex hoc quippe etiam illis credentibus domicilia sunt constructa pacis, basilicæ Christianarum congregationum, & nouellatæ uineæ populorum fidelium, & plātati horti, ubi etiam inter omnia holera granum illud sinapis regnat, sub cuius umbraculis longe lateq; porrectis, etiam altipetax superbia gentium tanquam in cœli uolatilibus confugiendo requiescit. Nam quod etiam post LXX annos secundum eiusdem Hieremiæ prophetiam reditur ex captiuitate, & templum renouatur, quis fidelis Christi non intelligat, post euoluta tempora quæ septenarij dierum numeri repetitione transcurrunt, etiam nobis, id est, ecclesiæ dei ad illam cœlestem Hierusalem ex huius seculi peregrinatione redeundum? Per quem nisi per Iesum Christum uere sacerdotem magnum, cuius figurā gerebat ille Iesus sacerdos magnus illius temporis quo templum ædificatum est post captiuitatem, quem propheta Zacharias uidit in sordido habitu, deuictoq; diabolo, q ad eius accusationem stabat ablatam illi sordidam uestem & datum indumentum honoris & gloriæ: sicut corpus Iesu Christi, quod est ecclesia aduersario in fine temporum
per iudici-

per iudicium superato à luctu peregrinationis in gloriam sempiternæ salutis assumetur? Quod etiam in Psalmo dedicationis domus apertissime canitur. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi & cætera. Quis potest ex occasione alterius operis omnia quæ in illis ueteribus legis & prophetarum libris Christum annuntiant, quantalibet breuitate perstringere, ne forte quis putet ingenio fieri, ut ea quę rerum ordine sua tempora cucurrerunt, ad Christi significationes interpretando uertãtur? Hoc forte Iudæi possunt dicere siue pagani, eis autem qui se Christianos putari uolunt, premit ceruicem Apostolica autoritas dicens, omnia hæc in figura contingebant illis, & hæc omnia figuræ nostræ fuerunt.

FINIS

ORNATISSIMO VIRO D. IANO A SVOLLA, equiti ac iureconsulto suo. Ioannes Alexander Brassicanus, S. D. P.



OCVLATVS ipse mihi testis es amiciss. mi Iane, quãtum mihi laboris exhauriendum, imò ut uerius dicam, quãtum tædij exsorbendũ fuerit in restituendis ac repurgandis Eucherij spiritalibus illis formulis. Nam exemplũ recens æditum non tantum mutilum, uerum etiã eximie mendosum fuit. Cuius rei culpam, tantum abest, ut illi imputem, qui primum nobis hoc dedit, ut etiam benignitatem hominis eruditi ac candorem laudibus uehendum existimem, qui studiosis exhibere maluit, id quod commodum acquisierat, q̃ ut pateretur hoc intercidere. Nos autẽ exemplo & integro & egregie sincero usi, quod nobis cum plerisq; alijs ęque bonis autoribus, Reuerendus pater, Dominus Ioãnes Hartmannus abbas sanctæ Crucis in Austria uir & studiorũ & studiosorũ unicus patronus, meũ autẽ præcipuũ decus & præsidium, libenter & ex animo cõmunicauit: primũ id quod deerat adiecimus, & quæ deprauata fuerant, religiose castigauimus. quod ut studiosi planius cognoscant, subijciam duo tantũ exempla, ex quibus reliqua facile, tanquam leonem ex unguibus æstimare possint. Primum caput de diuinis nominibus, quod totũ desiderabatur, iam ex ueteri, neq; minus sincero exemplo repositum est, Iam enim consulta opera prætermitto, quanta facta sit in omnibus capitibus accessio. in præfatione Eucherij sic legitur: atqui secundũ allegoriam Baptismus, secundum anagogen angeli: cum sit legendũ, Aquæ secũdum allegoriam baptismus, secundum anagogen angeli, unde est illud Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen domini & cætera. Non equidem

dem inuideo, si quis ueteres scriptores in lucem proferat, miror autem ma-
gis, si quis in ijs castigate depromendis, omnem operam suam collocet, sed
hæc hactenus. Cæterum quod apud Latinos fecit Eucherius, hoc apud
Græcos exactissime prestitit Theodoretus ille Cyrensis Episcopus, ex cuius
insigni opere quod apud nos est in antiquis membranis descriptũ, libet hic
aliquot egregie erudita loca adscribere, ex quibus uniuersi illius operis digni-
tas & utilitas elucescet, οἶνος ἐπὶ θεοῦ ἡ τιμωρία, δαβὶδ, ὅτι ποτήριον ἐν χειρὶ
κυρίου οἴνου ἀκράτου πλῆρες κεράσματος, hoc est, uinum diuinam pœnam si-
Psalmo 74 gnificat. Sic Dauid, quia poculum in manu domini uini meri, plenũ mixto.
Numeri 8 Item αἱ τρίχες τῆς νεκρώσεος σύμβολον. νεκραὶ γὰρ αὗται, καὶ ὀδύνης αἴσθη-
σιν οὐ δεχόμεναι. τὴν ἀληθῆ τοίνυν ζωὴν ἔχειν κελεύει τοὺς τῷ θεῷ λειτουρ-
γοῦντας, καὶ μηδὲν ἔχειν νεκρὸν, μήδε δυσῶδες. τοῦτο καὶ ὁ θεσπέσιος ἡμᾶς
διδάσκει παῦλος. χριστῷ φησὶν συνεσταύρωμαι. ζῶ δὲ οὐκ ἔτι ἐγὼ. ζῇ δὲ ἐν
ἐμοὶ χριστὸς. ταῖς δὲ θείαις φησὶν ἐνεργείαις ἐμαυτὸν ἀφιέρωσα, hoc est. Pi-
li mortalitatis symbolũ sunt: mortui enim cum sint, nullum doloris sensum
admittunt. admonet igitur & imperat eos ueram agere uitam, qui dei mini-
sterio sese addixerunt, nihilq; habere mortale & fœtidum. quod etiam nos
docet diuinus ille Paulus, cum Christo, inquit, crucifixus sum, uiuoq; nõ am-
plius ipse, sed uiuit in me Christus: quasi diceret, quod se sacris officijs, diui-
nisq; actionibus addixisset. & cætera. Habent autẽ eiusmodi formulæ quid-
dam commune cum Hebræorum Cabala, quam Græci quondam parum
animaduertentes secretis sensibus eruendis esse ualde quàm appositam,
κόβαλλα paucis literis immutatis, hoc est, imposturas appellabãt. Ita enim
Scholiastes Gregorij Theologi scribit. & quoniam de ea re nostri etiã ho-
mines, nimirũ Ioannes Picus Mirandulanus, Paulus Ritius, & Ioannes Ca-
pnion uiri cum omni antiquitate certantes abunde scripserunt, nihil hic di-
cam prolixius, sed studium tantum meum & expromptam omnia recta stu-
dia promouendi uoluntatem, tibi commendo. Cæterum quotiescunq; te no-
mino, uolo semel ac unico uerbo omnes illos qui ingenio, uirtute, bo-
nis moribus, ac absoluta eruditione præstant, significasse,

Vale bene uir nobiliss. ac mihi modis omnibus
amande. Viennæ Austriæ ex collegio
regio, Anno à nato Iesu,
M D XXX
mense Decembri.

EVCHERII EPISCOPI

LVGDVNENSIS IN LIBRVM FORMVLARVM SPI-ritalis intelligentiæ præfatio ad Veranium.



ORMVLAS spiritalis intelligentiæ latinorum nominum componendas, tibiq; mittendas pro studio paternæ erga te solicitudinis existimaui, quibus perceptis, in omnia scripta diuina facilime ac intellectum reliquorum sensus intenderetur. Nam cum litera occidat, spiritus autem uiuificet, necesse est ad illa spiritalium interiora sermonum spiritu uiuificante penetrari. Vniuersam porrò scripturam tam ueteris instrumenti quàm noui, ad intellectum allegoricũ esse sumendũ, admonet nos uel illud, quod in ueteri testamento legimus. Aperiam in parabolis os meum, loquar in ænigmate antiqua. Vel illud quod item in nouo testamento scribitur. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis nõ loquebatur eis. Nec mirandũ, quod sermo diuinus, prophetarum, apostolorũq; ore prolatus, ab usitato illo hominibus scribendi modo multũ recesserit, facilia in promptu habẽs, magna in interioribus suis continens: quia & reuera fuit congruum, ut sacra deo dicta à cæteris scripturis, sicut merito, ita & specie discernerentur, ne illa cœlestium arcanorum dignitas passim atq; indiscrete cunctis patesceret, sanctumq; canibus, & margaritas porcis exponeret: & cõsecrata uasa templi inuoluta promiscuus populus ferret nec uideret, & ut uere ad illius columbæ deargentatæ modũ, cuius posteriora in specie auri splendentis irradiant, scripturæ diuinæ prima quæq; argento fulgerent, & auro occultiora rutilarent. Recte itaque procuratum est, ut eloquiorum illa castitas à promiscuis cunctorum oculis abdito suo quasi quodam uelamine pudicitiæ contegeretur: ac diuina optime dispensatione prouisum est, ut scripta ipsa ita cõtegerentur, cœlestibus obumbrata mysterijs, sicut secreto ipsa suo diuinitas operiebatur. Igitur cũ in libris sanctis oculi domini, os domini, uterus domini, manus pedes domini, arma etiã domini scripta reperiantur, longeq; absit à catholica ecclesiarum fide deum corpore determinari, qui sit inuisibilis, incomprehensibilis, incommutabilis & infinitus, requirendum est qualiter ista per spiritum sanctum figurali expositione referentur. Hic enim inueniũtur illa dominici interiora templi, hic illa sancta sanctorum mysteria ęnigmatibus retectis. Corpus ergo scripturæ sacrę, sicut traditur, in litera siue historia est: anima in morali sensu, qui tropicus dicitur: spiritus in superiore intellectu, qui anagoge appellat᷑. Quã triplicẽ scripturarum regulam conuenienter obseruat confessio sanctæ trinitatis, sanctificans nos per omnia, ut integer spiritus noster, & anima, & corpus sine querela in

Scriptura allegorice intelligenda.

Psal. 77

Marci 4

Triplex scripturæ sensus

rela in

tela in aduentum domini nostri Iesu Christi,iudiciumque seruetur. Sapiētia autem mundi huius philosophiā suā in tres partes diuisit,physicā,ethicam, logicam,id est,naturalem,moralem,rationalem. Sed naturalem illam pertinentem ad causas naturæ,quæ uniuersa continet: moralem, quæ respiciat ad mores:rationalem uero quæ de sublimioribus disputans, deū omnium patrem esse confirmet. Quam tripartitam doctrinæ disputationē nō adeò abhorret illa nostrorum in disputatione distinctio, qua docti quique hanc cœlestem scripturarum philosophiam secundum historiam,secundum tropologiam,secundum anagogen differendam putarunt. Qua propter historia ueritatem nobis factorum, ac fidem relationis inculcat. Tropologia ad uitæ emendationem mysticos intellectus refert,Anagoge ad sacratiora cœlestium figurarum secreta perducit. Sunt etiā qui Allegoriam in hoc scientiæ genere quarto in loco adijciēdam putent,quam gestorum narrationem, futurorum umbram prætulisse confirment.Hæc uero ipsa ut subiectis plenius manifestentur exemplis: Cœlum est secundum historiam hoc quod intuemur,secundum tropologiam uita cœlestis: aquæ secundum allegoriam baptismus,secundū anagogen angeli,unde est illud.Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen domini.Omnis autem disciplina nostræ religionis, ex illo duplicis scientiæ fonte manauit: cuius primam practicen, secundam theoricen uocauerunt,id est actualē,& contemplatiuam.Vnam, quæ actualem uitā morū emendatione cōsummet:aliā,quæ in contēplatione cœlestiū & diuinarū scripturarū disputatione uersetur.Ergo actualis sciētia in diuersa studia diffunditur,contēplatiua in duas deriuatur partes, id est in historica disputatione,& spiritalis intelligentiæ interpretatione cōsistit. Sed his nunc remotis,formulas intelligentiæ spiritalis quas spopondimus proponamus, currētes per singulorū nominū figuras,quibus ista in illo diuinæ lectiōis inserta textu accipi solēt.Oremus itaque dominū,ut reuelet abscōdita scripturarum suarum,& proferamus quomodo secretiora intellectu sentiendum sit.

Historia
Tropologia
Anagoge
Allegoria

I De diuinis nominibus
II De his quæ appellātur membra domini,uel quæ de eo significātur.
III De supernis creaturis
IIII De terrenis
V De animantibus
VI De uarijs nominum & rerum appellationibus
VII De interiori homine
VIII De his quæ in usu atque in medio habentur
IX De uarijs uerborum uel nominum significationibus
X De Hierusalem,uel aduersis eius
XI De numeris,quorū significationes in allegoriam trahuntur.

Ergo ipsas iam nunc nominū atque uerborū significantias, secundū quas uel maxime in allegoriam trahūtur,prout donum Dei suggesserit, explicemus.

CAPVT PRIMVM DE DIVINIS NOMINIBVS.



MNIPOTENS deus pater & filius & spiritus sanctus u/ 1
nus atq; trinus. Vnus uidelicet extat in natura, trinus in per
sonis. Solus inuisibilis, immensus atq; incomprehensibilis.
Solus incircumscriptus, immutabilis, incorporeus, & immor
talis: ubiq; præsens & latens: ubiq; totus & immensus.
Inuisibilis est, quia in essentia sua omnino uideri nõ potest. Apostolo te/ 2
stante, qui ait. Quem nullus hominũ uidit, sed nec uideri potest. Et in euan/
gelio. Deum nemo uidit unquam.
Incorporeus est, quia nullis membrorum liniamentis cõpositus siue com 3
pactus existit, Sic ueritas in euãgelio dicit: Spiritus est deus, & eos qui ado/
rant eum in spiritu & ueritate oportet adorare.
Immensus est, quia quantitas eius uel qualitas â nullo ex creaturis metiri 4
potest. Cui Salomon in suis oratiõibus supplicans ait. Si cœlum & cœli cœ/
lorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificaui.
Incircumscriptus est, quia circumscribi non potest. 5
Inlocalis est, quia de loco ad locum nequaquam transit, sed neque in loco 6
quolibet retinetur, ipso de se per Esaiam testimonium perhibente ac dicen/
te. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorũ. Et per Hie
remiam. Nónne cœlum & terram ego impleo? Cuius immensitatem pro/
pheta in Psalmo confitens ad ipsum dominũ ait. Si ascendero in cœlum tu
illic es, si descendero ad infernũ ades. De eius immensitate in libro Iob scri/
ptum est. Excelsior cœlo est & quid facies? profundior abysso & unde cog/
noscis? longior est terra mensura eius, & latior mari. qui enim cœlum & ter/
ram implet, proculdubio nullus est locus ab eius essentia absens. Super om
nia quippe est regendo atq; imperando: subtus omnia est sustinendo atq;
portando, non pondere laboris, sed infatigabili uirtute: quoniam nulla crea/
tura ab eo condita per se subsistere ualet, nisi ab eo sustentetur, qui eam cre/
auit. Extra omnia, sed nõ exclusus. Immutabilis est, quia ab eo quod est 7
mutari omnino non potest, ipso dicente per Malachiam prophetam. Ego
dominus & non mutor. Ideo deus immutabilis dicitur, quia animæ eius,
ira, furor, pœnitentia, obliuio, recordatio, & alia his similia nõ accidunt. Sim/
plex enim natura est, & immutabilis & imperturbata, Neque aliud est ipse
& aliud quod habet, sed ipsum est, quod habet & quod est. Immortalis 8
quia mori nullo modo potest, Apostolo testante ac dicẽte: Qui solus habet
immortalitatẽ, lucẽ habitans inaccessibilem, quem nullus hominum uidit,
nec uideri potest. Vbicunq; autẽ sacra scriptura sparsim per diuinos libros
in deo motus animæ, seu humana membra describit, id est, caput, capillos,
oculos, palpebras, aures, & cætera membra siue motus animæ, id est, iram,

furorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem, & alia his similia, non carnaliter iuxta historiam à recte intelligentibus scienda sunt, sicut à Iudæis & plerisque hæreticis carnaliter sapientibus, qui deum corporeum atque localem opinantur, sed spiritualia omnia de eo intelligenda & confitenda sunt. Si quis deo humana membra seu motus animæ more humano inesse credit, proculdubio idola fabricat in corde suo.

9 Caput Igitur ut dictum est figuraliter in deo caput esse legimus, ipsam essentiam diuinitatis eius, quæ præcedit, & cui omnia sunt subiecta intelligere debemus.

10 Capilli Capillos uero capitis eius sanctos angelos, seu uirtuosos electos typice accipi oportet: de quo in sacramento libri Danielis scriptum est. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius quasi nix candidum, & capilli capitis eius quasi lana munda. hoc enim significat per uestimenta candida dei, quod & per capillos capitis eius, sanctos uidelicet angelos, & multitudinẽ sanctorũ dealbatorũ. Vel certe ideo capilli lanæ mundę comparantur, ut per hoc antiquus dierum credatur esse.

11 Oculi Oculos dicitur deus habere, pro eo quod omnia uidet, & nihil eum latet, in cuius conspectu, ut ait Apostolus, nulla creatura inuisibilis est: omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Aliter uero respectus gratiæ eius intelliguntur: ut est illud in Psalmo. Oculi domini super iustos. Item aliter, Oculi domini præcepta eius, per quæ nobis lumen scientiæ subministratur, accipiuntur: ut est illud in Psalmo. Præceptũ domini lucidũ illuminans oculos.

12 Palpebræ Palpebræ domini occulta & incomprehensibilia iudicia eius, siue spiritualis in diuinis libris eius locutio innuitur. De quibus occultis & incõprehensibilibus sacramentis atque iudicijs in Psalmo: Palpebræ eius interrogant filios hominum, id est, probant.

13 Aures Aures habere dicitur deus, propterea quod omnia audit, & nihil eum in silentio latet: de quo in libro Sapientiæ scriptum. Auris cœli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.

14 Nares Nares dei est inspiratio eius in corda fidelium: ut illud in libro Regum. Ascendit fumus de naribus eius, id est, lachrymosa compunctio pœnitentium inspiratio eius.

15 Facies Facies dei cognitio est diuinitatis eius ad omnes: de qua cognitiõe in Psalmis scriptum est. Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus, hoc est, dona nobis cognitionem tuam, quam cognitionem per filium hominis hominibus innotuit: ipso dicente in Euangelio. Nemo nouit patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Aliter uero facies dei significat inuisibilem essentiam diuinitatis filij dei: de qua ipse dominus ad Mosen per angelum respondens ait. Posteriora mea uidebis, faciem autem meam uidere non poteris, ac si diceret, diuinitatem autem meam uidere non poteris.

16 Os Os dei filius patris, id est Christus dominus: pro quo Esaias propheta ex

persona Iudæorum effatus est. Quia os eius ad iracundiam prouocauimus. Aliter uero os eius sermo eius siue iussio accipitur: de quo sermone domini prædictus propheta ait. Os domini locutum est hoc.

Verbum dei filius dei patris, per quem omnia facta sunt: de quo in Psalmo, Verbo domini cœli firmati sunt. Et alibi. Misit uerbum suum & sanauit eos. Et in euangelio secundum Ioannem, In principio erat uerbum, & uerbũ erat apud deum, & deus erat uerbum. 17 Verbum

Lingua dei mystice significat spiritum sanctum, per quem deus pater secretum suum manifestauit hominibus: unde in Psalmo. Lingua mea calamus scribentis. 18 Lingua

Labia dei mystice utriusq; testamenti consonantia intelligũtur: de quibus duobus testamentis in Prouerbijs scriptũ est. In iudicio non errauit os eius. 19 Labia

Brachia dei patris filius eius & spiritus sanctus intelligũtur. Sicut est illud in Esaia. Et brachia mea populos iudicabunt. Brachium dei singulariter filius accipitur: de quo Hieremias ad ipsum ait. Et nunc dominus deus qui eduxisti populũ tuũ de terra Aegypti in manu forti, in brachio extento. Idcirco autẽ filius dei patris brachiũ dicitur, quia creatura electa ab ipso cõtinetur. 20 Brachia

Dextera dei patris unigenitus filius accipitur: de quo in Psalmo ex persona hominis assumpti. Dextera, inquit, domini fecit uirtutem. Aliter uero domini dextera gloriã signat patris & ęternam beatitudinẽ: de quo in Psalmo ex persona patris ad filium. Sede à dextris meis. Dicitur autẽ & dextera dei omnis electa creatura in cœlo & in terra: sicut per sinistram eius intelligitur reproba creatura, id est, dæmones & impij omnes, qui ad læuam positi æterna supplicia sustinebunt. 21 Dextera

Manus dei patris filius eius accipit͏̃, pro eo quod ꝑ ipsum facta sunt omnia: sicut est illud in Esaia. Omnia hæc manus mea fecit, & facta sũt omnia. Aliter uero manus dei eius potestas intelligitur: de qua potestate in Hieremiæ libro prophetæ. Sicut lutũ in manu figuli, sic uos in manu mea domus Israel. Item manus domini flagellum accipitur: de cuius percussione in Sophonia propheta scriptum est. Extendam manum meam super Iudam & super habitãtes Israel, & disperdam de loco hoc reliquias Baal &c. pro qua domini percussione beatus Iob de semetipso ait. Manus domini tetigit me. 22 Manus

Digitus dei singulariter spiritus sanctus accipitur, à quo spiritu sancto lex duabus in tabulis lapideis in monte Sinai scripta narratur. Ipse scripsit qui scribenda dictauit, id est spũs sanctus. De quo dominus in euãgelio. Si ego, inquit, in digito dei eijcio dæmonia, Sicut enim digitus cum manu uel brachio, manus uero uel brachium cum corpore unum sunt in natura: ita pater & filius & spiritus sanctus tres quidem personæ sunt, una autem substantia diuinitatis. 23 Digitus

Digiti dei pluraliter sancti intelliguntur prophetæ, per quos spiritus sanctus libros legis ac prophetarũ sua inspiratione describit: de quibus in Psal- 24 Digiti

mo ſcriptum eſt. Videbo cœlos opera digitorum tuorum: per cœlos enim libros legis ac prophetarũ, per digitos uero ſanctos, ut dictũ eſt, prophetas, myſtice inſinuari certum eſt.

25 *Imago dei* Imago dei patris inuiſibilis, unigenitus filius eius eſt: de quo Apoſtolus. Imago dei inuiſibilis. Aliter namq; eſt imago dei patris in filio ſuo, quem non aliunde, ſed ex ſemetipſo, hoc eſt, ex ſubſtantia ſua per omnia ſibi ſimilem genuit & æqualẽ. Aliter uero anima hominis, quam non ex ſe, id eſt, de ſua ſubſtantia, ſicut pleriq; hæretici opinati ſunt, genuit, ſed ex nihilo creauit. Sicut aliter imago eſt cuiuslibet regis in filio eius quem ex ſemetipſo ſibi ſimilem genuit, id eſt, homo hominem. Aliter uero in anulo eius, ſicut in cera imago eius impreſſa, quæ nõ eſt quod & ipſa. ſicut filius quod naturaliter hoc eſt quod & pater.

26 *Cor* Cor dei patris archanum ſapientię eius myſtice innuit, ex quo uerbum, id eſt, filium ſuum impaſſibiliter genuit ſine initio. Ipſo dicente per prophetã. Eructauit cor meum uerbum bonum.

27 *Alæ* Alas habere dicitur deus, pro eo quod more auis electos ſuos tanquam pullos ſub ſe colligit & fouet, & ab inſidijs diaboli & malorum hominum protegit. Vnde propheta ait, Sub umbra alarum protege me.

28 *Scapulæ* Scapulas habere dicitur deus, quia infirma membra eccleſiæ, quaſi in ſcapulis ſuis portat. De quo in Pſalmo. Scapulis ſuis obumbrabit tibi.

29 *Vterus* Venter ſecreta origo ſubſtantiæ eius accipitur. Vnde in Pſalmo. Ex utero ante lucẽ genui te. Aliter. Vterus eius incõprehẽſibilia iudicia eius, quæ rimari nequeũt, myſtice inſinuãtur: de quo occulto iudicio eius in libro beati Iob ſcriptum eſt. De cuius utero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis genuit.

30 *Poſteriora* Poſteriora filij dei incarnatio accipit: de qua poſteriori parte filius in monte Sinai ad Moſen, per angelum loquens ait. Poſteriora mea uidebis, faciem autem meam uidere non potes.

31 *Pedes* Pedes dei ſtabilimentum uirtutis eius, eo quod ubiq; præſens, & uniuerſa illi ſunt ſubiecta: ipſo dicente per Eſaiam. Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Aliter pedes filij dei incarnatio intelligitur, quæ diuinitati ſubiecta eſt tanquam capiti pedes. Sicut per caput diuinitas ita per pedes humanitas eius exprimitur: de qua humanitate in Exodo ſcriptum eſt. Videre dominum Ieſum. hic eſt Moſes & Aaron, Nadab & Abihu & LXX de ſenioribus ſub pedibus quaſi lapides ſaphiri, & quaſi cœlũ cum ſerenum eſt. Sicut autem per lapidem ſaphirum cœleſtes creaturas, uel ſanctos angelos: ita per cœlũ ſerenũ, ſanctam eccleſiam electorum ex hominibus aſſumptam ſignaliter demonſtrare uoluit, ſuper quas duas creaturas homo aſſumptus filius dei in perpetuum regnat: de quo in Pſalmo, omnia, inquit, ſubieciſti ſub pedibus eorum. Aliter autem pedes domini, id eſt, Ieſu Chriſti ſignificant ſanctos prædicatores: de quibus in Deuteronomio ſcriptum eſt. Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina eius.

Veſtimen

Vestimentum filij dei aliquando caro eius quæ à diuinitate assumpta est à diuinis libris figuraliter accipitur, de quo indumento carnis Esaias uaticinans ait. Quis est iste, qui uenit de Edom, tinctis uestibus de Bosra? Rursus uestimentum eiusdem domini sancta accipitur ecclesia, quæ per fidem & dilectionem ei coniuncta est: de quo in Psalmo scriptum est. Dominus regnauit, decorem induit. Et in alio Psalmo ad ipsum dominum. Confessionem & decorem induisti, a. l. s. u. 32 Vestimentũ

Pallium Christi iam dicta ecclesia intelligitur: de quo in libro Genesi scriptum est. Lauit in uino stolam suam, hoc est, in sanguine passionis carnem suam, & in sanguine uuæ pallium suum, id est, ecclesiam suam. 33 Pallium

Calciamenta domini Iesu Christi mystice signant incarnationem eius, quam ex mortalitate humani generis assumere dignatus est. De qua incarnatione sua ipse per prophetam in Psalmo ait. In Idumeam extendam calceum meum, id est, in plebem gentilium manifestabo incarnationẽ meam. 34 Calciamenta

Gressus aduentus filij dei in mundum, & regressio eius ad patrem: de quibus Psalmus ait. Visi sunt gressus tui deus, gressus dei mei regis mei, qui est in sancto. De cœlo uenit in uterum uirginis, de utero uero nascendo positus in præsepio. Postquam omnia impleuit, pro quibus à patre missus uenerat, appensus est in ligno crucis: de cruce autẽ depositus, secundũ corpus sepultus est, secundũ uero animã ad inferna descendit: tertia autẽ die per potentiam suæ diuinitatis carnem suã de sepulchro suscitauit, & post diem resurrectionis suæ XL die uidentibus Apostolis ascendit in cœlũ, & sedet ad dexteram patris, id est, in gloria sua: hij sunt enim gressus filij dei, iste est descensus & ascensus eius, qui frequenter in scripturis sacris legitur. 35 Gressus Regressus

Ascendere dicitur deus, cum filius carnem ex nobis assumptam in cœlũ, ueluti captiuam duxit captiuitatem, quia naturam humani generis, quæ diabolo in mundo captiuo retinebatur, assumens secum in cœlum, ubi nunquã antea fuerat, tanquam captiuam deportauit. 36 Ascendere

Abscondere deus faciem legitur, cum quibusdam eorum exigentibus culpis, cognitionem suam abscondit, sicut in populo Iudæorum nunc impletũ esse uidemus, quia negantes filium dei, scientiam ueri dei ita perdiderunt, ut similes forent gentibus, quæ dominum non nouerunt. 37 Abscõdere

Ostendere dicitur deus faciem suã, cum respectu gratiæ suæ, quibus uult, scilicet electis suis se ipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se amorem suum infundit. 38 Ostendere

Sedere dicitur non corporaliter humano more, sed potẽtialiter super omnem creaturam rationabiliter præsidere: ut est illud in Psalmo. Regnauit dominus super omnes gentes, deus sedet super s. s. s. Sedere etiam deus dicitur super cherubin, qui interpretatur multitudo seu plenitudo scientiæ, per quod significatur sancti angeli siue mentes spiritualium uirorum, in quibus deus inuisibiliter præsidet & regnat, In illis enim sedet qui scientia eius & di- 39 Sedere

lectione pleni sunt. In Prouerbijs quippe Salomonis scriptum est, Anima eius sedes sapientiæ: sapiẽtia uero dei patris Christus est, qui in animis sanctorum dicitur sedere.

40 *Descendere* Descendere deus in mundum dicitur, quando aliquid nouum quod antea non fuerat in creatura humana operatur, sicut filius dei descendisse narratur, quando ueram carnem ex Maria uirgine propter redemptionem nostram suscepit, & uerus homo fieri dignatus est, non amittendo quod erat, sed assumendo quod non erat. De cuius descensione, id est, incarnatione in Psalmo scriptum est. Et inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius. Cœlos inclinauit, qui ante aduentũ suum prænuntios angelos siue prophetas misit, quod eius aduentum hominibus annuntiarent. Caligo sub pedibus eius fuit, quia impij homines ob suam malitiam incarnationem eius agnoscere non potuerunt, sed neq; adhuc possunt.

41 *Stare* Stare dicitur deus cum nos infirmos, id est, suam creaturam ad pœnitentiam & conuersionẽ patienter sustinet, ut est illud in Abacuc propheta. Stetit & mensus est terrã, & dissoluit: id est, stetit ad superueniendum, & dissoluit credentes in se à uinculis peccatorum.

42 *Transire* Transire dicitur deus, cum de cordibus quorumdam hominum, in quibus ante per fidem credebatur, postea subrepente perfidia, uel quolibet delicto ab eis recedit, & ad alios transit, quemadmodum de Iudæis ad gentes, de hæreticis ad catholicos, seu de quibuslibet irreligiosis ad religiosos.

43 *Recedere* Recedere dicitur deus, & ad alios transire quod non localiter aut uisibiliter, sed inuisibiliter occultoq; iudicio ac iusto facere aliquid consueuit.

44 *Ambulare* Ambulare dicitur deus, non de loco ad locum transeundo, quia impium est ita credere, sed ambulatio eius in cordibus sanctorũ delectatio: sicut scriptum est. Et inhabitabo in eis, & ambulabo, & ero illorum deus. Vel certe ambulare dei est in sanctis prædicatoribus suis de loco ad locum transire.

45 *Loqui* Loqui dei inuisibiliter sine sono uocis uel quolibet strepitu occulte mentibus sanctorum uoluntatem suam atq; rectum intellectum inspirare, seu futura, sicut in sanctis prophetis reuelare. Quæ locutio dei, ut quidam uolunt tribus modis accipitur. Primo namq; modo per subiectam creaturam, sicut ad Mosen in rubo apparuit. Vel sicut ad Abrahã atq; Iacob, & cæteris sanctis, quibus in angelis apparere dignatus est. Secundo uero modo in somnis, sicut Iacob & Zachariæ prophetæ & Ioseph sponso Mariæ, & sanctis alijs, quibus secretum suum reuelare uoluit. Tertio autem modo neq; per creaturam uisibilem, neq; per hominem, sed occulta tantum inspiratione inuisibiliter corda suorum tangendo loquentes efficit, quemadmodum in libris prophetarum scriptum est, cum ipsi prophetæ subito afflati spiritu diuino exclamabãt, hæc dicit dominus.

46 *Videre* Videre dei est acta bona approbare, sicut est illud in Genesi. Vidit deus cuncta quæ fecerat & erant ualde bona, id est, intelligentibus bona demonstrauit. Aliter, Videre dei est mala hominũ sciendo reprobare, sicut est illud

in Esaia

in Esaia propheta, Et uidit deus, & malum apparuit in oculis eius. Item aliter uidere dei est, nos uidentes facere, ut est illud in psalmo, Proba me deus, & scito cor meum: & cætera: & uide si uia iniquitatis in me est. Modus iste loqutionis etiam in libro beati Iob similiter repperitur, ubi de sapientia dei patris perquàm plurima insignia locutus est, de patre adiecit, Tunc uidit illam & enarrauit, & inuestigauit, & præparauit: id est, uidentes fecit, & prædicantes, & inuestigantes, atque alijs annuntiantes.

Cognoscere dei, est cognoscentes facere: sicut ait ad Abraham, Nunc co/ 47
gnoui quod timeas dominum. Neque enim in tempore nouit, qui omnia scit, Cognoscere
antequàm fiant. Sed cognoscere dicitur, deus cognoscentes facere: ut quod prius de se quales essent, incogniti erant: per eius interrogationẽ probatione sibimetipsi manifesti fierent. Tale est illud in lege Moysi de populo Israelitico, Vt tentem, inquit, eos, utrum custodiant mandata mea, an non.

Nescire dei, est quosdam reprobos reprobare: sicut est illud in euangelio, 48 Nescire
Nescio uos unde sitis, recedite à me qui operatis iniquitatem.

Zelare dicitur deus, cum creaturam suam quam non uult perire, sæpe ca/ 49 Zelare
stigat, corripit, atque flagellat, & flagellando ad se reducit. Vel zelare dicitur deus, cum nullum peccatum impunitum uult relinquere. Iustus est enim, & ideo omnis iniustitia execrabilis est illi: quam, ut dictum est, nullo modo impunitam patitur.

Irasci dicitur deus, non animi motu, uel qualibet perturbatione, quæ illi 50 Irasci
omnino accidere non potest: sed creaturæ delinquenti, id est, hominibus impijs, & peccatoribus, iustam dicitur inferre ultionẽ, hoc est, reddere illis quod merentur: & hæc ultio diuina, furor eius dicitur.

Pœnitere dicitur deus, non quod more hominum pro transactis operi/ 51 Pœnitere
bus scilicet pœniteat: qui enim nouit antequàm fiant, pro perpetratis actib. pœnitere non potest: sed pœnitentia dei, statuta mutare: & quod prius aliter fuerat, in aliud mutare: id est, aut de bonis exigẽtibus culpis in malum, sicut de Saul legitur pœnituisse dominum, quod cõstituisset eum regem: uel sicut nunc uidemus in populo Iudæorũ actum, qui cum esset populus dei, ob impietatem suam facti sunt synagoga Satanæ. De malo uero in bonum, sicut accidit in populo gentium, qui ante non populus dei, nunc autem per Christi gratiam, populus dei factus est. Hoc quippe modo occulto dei iudicio, Iudas proditor de apostolatus gradu lapsus, inferni baratro demersus est. Latro uero prius crimen rapacitatis operans, de cruce ad paradisum translatus est. Hanc quoque mutationem de bono ad melius, ut dictum est, siue de bono ad malum, seu de malo ad bonũ, quæ occulto dei iudicio, ac iusto, per seueritatem iustitiæ suæ, siue per misericordiam eius fiat, pœnitentiam dei dicimus: quod expressius in libro Hieremiæ scriptum est.

Non pœnitere dei, statuta nullo modo mutare, ut est illud in psalmo, Iu/ 52 Non
rauit deus, & non pœnituit eum: id est, pater ad filiũ: Tu es sacerdos in æter/ pœnitere

num, secundum ordinem Melchisedech. Sacerdos tamen patris dictus est filius dei, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per passionem & mortem suam, acceptabile sacrificium deo patri obtulit, ut ipse esset sacrificium, qui sacerdos.

53 *Obliuisci* Obliuisci deus dicitur, cum quibusdam impijs & peccatoribus non miseretur. Quod utiq; non facit per crudelitatem quæ in deo non est, sed per occultum iustumq; iudicium suum.

54 *Indurare* Indurare deus dicitur quorundam malorum corda, sicut de Pharaone rege Ægypti scriptum est: non quod omnipotens deus per potentiã suam eorum corda induret, quod impium est ita credere, sed exigentibus eorum culpis, cum duritiam cordis qua ipsi omnia mala perpetrãdo inuertunt, non aufert: quasi illos induret, quos iusto iudicio indurari sinit.

55 *Dormire* Dormire dei est, cum unigenitus filius patris in assumpta carne mori pro nobis dignatus est: cui mors recte dulcis prædictus est somnus, ipso dicente per Hieremiam prophetam, Ideo quasi de somno excitatus sum, & uidi, & somnus meus dulcis est mihi. Aliter dormire dicitur deus, cum fides eius inter prosperitates huius mundi & inter quorundam corda fidelium non uigilat, sed dormit. Hanc dormitionẽ ipse Iesus significauit, cum in mari inter fluctus maris dormiuit. Vel certe, dormire dei, est anxijs tardius subuenire: sicut est illud in Psalmo, Exurge, quare obdormis domine: & cætera.

56 *Vigilare* Vigilare dei, est in defensione electorũ suorũ se manifestũ demonstrare.

DE HIS QVAE APPELLANTVR MEMBRA DOmini, uel quæ de eo significantur. II.


OCVLI domini, intelliguntur inspectio diuina. In Psal. Oculi domini super iustos. Palpebræ dei, sunt iudicia eius quæ probant filios hominum: qui neq; fatigãtur rerum obscuritatibus, sed exercẽtur: neq; inflantur cognitione, sed cõfirmantur. Aures domini, cum exaudire dignatur. In Psal. Et aures eius in preces eorum. Os domini, sermo ad homines. In Propheta: Os domini loquutum est. Verbum domini, filius. In Psalmo: Eructauit cor meum uerbum bonum. Brachium domini, uel manus, filius, per quem omnia operatus est. In propheta: Et brachium domini cui reuelatũ est. Dextera domini, idem quod supra. In Psalmo: Dextera domini fecit uirtutem. Digitus dei, dicitur spiritus sanctus, propter partitionem bonorum quæ ab eo dantur unicuiq; propria, siue hominum, siue angelorum. In nullis enim membris nostris sic apparet partitio, quàm in digitis. Nec te scandalizet membrorum diuersitas, cum ædificet corporis unitas. Vterus domini, secretum, ex quo filium protulit. In Psal. Ex utero ante luciferũ genui te. Pedes domini, stabilitas æternitatis. In Psalmo: Et caligo sub pedibus eius. Vestigia domini, operum secretorum signa. In Psalmo: Et uestigia tua non cognoscentur. Gressus domini, aduentus, uel uisitatio domini. In Psalmo: Visi sunt ingressus tui deus.

Arma domini, adiutorium eius in sanctos. In Psalmo: Apprehende arma & scutum. Scutum, protectio domini. In Psalmo: Domine ut scuto bonæ uoluntatis tuæ coronasti nos. Framea, ultio diuina in impios. In Psalmo: Effunde frameam, & conclude. Arcus, intentio comminationis diuinæ. In Psalmo: Arcum suum tetendit, & parauit illum. Sagittæ, præcepta diuina, apostoli, uel prophetæ. In Psalmo: Misit sagittas suas, & dissipauit eos. Item Sagittæ in manu potentis. Gladius, uindicta, uel sermo domini. In Apostolo: Viuus est enim sermo dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Rhomphea, idem quod supra. Tuba domini, uox manifesta domini. In Apostolo: In iussu, & in uoce archangeli, & tuba dei. Currus dei, sedes dei, uel quadriformitas euangeliorum. In Psalmo: Currus dei decem milibus multiplex. Virga domini, regni significatio, uel correptio disciplinæ. In Psalmo: Virga æquitatis, uirga regni tui. Manus domini, minæ, uel uindictæ eius. Baculus domini, sustentatio consolationis domini. In Psalmo: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me cõsolata sunt. Aliàs, baculus domini, sanctam crucem, uel disciplinam sanctæ ecclesiæ designat. Item baculus, sustentaculum est quodlibet: ut in libro Thobiæ: Baculum senectutis nostræ.

DE SVPERNIS CREATVRIS III



CARBONES, ignis charitatis, aut exemplorum, aut pœnitentiæ. In Psalmo: Cum carbonibus desolatorijs. Fumus, initia compũctionis futuræ, uel ipsius comminationis dei. In Psalmo: Ascendit fumus in ira eius. Item in aliã partem, sicut fumus oculis noxius, id est uanitas. Ignis, spiritus sanctus. In Actibus apostolorum: Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ, tãquam ignis, seditq́ue supra singulos eorum, & repleti sunt omnes spiritu sancto. Cœlum, apostoli, siue sancti, ideo quod dominus inhabitet in eis. In Psalmo: Cœli enarrant gloriam dei. Cœli in sancta scriptura designant aliquãdo superiora mundi corpora, ignota nobis quibus modis distincta sint, & de queis satis difficile est disputare, sed non impossibile, cui dat deus intelligere: ut dedit apostolo, rapto usq; ad tertiũ cœlum: exceptis illis materialibus cœlis. Dicuntur cœli, sancti apostoli prædicatores uerbi ueritatis: per quos cœlos tanquàm pluuia irrigati sumus, ut per totum mundum seges ecclesiæ pullularet. Sunt etiam cœli, omnes animæ sanctæ & iustæ, in quibus deus habitat in templo fidei & operationis. Item cœlum, sancta scriptura: de qua nobis & sol sapientiæ, & luna scientiæ, & ex antiquis patribus stellæ exemplorum & uirtutum lucent: quod cœlum sicut pellis extenditur, quia per scriptores suos carnis lingua formatum ante oculos nostros per uerba doctorum exponendo disputatur. Nubes, prophetæ, siue sancti, qui pluant uerbum domini. In Esaia: Mandabo nubibus desuper ne pluant. Nubes etiam in malam partem, tempora iniquorum significat: ut, Velut nubes pertransiuit salus mea. Tonitrua, uoces euangelij: eo quod de cœlo ex dictis dei intonent. In Psalmo, Vox tonitrui tui in ro

ta:hoc est,in toto. Coruscationes,splendores euangelij. In Psal.Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Fulgura, uirtutes,uel uerba Iesu Christi.In Psal.Et fulgura multiplicauit,& conturbauit eos:id est,inimicos,uel Iudæos.

Angelorum nomine in sancta scriptura dominus designatur,ut Esaias testatur:Et uocabitur nomen eius magni consilij angelus. Aliquando ipse angelicus chorus:ut Petro Christus,An putas quia nō possum rogare patrem meum,& exhibebit mihi plusquàm duodecim legiones angelorū.Aliquando ciues cœlestis Hierusalem ex hominibus assumpti: ut dominus in euangelio,In resurrectione enim neq; nubent neq; nubentur,sed sunt sicut angeli dei in cœlo.Aliquādo fidelium populus:ut est illud,Statuit terminos gentium, secundum numerum filiorum Israel, uel angelorum dei. Hoc nomine quilibet etiam iustus designatur: ut de Ioanne Baptista dominus, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam.Aliquando prædicatores,uel sacerdotes:ut scriptum est,Labia sacerdotis custodiunt scientiam,& legem requirunt ex ore eius,quia angelus domini exercituum est. Et Apostolus:Mulier debet uelare caput in ecclesia,propter angelos: id est episcopos.& unusquisque fidelis, quod bona annunciat,angeli nomen sibi uendicat,si bene uiuat. Ad ultimum,diabolus,& coapostatæ eius,angeli mali nūcupantur: quod licet angelicam dignitatem amiserint,subtilitatem tamē angelicæ naturæ non amiserunt:per quos angelos malos, immissiones aduersitatum uel ægritudinum,permissione dei fiunt,quando,& ubi uoluerit. Throni,angeli,uel sancti,uel ipsa regnandi potestas.In Psalmo,Thronus tuus deus in seculum seculi. Item in aliam partem de diabolo: Ponam thronum meum ad aquilonem. Sedes,idem quod supra,angeli uel sancti,eo quod in his dominus sedeat,& per eos sua iudicia decernat.In Psalmo, Deus sedet super sedem sanctam suam. Sol,dominus Iesus Christus,qui fulgeat terris.In Salomone, quod dicturi sunt reprobi in fine:Ergo sol iustitiæ nō luxit nobis. Aliàs persequutio:ut illud,Orto sole aruerunt. Luna,ecclesia:eo quod in hac mundi nocte resplendeat.In Psalmo:Fecit lunā in tempore. Pro defectu etiam nostræ carnis ponitur, quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat. Stellæ,sancti,siue docti,uel qui ad iustitiā erudiunt.In Daniele:Docti tanquàm stellæ fulgebunt. Nebulæ,uelamētum mysteriorum dei:interdum & angeli dei. In propheta:Et nebulæ puluis pedum eius.Aliàs abolitio peccatorū: ut Esaias, Deleui ut nubem iniquitatem tuam,& quasi nebulam peccata tua. Caligo,diuinorum secretorum operimentum.In Psal.Et caligo sub pedibus eius. Abyssus,profunditas scripturarum. In Psal. Abyssus abyssum inuocat. Item abyssus nomine profunditas ueteris & noui testamēti intelligitur:unde,Abyssus abyssū inuocat: dum uetus testamentum,nouum annuntiat.Siue abyssus est mens humana,quæ semetipsam non potest comprehendere:unde propheta, Dedit abyssus uocem suam ab altitudine phantasiæ suæ:quia dum semetipsam mens huma-

na non

na non penetrat,ex comparatione sui,diuinæ naturæ potentiam quam com prehendere nō sufficit,humilius laudat. Vel certe,abyssus iudicia dei sunt:& Abyssus abyssum inuocat,quando occulto dei iudicio,de præsentibus malis transit peccator ad æterna mala, & de ardore cupiditatū in flāmas gehennarum. Ros,uerbum domini:ideo quod madefaciat hominū corda:ut,Rorate cœli desuper.Et in Psal. Sicut ros Hermon,qui descēdit in montem Sion. Pluuia,præcepta,uel mandata dñi:uel uerba sanctorū apostolorū:eo quo terram.i.homines irriget.In psal.Pluuiam uoluntariā segregabit deus hæreditati tuæ. Niues,pro candore iustitiæ,& pro baptismo. In Psal. Lauabis me,& super niuem dealbabor. Grando,cōminationes dñi,quib.contumaces euerberat.In Psal.Grando & carbones ignis. Item in aliā partem:Et occidit in grandine uineas eorum.In frigore uero niuis, & in duritia grandinis uita accipitur prauorum,quæ & torpore frigescit,& per duritiæ malitiam perit. Pruina,abstinentia:eo quod per hanc frigescat calor corporis. In Psal. Factus sum sicut uter in pruina. Tempestas,persecutionum uel tribulationum impetus. In Psal.Qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate. Glacies,duricies peccatorū. In Salomone: Sicut in sereno glacies, ita soluentur peccata tua. Venti,animæ sanctorum.In psal.Volauit super pinnas uentorum. Item in malā partē.In Matthæo:Flauerunt uenti. Aquilo,diabolus,uel homines infideles,aut mali,uel frigus peccatorū. In propheta:Ab aquilone exardescēt mala super terram. Et alibi:Ab aquilone pandetur malum.Et alibi:Surge aquilo:id est,recede. Dexter,idem quod supra. In Salomone:Aquilo durus uētus.Nomine autem dexter uocatur,eo quod diabolus nomen sibi dextri præsumat,tanquam boni:siue quod occidētem, id est peccatum,respicientibus dexter fiat. Auster,calor fidei.In Psal.Sicut torrens in austro.Est & spiritus sanctus: ut ibi, Surge aquilo,& ueni auster: id est,Recede diabole,& ueni spiritus alme. Aer,inanitatis enunciatio.In apostolo:Sic pugno,non quasi aerem uerberans:id est,nō inania cōsectans. Tempora,opportuna distributio uolūtatis diuinæ.In Psal.Fecit lunam in tempora. Ver,uitæ renouatio,uel per baptismum,uel per resurrectionem. In psal.Æstatem & uer tu fecisti ea. Æstas,uenturæ iucunditatis præfiguratio.In Psal.ut supra. Hyems, præsens uita, persecutio, uel tribulatio. In euange.Vt non fiat uestra fuga hyeme,uel sabbato. Anni,aliquando pro æternitate accipiuntur:ut ibi,Et anni tui non deficient.Interdum & pro breuitate huius uitæ:ut hic,Anni nostri tanquā aranea meditabuntur. Mensium nomine qui diebus coadunantur,collectiones animarum designantur, uel perfectio sanctorum: ut ibi, Erit mensis ex mense: uidelicet eis in requie, quib.nunc perfectio fuerit in operatione. Dies & nox,iustitia & iniquitas, fides & infidelitas,prospera & aduersa.In psal.In die mādauit dominus misericordiam suam,& in nocte declarauit. Dierum nomine intelligitur etiam illuminatio diuinæ gratiæ per diuersa dona uirtutum. Item dies designat angelū apostatā:dum Iob ita loquit̄,Maledicant ei qui maledicūt diei. Noctis

aũt nomine, error uel ignorãtiæ cęcitas, uel etiã mortis acerbitas accipit. Lumen & tenebræ, ita maxime accipiũt ut dies & nox. In epl'a Ioã. Qui diligit fratrẽ suũ, in lumine manet: qui aũt odit fratrẽ suũ, in tenebris est. Per lumen etiã intẽtio cordis declarat. Vmbra, ꝓtectio diuina. in psal. Sub umbra alarũ tuarũ ꝓtege me. Aliàs obliuio, uel peccata: ut ibi; Sedẽtes in tenebris & in umbra mortis. Vmbra est aliqñ delectatio peccatorũ: ut in Iob, Sub umbra dormit in secreto. Rursus umbra obliuionẽ mẽtis, uel mortẽ carnis, uel imitationẽ diaboli significat. Lucis noĩe, dñs, uel qlibet iustus intelligit: ut in euã. Erat lux uera quæ illuminat omnẽ hominẽ ueniẽtẽ in hũc mũdũ. & Apostolus, Fuistis aliqñ tenebræ, nũc aũt lux in dño. Ponit etiã pro illuminatione fidei, & pro uita. Hora, qngẽti (ut putãt qdã) anni: si qñ dies ꝑ toto mũdi istius seculo accipit: in epl'a Io. Filioli mei nouissima hora est. Oriẽs, qa ab illa parte lux orit, saluator: maxime in Luca, Visitauit nos oriẽs ex alto. Et in Zacha; Ecce uir oriens nomẽ eius. Occidẽs, uitæ melioris defectus. In ꝓpheta, Occidet uobis sol in meridie. Aquilonaris pars semꝑ in aduerso ponit: ut proph. de diabolo, Ponã sedẽ meã ad aquilonẽ. & alibi, Ab aquilone pãdet malũ. Mane, lux actuũ bonorũ, uel baptismũ, uel resurrectio dñica. in psal. Mane astabo tibi, & uidebo. & alibi, A custodia matutina usq; ad noctẽ speret Israel in dño. i. à resurrectione dñi spes nostra, usq; in finẽ seculi. i. diẽ iudicij. Per mane etiã uel matutinũ, præsentis uitæ ꝓsperitas significat: ut illud, Væ tibi terra, cuius rex iuuenis est, & cuius principes mane comedunt. mane aũt comedũt, qui de huius mũdi ꝓsperitatib. extollũt, dũ in extremo eius deberẽt prestolari, frui æternis felicitatibus. Meridies, plana doctrinarũ factorũq; claritas. in Salom. Vbi cubas in meridie. Et in malã partẽ. in psal. A dæmonio meridiano. i. manifesto. Vespe, finis uitę, uel seculi, uel pœna. in psal. Ad uesperũ demorabit fletus, & ad matutinũ lætitia. Aurorę noĩe mens iustorũ accipit, quæ peccati sui tenebras relinquẽs, ad lucẽ erũpit, sole iustitiæ illuminata. Arcturi noĩe, q in cœli axe cõstitutus VII stellarũ radijs fulget, ecclesia uniuersalis exprimit, quæ in apoca. Io. ꝑ VII ecclesias, & VII cãdelabra figurat. Oriones in põdere hyemis oriẽtes, sãctos designãt martyres, qꝫ põdus ꝑsequẽtiũ & hãc uitã amãtiũ ꝑtulerũt, & ad cœli faciẽ q̃si in hyeme uenerũt. Hyades, à gręca lr'a *υ* nũcupatę, à cui⁹ forma nõ discrepãt uisiõe, & ortæ pluuias afferũt: sãctos prędicatores, qꝫ uerbis pluũt, & corda hoĩm salubriter irrigãt, significãt. ὑετὸς nãq; græce, imber latine dicit.

DE TERRENIS IIII



TERRA, homo ipse. in euã. Aliud cecidit in terrã bonã, Itẽ, Terra es, & in terrã ibis. Itẽ in malã partẽ: de peccatore, Terrã edes omnib. dieb. uitę tuæ. Aliter, terra intelligũt, qui terrenis actib. occupati, per eleemosynas & lachrymas ad uitã æternã ꝑueniũt: unde psal. Aduocauit cœlũ desursũ, & terrã discernere populũ suũ. Arida, infructuosi homines. In Salo. Cooperire aridã malitia & dolositate. Puluis, peccatores, uel carnis uanitas: in psal. Sicut puluis quẽ proijcit uẽtus. Lutũ, peccatorũ glutinũ: in psal. Eripe me de luto ut nõ infigar. Itẽ in aliã partẽ: In

Io. Lutũ fecit, & liniuit oculos meos. Montes, dñs, ecclesia, apostoli, siue sancti, à celsitudine uirtutũ: in psal. Qui descẽdit sup mõtẽ Sion. itẽ ppheta, Erit mons domus dñi sup uerticẽ montiũ. Itẽ in aliã partẽ: in pph. Nequãdo offendãt pedes uestri ad mõtes caliginosos. i. hæreticos. Colles, sancti, sed minoris meriti: in psal. Mõtes & oẽs colles. Itẽ in aliã partẽ: in euã. Omnis mõs & collis humiliabit. Valles, contritiones cordis humilis: in psal. Et cõualles abundabũt frumento. Itẽ in aliã partẽ: in pph. Vallẽ filiorũ Ennon. Petra, Christus, à firmitate: in apostolo, Petra aũt erat Christus. Lapides, interdũ Christus, aut sancti: in psal. Lapis quẽ reprobauerũt ędificãtes. Itẽ, Abscissus est de mõte lapis sine manib. & impleuit uniuersã terrã. Itẽ, Et uos tãq̃ lapides uiui supædificamini. Itẽ in aliã partẽ: de insipiẽtib. & duro corde, Potens est deus de lapidib. istis suscitare filios Abrahæ. Et alibi, Auferã cor lapideũ de carne uestra. Ager, hic mũdus: in euã. Ager est hic mũdus. Aliàs ager est disciplina cœlestis studij, in quo thesaurus abscõdit. i. cœleste desideriũ. Campi, sãcti, siue scripturæ diuinæ: eo q̃ pastũ animarũ prębeãt: in psal. Et cãpi tui replebũt ubertate. Itẽ in malã partẽ: In cãpo Taneos. Itẽ cãpi pter æqualitatẽ dicũt populi iusti. Pascua, refectio spiritalis: in psal. In loco pascuæ ibi me collocauit. Cultura, sãcti q excolunt à deo: in apl'o, Dei cultura estis. Agricola, deus: in euã. Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Sulci, corda sanctorũ: in psal. Sulcos eius inebriãs. Semẽ, diuina prędicatio: in euã. Exijt qui seminat seminare semẽ suũ. Messis, ubertas, uel copia fideliũ: in euã. Leuate oculos uestros, & uidete regiones, quia albæ sũt ad messẽ. & aliter, Messis cõsũmatio seculi, sicut messores angeli. Manipuli, fructus iustitię: in psal. Portantes manipulos suos. Stipula, aridi ad fidẽ, uel inanes: in apl'o, Ligna, fœnũ, stipulã. & in pph. Heu mihi, quia factus sum, sicut qui colligit stipulã in messe: hoc est, nullos boni opis fructus inueni. Et alibi, Stipula collecta synagoga peccãtiũ. Area, ecclesia: in euan. Et pmũdabit areã suã. Vẽtilabrũ, examẽ iustitiæ dei: in euã. Cuius uẽtilabrũ in manu sua. Triticũ, dei uerbũ, sãcti, uel electi dei: in euã. Cõgregabit triticũ suũ in horreũ. Hordeũ, legis litera: in euan. Est puer unus hic, qui habet v panes hordeaceos. i. ad literã, v libros Moysi. Palea, peccatores: in euã. Paleas aũt cõburet igni inextinguibili. & Hiere. Quid paleas ad triticũ, dicit dñs. Zizania, scãdala, uel male uiuẽtes: in euã. Venit inimicus, & supseminauit zizania in medio tritici. Vinea, ecclesia, uel populus Israel: in psal. Vineã de Ægypto transtulisti. Itẽ in malã partẽ: Ex uinea em̃ Sodomorũ uitis eorũ. Vitis, Christus: in euã. Ego sũ uitis uera. Itẽ in aliã partẽ: in cãtico Deutero. hoc q̃d supra. Palmites, apl'i, uel sãcti: in euã. Ego sum uitis uera, uos palmites. Et in malã partẽ: ubi supra: Et palmes eorũ ex Gomorra. Vuæ, fructus iustitię: in Esa. Expectaui ut faceret uuam. Itẽ in malã partẽ: ubi supra: Vua eorũ, uua fellis. Bottus, ecclesia, siue corpus dñi. In Num. Eo q̃d botrũ inde portassent filij Israel. Vindemia, cõsũmatio seculi, uel uindicta in ppl'm: in psal. Vindemiãt eã oẽs q trãsgrediũt uiã. & Iohel, Mittite falces, & uindemiate uineã terrę, q̃a maturę sũt uuę eius.

Torcular,altare,ab eo quod ibi oblationes tanq̃ fructus conferantur:ut in Esaia,Et torcular fodi in ea.Et aliter,torcular,tribulationũ pressura in ecclesia sancta,in qua fideles probantur.In titulo psalmi,In finem pro torcularibus.

Fœnum,populus,caro,uel uana gloria.In Esa.Omnis caro fœnũ,& omnis gloria eius sicut flos fœni. Herba,iucunditas,uel quædam rudimẽta proficientis animæ.In Gen.Producat terra herbam uirentem.Item in malã partem:Mane sicut herba transeat. Flores,Christus,uel specimen iustitiæ,aut inchoatio bene operãtium:ut in Cantico cant. sponsus, Fulcite me floribus.

Lilium,Christus,uel angeli candore iustitiæ.In Salom.Ego flos campi & lilium cõuallium. Rosæ,martyres,à rubore sanguinis.In Salom.Sicut rosa germinat super humida fluenta. Violæ,confessores,ob similitudinẽ liuidorum corporum.In Cantico cant.Flores in terra uisi sunt. Syluæ,gentes.In Psal.Inuenimus eam in campis syluæ.De his syluis egressi sunt duo ursi,Vespasianus scilicet,& Titus,reges Romanorũ,ad præceptum figurati Helisæi, & post XLII annos ascensionis eius ad cœlos Iudaicos pueros comederunt.

Condensa,opaca,uel contecta scripturæ diuinæ. In psal. Et reuelauit condensa. Ligna,peccatores igni deputãdi.In Ecclesiaste: Qui scindit ligna,periclitabitur in eis.Item in bonam partem:Et erit tanq̃ lignum quod plantatum est.Aliàs ligni nomine sancta crux designatur:ut propheta, Mittamus lignum in pane eius:id est,in carne Christum cruce suspendamus. Item, En colligo duo ligna.Item lignũ significat iustos ac peccatores:ut Salom. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem,ubicunq; cõciderit,ibi erit: quia in die mortis, iustus ad austrum cadit, peccator ad aquilonẽ. qui iustus per feruorem spiritus ad gaudium ducitur: peccator cum apostata angelo in frigido corde reprobat. Radix,origo. In apostolo: Quod si radix sancta & rami.Et in malam partem. In Psal.Euellet radicem tuam de terra uiuẽtium.

Arbor,homo,à fructu operum.In euang.Aut facite arborẽ bonam,& fructum eius bonum. Et in malam partem: Aut facite arborem malam, & fructum eius malum.Quidam in hoc testimonio,arborem hanc, uoluntatẽ hominis magis,q̃ ipsum hominem accipiendũ putant.Arbor etiam fuit Christus cum resurrexit,qui cum moreretur granũ fuit. Ramus,successio.In apostolo:Quod si radix sancta,& rami.Item in aliam partem.In Danie.Præcidite ramos eius.Item rami sunt sententiæ sanctorũ patrum. In euan.Alij cædebant ramos de arborib. Folium,sermo doctrinæ.In psal.Et folium eius non defluet.Et aliter,foliũ,uestitus & decor cum protectione diuinæ gratiæ. Et in malam partem: Non inuenit in ea fructũ propter folia:id est,uerba sine fructu:unde monet Apostolus, ut diligamus non uerbo neq; lingua,sed opere & ueritate.Comparatur etiam homo folio,qui ab arbore cecidit in paradiso. Poma,sanctorum in uirtutibus fructus. In Cantico canti. Et manducet fructum pomorum suorum. Palma,perfectio uel uictoria. In Psal. Iustus ut palma florebit.Palma enim tarde proficit,sed diu in uiriditate persistit: ita sancta ecclesia cum multis difficultatibus ad fidei statum uenit,&

pro

pro collectione plurimorum in eiusdem fidei gloria diutius stare cõcupiscit. Palma inferius corticum suarum inuolutionib. angustatur, sed superius amplitudine pulchræ uiriditatis expanditur: sic electorũ uita inferius est despecta, sed superius pulchra. Habet quiddã & aliud palma, quo à cunctis arborum generibus differt: omnis enim arbor quæ in suo robore iuxta terram uaste subsistit, crescendo superius angustatur: & quantum paulisper sublimior, tantum in altum redditur subtilior: palma uero ab imis inchoat, & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit: & quæ tenuis ab imis proficit, uastior ad summam succrescit. Quibus itaq; alia arbusta, nisi terrenis mẽtibus inueniuntur esse similia, inferius uasta, superius angusta: quia nimirum omnes huius seculi dilectiones, in terrenis rebus sunt fortes, in cœlestib. debiles: pro temporali gloria usq; ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua ne parum quidem in labore subsistunt: pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant, & pro cœlesti mercede uel tenuissimas unius uerbi contumelias ferre recusant. Nam ut terreno iudici totos dies assistant, fortes sunt: in oratione uero coram domino, uel unius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatem, uigilias, famẽ, pro acquirendis diuitijs & honoribus tolerant, & multa se abstinentia cruciant. At contra ex æqualitate palmarum designatur proficiens uita iustorum, qui nequaquã in terrenis studijs sunt fortes, & in cœlestibus debiles: sed longius atq; distantius studiosos se deo exhibent, quam seculo fuisse meminerũt. Scriptum est itaq; recte, ut admonui: Iustus ut palma florebit: & cætera. Cedri, excelsioris potentiæ uiri. In Psal. Vt cedrus Libani multiplicabitur. Et in malam partem, superbi, elati: ut in Psal. Et confringet dominus cedros Libani. Olea, sanctus misericordiæ abundans fructibus. In Psal. Ego autem sicut oliua fructifera in domo domini. Oleaster, homo sine fructu, uel gentilis. In Apostolo: Si aũt tu ex naturali excisus es oleastro.

Ficus, synagoga interdum. In Euãgelio: Et arefacta est continuo ficulnea. Et in Abacuc: Ficus non adferet fructum. Ficus, & in bono & in malo accipitur: ut Esaias, Et ostendit mihi ficus bonas ualde, & malas ualde. Et dominus Nathanaëli: Cum esses sub ficu (id est, sub peccato originali.) uidi te redempturus. Ficus etiã intelligitur humana natura, uel incredula synagoga: quæ bene condita propria sponte est lapsa, & fructum præcepti dei, uel bonæ operationis non protulit: unde in ea fructum dominus tribus annis exquisiuit, nec inuenit: quia eam sub tribus temporibus, id est, ante legem, sub lege, sub gratia admonendo, uisitando requisiuit. ante legem parcendo sustinuit: sub gratia, quia incarnationis suæ præsentiam exhibẽdo monstrauit: in lege, quia præcipiendo docuit: quibus tamẽ tribus temporibus infructuosa remansit, & à radicibus aruit. Sycomorus, ficus fatua dicitur: quam pusillus Zachæus subijt, & dominum uidit: quia qui mundi sapientiam humiliter eligunt, ipsi dei sapientiam subtiliter aspiciunt. Prudenter Sycomorum ascendimus, si prouide eam quæ diuinitus præcipitur, laudabilem & sapientem

pientem fatuitatem tenemus. Quid enim in hoc mundo insipientius, quàm amissa non quærere, possessa largiri, rapientibus relaxare, nullam pro acceptis iniurijs iniuriam reddere: sed iuxta preceptum dominicum, in omnibus patientiam præbere? Hyssopus, herba humilis, & lapidi in quo nascitur astricta, cuius radices saxum penetrare dicuntur: ipsa uero præcipue pulmones curat. In pulmone notatur superbia: illic inflatio, illic anhelitus. In hyssopo igitur designatur humilitas & patientia. Rhamnus, urticæ, cardui, sentes, paliuri, herbæ aculeis refertæ: significāt immites, dolosos, superbos, & omnes improbos, quos nullus bonorum uel mansuetorum potest contingere, uel castigare sine doloris compunctione. Item significant uitia, & tentationum inflictiones: ut in Genesi: Spinas & tribulos germinabit tibi. Malagranata, ecclesia de multis gentibus, siue diuersas gratias habens. In Canticis canticorum: Emissiones tuæ paradisus malagranatorum cum fructu pomorum. Aliâs mala intelliguntur fructus bonæ operationis cum bono odore, id est, gratia bonæ famæ, & morum fructibus. Arundo, peccator, uel fragilis in fide, uel in aliqua tentatione. In Euange. Arundinem quassatam non confringet. Item arundo, infirmum auxilium. In Esaia: Quid confidis in baculo isto arundineo Ægyptio? cui si quis incubuerit, conquassabitur, & perforabit manum eius. Rubus, ut quidam opinantur, Mariæ uirginis præfiguratio: eo quod quasi de humani corporis rubo, saluatorem tanquā rosam emiserit: aut quod uim diuini fulgoris, sine uiri adsumptione pertulerit. In Exodo: Apparuitq; ei dominus in flamma ignis de medio rubi, & uidebat quod rubus arderet, & non combureretur. Aliâs rubus ardens nec consumptus, Iudaicum populum signauit, quod & legis dei flammam præcepit, & tamen peccati pœnam nequaquam uitauit. Spinæ, interdum noxiæ diuitiarum curæ, animum suffocantes, & huius mūndi sollicitudines. In Euange. Aliud cecidit in spinas. Et iterum: Qui à sollicitudinib. & diuitijs & uoluptatibus suffocantur. Tribuli, aculei uitiorum uel tentationum. In Genesi: Spinas & tribulos germinabit tibi. Fontes, baptismum. In Psalmo: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum. Fons etiam est Christus: ut Psalmo: Sitiuit anima mea ad deum fontem uiuum. Et Esaias: In die illa erit fons patens domus Dauid: & cætera. Item in malam partem: ut Apostolus: Fontes sine aqua. Aquæ, tentationes. In Psalmo: Forsitan ut aqua absorbuisset nos. Item: Intrauerunt aquæ usq; ad animam meam. Item in bonam partem. In Hieremia: Me dereliquerūt fontem aquæ uiuæ. Et in Esaia: Qui sititis, ite ad aquam: id est, ad doctrinam. Aquæ nomine in scriptura sancta aliquando spiritus sanctus significatur. Sic enim spiritus sancti infusio designatur: ut in Euang. Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Item per aquā angelicus chorus exprimitur: ut in Psal. Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomē domini. Itē scientia sacra: ut in libro Sapientiæ, Aqua sapientiæ potabit eos. Et iterū, aqua profunda uerba ex ore uiri. Praua quoq; scientia per

tia per aquam appellatur. Sicut per Salomonẽ, mulier quæ typum hæreseos tenet, callidis persuasionibus blanditur dicens, Aquæ furtiuæ dulciores sunt. Aqua etiam, huius mundi prosperitatem significat: ut in Psalmo: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Ignis & aqua utrũque periculosum: ut in Euangelio: Frequenter eum & in ignem & in aquam misit, ut eum perderet. Quando res sunt angustæ, & aliquæ infelicitates sunt in hoc mundo, quasi ignis est. Quando res sunt prosperæ, & abundantia seculi circumfluit, quasi iam aqua est. Per aquam etiam populi designantur, ut in Apocalypsi, Aquæ multæ, populi sunt multi. Per aquam quoq; nõ solum cursus discurrentium populorum, sed etiam bonorum mentes, fidei prædicamenta sequentes ostenduntur: sicut apud Esaiam est: Beati qui seminatis super omnes aquas. Aqua etiam baptismum indicat: ut ait Ioannes euangelista: Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus enim, nos per adoptionem filios dei fecit. Sacri fontis unda nos abluit. Sanguis domini nos redemit. Torrens, persequutionis incursus, uel mortis dilapsus. In Psalmo: De torrente in uia bibit. Item: Torrentem pertransiuit anima mea. Et in bonam partem: Et torrente uolũtatis tuæ potabis eos. Torrentes etiam, sancti appellantur prædicatores, qui dum in præsenti uita diuinis nobis eloquijs influũt, aquarum multitudine, quasi in hyeme colliguntur: quia & æstiuo sole adueniente se subtrahunt, quia cum æternæ patriæ lux emicuerit, prædicare cessabunt. Flumina, infideliũ populi. In Psalmo: Super flumina Babylonis. Item in bonam partem: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ: id est, diuersæ gratiæ spiritus. Sic in Psalmo: Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei. Lacus, infernum. In Psalmo: Posuerunt me in lacu inferiore: id est, illo inferni loco, in quo peccatores soli pœnali custodia detinentur. Mare, seculum, siue populi. In Psalmo: Hoc mare magnum, & spaciosum. Per mare etiam intelliguntur sacræ scripturæ: ut in Ezechiele: Aspectus rotarum, & opus earum, quasi uisio maris. Recte itaq; sacra eloquia uisioni maris conferuntur, quia sententiæ loquutionis sacramento baptismatis confirmantur. Pisces, sancti. Interdum peccatores. In Euangelio: Et traxerunt plenum rete piscibus magnis. Item in malã partem: Malos autem foras miserunt. Rursus pisciũ nomine, fides non ficta exprimitur: quemadmodum enim piscis sub tegumẽto aquarum nascitur, uiuit, & alitur: sic & fides quæ in deum est, quæ alterius uitæ gaudia, per lamẽta præsentia, fletusq; irrequietos, in corde gignit: inuisibili gratia spiritus per aquã baptismatis consecratur: inuisibili auxilio diuinæ protectionis, ne deficiat nutrit: inuisibili præmiorũ intuitu, quæcunq; ualet, bona operatur: memor illius apostolici, Quia quæ uidentur, temporalia sunt: quæ autem nõ uidentur, æterna. Piscis aũt assus, passionẽ significat. Fluctus, tẽtationes. In Psal. Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt. Significant etiam fluctus, timorem dei: ut in libro Iob: Sicut tumẽtes fluctus super me, sic semp timui dñm.

Vndæ

Vndæ, idem quod supra in Cantico: Gelauerunt undæ in medio mari. Insulæ, animæ, uel ecclesiæ dei, quæ diuersis tentationum tunduntur fluctibus. In Psalmo: Lætentur insulæ multæ. Littus, finis seculi. In Euãgelio: Et secus littus sedentes elegerunt bonos in uasa. Arena maris, innumeræ gentium multitudines. In Genesi: Et multiplicabo semen tuum (id est, sanctos) sicut stellas cœli. & sicut arenam (peccatores) quæ est ad oram maris.

DE ANIMANTIBVS V



AVES, sancti, quod ad superiora corde euolent. In Euãgelio: Et fecit ramos magnos, ita ut possent sub umbra eius aues cœli habitare. Intelliguntur etiã per aues, superfluæ cogitationes, quod monstratur per Abraham, qui cum sacrificium deo offerret, insistentes aues perferebat, quas abigebat: quod enim in orationis sacrificio se importunæ cogitationes ingerunt, & subortæ, corda iustorum polluunt: sed dum citius manu discretionis abiguntur, festiue agitur, ne cordis faciem caligo tentationis operiat, quæ ante iam ex illicita delectatione tangebat. Volatus, sanctorum excessus in deum, uel in scripturis intellectus. In Psalmo: Et uolabo, & requiescam. Volucres, in bono accipiuntur, ut de auibus diximus. In malo autẽ, superba dæmonia designant, ut in Euangelio dominus: Aliud semen cecidit secus uiam, & uolucres cœli comederunt illud: quia maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, uerbum uitæ è memoria euellunt. Alæ, duo testamenta. In Ezechiele: Vnumquodque duabus alis uelabat corpus suum. Sunt etiam alæ, uirtutes sanctorum, per quas ad contemplationem, uel ad cœlestia euolant: uel protectio diuina. Pennæ, scripturæ. In Psalmo: Pennæ colũbæ deargentatæ. Nidus, ecclesia, aut requies excelsa sanctis. In Psalmo: Et turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos. Et aliter, nidus, bona conscientia, in qua bonarum cogitationum fœtus fouentur, atque in opere pariuntur, ut postea filij appellentur. In Psalmo: Filij tui, sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Pulli, sancti. In Psalmo, ut supra. Sicut in libro Iob: Pulli eius lambent sanguinem: quod de filijs sanctæ ecclesiæ dicitur, qui sanguinem Christi bibunt. Et in malam partem. In Salomone: Et pulli aquilarum deuorent eum. Aquilæ, sancti. In Euangelio: Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ: quia egredientes sanctæ animæ de corpore ad Christum, qui pro illis moriendo cadauer factus est, aggregãtur. Aquila, Christum etiam significat, ut Salomon: Via aquilæ in cœlo: id est, Christi ascensio. Et in malam partem: Pulli aquilarum deuorent eum. Vt in Hieremia, de malignis spiritibus: Velociores fuerunt persequutores nostri aquilis. Per aquilam designatur etiam terrena tempestas. Struthio, quilibet hæreticus, uel philosophus, uel hypocrita, qui quasi cum pennis sapientiæ est, tamen non euolat. In Esaia: Erit cubile draconum, & pascua struthionum. Et struthio oua parit, sed pullos inde non nutrit: quia hypocrita quamuis recte prædicet, tamen per exemplum bonæ uitæ nullos

filios

filios generat,ut in libro Iob,Struthio in terra relinquit oua sua, & obliuisci-
tur quod pes cõculcet ea. Pelicanus,dominus Christus in passione,aut uir
sanctus solitudini deditus.In Psalmo:Similis factus sum pelicano solitudi-
nis. Coruus,nigredo peccatorum,uel dæmones.In Salomone: Effodiant
eum corui de torrente uel de rupibus. Item in bonam partem. In Canticis
canticorum de sponso:Crines eius ut abietes, nigri sicut corui. Perdix, dia-
bolus.In propheta:Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit. Co-
lumba,spiritus sanctus.In Euangelio:Et uidit spiritum dei descendentem si
cut columbam.Item in malam partem,ut in propheta: Et factus est Effra-
im quasi columba sine sensu,non habens cor. Turtur,spiritus sanctus, aut
uir sanctus,aut intelligentia spiritalis.In Canticis canticorum: Vox turturis
audita est in terra nostra.Sed tunc columba spiritus sanctus dicitur, quãdo
scripturæ sacræ manifesta dissertio est. Tunc uero turtur spiritus sanctus in-
telligitur,cum scripturæ altis atq; obscuris mysterijs eleuantur.Columba eti
am simplicitatem,turtur indicat castitatem,quia amisso primo cõiuge, ultra
socium nõ requirit. Miluus significat,ut puto,rapacem,uel elatũ.In Psal-
mo,secundum Hebræos:Milui abies domus est. Accipiter, interdum san-
ctus,ut puto,rapiens regnum dei: qui mutata ueteri penna renouatur, &
proijciens inueterata studia dolosæ actionis, simplices actus assumit bene
uiuẽdi.In Iob:Nunquid in sapientia tua plumescit accipiter? Nycticorax
Christus,uel uir sanctus infidelibus despicabilis. In Psalmo: Factus sum si-
cut nycticorax in domicilio. Passer,nonnunquã dominus,aut uir sanctus.
In Psalmo,Etenim passer inuenit sibi domũ. Et alibi,quilibet Christianus,
cui ab hæreticis dicitur,qui Christũ, qui in scripturis mons nominatur, sese
solummodo putant habere,Transmigra in montem sicut passer. Gallus,
dominus,ut puto,aut sanctus.In Salomone:Et gallus ambulans inter galli
nas lætus.Et in Iob:Quis dedit gallo intelligentiam?Et in alteram partem:
Et asportari te faciam sicut asportatur gallus gallinaceus.Galli nomine desi-
gnantur prædicatores sancti,qui inter tenebras uitæ præsentis,student uen-
turam lucem prædicando quasi cantando nuntiare. dicunt enim: Nox præ-
cessit,dies autem appropinquabit. Gallus etiam succinctis lumbis incedere
scribitur,quia ipsi prædicatores sancti inter huius noctis tenebras uerũ ma-
ne nuntiantes,in membris suis luxuriæ fluxa restringunt: quibus à domino
dicitur,Sint lumbi uestri præcincti.Gallo etiam intelligentia desuper tribui
tur,quia doctori ueritatis discretionis uirtus,ut nouerit,quibus,quid,quãdo,
uel quomodo inserat,diuinitus ministratur. Nõ enim una eademq; cunctis
exhortatio cõuenit,quia nec cunctos par morũ qualitas constringit. Gal-
lina,sapientia,siue ecclesia,siue anima.In Euangelio:Sicut gallina congregat
pullos suos sub alis suis. Vespertiliones,idolorum monstra tenebris dedi-
ta.In propheta:Vt adoretis talpas & uespertiliones. Sunt etiam cogitatio-
nes immundæ,quæ per dæmones intrant. Scarabæus,propheta: Et scara-

bæus de ligno clamabit.ut putant quidam,de domino. Locustæ, populi. In Euangelio: Esca autem eius erat locusta. Locustarum nomine aliquando Iudæorum populus,aliquando conuersa gentilitas, aliquando adulantium lingua,aliquando per comparationem resurrectio dominica designatur,aliquando uita prædicatorum significatur. Apis,forma uirginitatis,siue sapientiæ. In Salomone: Vade ad apem & disce quàm operatrix sit. Et in malā partem,in propheta: Et apis quæ est in Assur. Et circumdederunt me sicut apes,id est maliciosi & iracundi. Apes etiam quæ mel in ore habent, & in occulto caudæ uulnus,suo nomine significant omnes qui lingua blandiūtur, sed latenter ex malitia feriunt.quia loquēdo dulcedinem mellis proponant, sed feriendo uulnus inferunt. Possunt etiam hoc nomine prudentum dicta signari,ut est illud: fauus mellis sermones boni. Musca,diabolus, uel minister eius,uel spurciciȩ idololatriæ. In Salomōe: Muscȩ morituræ extermināt olei suauitatem. Bestiæ,diabolus,uel homines feri. In Psalmo: Ne tradas bestijs animas confitentes tibi. Leo,dominus,ut Apostolus: Vicit leo de tribu Iuda. Item in malam partem: Nequando rapiat ut leo animā meam. Item,aduersarius noster diabolus quasi leo circuit. Leæna significat superbos uel præcipites. Pardus,diabolus, uel peccator moribus uarijs, in propheta: Sicut Aethiops non mutabit pellem,& pardus uarietatē. Elephas peccator immanis. In Regum: Et adducebant ad Salomonem simias & elephantos. Vrsus,diabolus,aut duces sæui,uel insidiatores. In Regnorū: Et egressi sunt duo ursi,& comederunt eos.quia Vespasianus & Titus Romani imperatores Iudæos deleuerunt. Ceruus,Christus, uel sancti. In Psalmo: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum. Et rursus in Psalmo: Montes excelsi ceruis,petra refugium erinaceis: nam hic uitæ contemplatiuæ deditis significantur. Lupus,diabolus uel hæreticus. In Euangelio: Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Item in bonam partem: Beniamin lupus rapax, apostolum Paulū significans. Aper,diabolus. In Psalmo: Exterminabit eam aper de sylua. Tigris,fœminea interdum arrogantia. In libro Iob secundū Hebræum: Tigris perijt,eo quod non habuerit prȩdam. Monoceron,hoc est unicornis. In Psalmo: Et dilectus quemadmodum filius unicornium,id est,singularis potentiæ, uel sanctorum qui teneant unicum dei uerbum. Et in aliam partem: Et à cornibus unicornium humilitatem meam. In malam partem ponitur pro quolibet superbo,uiolento, uel unum testamentum tenēte,ut Psalmista in persona passuri domini: Libera me domine à cornibus unicornium. Rhinoceron,fortis quiq;: uel in bonam uel in malam partē. In libro Iob,secundum Hebræum: Nunquid uolet rhinoceros seruire tibi?

Onager, heremita,uel qui remoti à turbis popularibus uersantur. In Iob: Quis dimittet onagrum liberum? Potest & populus ille Iudæorum onager dici: quia sequitur in eodem libro: Et uincula eius quis soluit? uincula utique præceptorum. Hinulus, Christus, aut sancti, pro gratiarum uarietate.

In Sa-

In Salomone: Similis es tu fratruelis meus damulæ, aut hinulo ceruorum. Dama, idem quod supra. Lepus, timens deum. In Psalmo: Petra refugium leporibus & erinacijs. Erinacius, idem quod supra: & erinacij gens inualida, qui fecerunt in petris domos sibi. Vulpes, hæreticus, uel diabolus, uel peccator callidus. In Euangelio: Ite dicite uulpi illi. Animal, homo carnalis. In Apostolo: Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Iumentum, intellectu uel eloquio carens, interdum obedientes. In Psalmo: Vt iumētum factus sum apud te, interdum luxuriosi, ut illud: Computruerunt iumenta in stercore suo. Equus, uir sanctus. In Abacuc: Qui ascendes super equos tuos. Et in malam partem: Fallax equus ad salutem, irrationalis quisque. In Psalmo: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nō est intellectus. Asinus, corpus humanum, uel populus gentilium. In Euangelio: Et adduxerunt ad Iesum asinam & pullum eius, & eum desuper sedere fecerunt. Asinorum nomine stultorum pigritia significatur, dum Moyses testatur: Non arabis in boue simul & asino, hoc est, in prædicatione nō coniungas prudentem cum fatuo: simplicitas enim fidelium hoc nomine exprimitur, quam Christus regendo & præsidendo ad Hierusalem, id est, uisionem pacis deducit. unde dicitur: Agnouit & asinus præsepe domini sui. rursus asino designatur immoderata petulantium luxuria, ut propheta: Quorum carnes sunt ut carnes asinorum. Asina, caro uel plebs carens dei notitia. In Euangelio, idem quod supra. Camelus, diuites rebus seculi onusti, uel moribus distorti. In Euangelio: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regna cœlorum. Cameli nomine etiam ipse dominus significatur, ut: Liquantes culicem, camelum autem deglutientes. hoc in loco dominus aperte designatur, qui sponte humiliatus, infirmitatis nostræ onera sustulit, & acum punctionis, angustiasq; foraminis in dolore suæ passionis. Culex susurrando uulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat: liquauerunt ergo Iudæi culicem, quia seditiosum latronem dimitti petierunt. camelum autem glutierunt, quia eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat, extinguere clamando conati sunt. Tauri, principes populorū. In Psalmo: Tauri pingues obsederunt me. Boues, Apostoli, qui suscepto iugo Christi, euangelij uomere mundū exarauerūt. In Psal. Offeram tibi boues cum hircis. Boues etiam stultorum uecordiam significant, ut recte per Salomonem dicitur: statimq; eam sequitur, quasi bos ductus ad uictimam: boum nomine etiā uita uniuscuiusq; operātis exprimitur, ut per Moysen. Non alligabis os boui trituranti. & dominus: Dignus est operarius cibo suo. Vaccæ, carnalibus uitijs pleni. In Psalmo: Inter uaccas populorum. Vaccæ etiam fideles omnes in ecclesia designant, qui dum sacri eloquij præcepta considerant quasi superimpositam sibi domini arcam portant: quorum plerique foris carnalibus affectibus ligantur, sed non declinant à recto itinere: quia arcam domini portant

in mente. Vitulus, Christus, siue sancti. In Psalmo: Tunc imponẽt super altare tuum uitulos. Et in aliam partem: Circumdederunt me uituli multi, hoc est, lasciuientes. Sues, peccatores immundi. In epistola Petri: Et sus lota in uolutabro luti. Arietes, apostoli, uel ecclesiarũ principes. In Psalmo: Adferte domino filios arietum. Oues, populi fideles: In Euang. Oues meę uocem meam audiunt. Pecora, simpliciores quiq;, minus præditi ratiocinandi subtilitate. In Salomone: Pasce animas pecorum tuorum. Hirci, peccatores, siue gentiles. In Daniele: Ecce autem hircus caprarum ueniebat ab occidente super faciem totius terræ. Item in bonam partẽ: Offeram tibi boues cum hircis. Capræ, iusti, interdum ex gentibus uenientes. In Salomone. Capillatura tua sicut grex caprarũ, quæ reuelatæ sunt de Galaad. quemadmodum autem capræ præcipue pastũ in alto quærunt: sic & sancti mũdi baptismo & pœnitentia in supernis pastum desiderãt, unde Apostolus: Nostra conuersatio in cœlis est. Capreæ sunt animæ efferatiores factæ per uanam doctrinam philosophorum, sed iam intra ecclesiam sanctam per sanctum Euangelium. Agni, Christus, uel apostoli, aut sancti. In Euangelio: Pasce agnos meos. Hœdi, peccatores, uel motus carnis. In Euang. Hœdos autem à sinistris. Talpæ, idola, uel hæretici, qui non uident ueritatem. In Esaia: Vt adoretis talpas & uespertiliões. Canis, diabolus, uel Iudæus, uel gentilis. In Psal. Et de manu canis unicã meã. Et in aliã partẽ, in Ecclesiaste: Melior est canis uiuus leone mortuo. Hic leonẽ diabolũ, canẽ uero gentilẽ, uel hominẽ peccatorẽ accipiendũ putant: quod ille ad fidẽ uel pœnitentiam possit uenire, ille autẽ non ueniat: Canis item segnes prædicatores designat, ut ibi: Canes muti non ualentes latrare. Ranæ, dæmones. In Apoc. Et uidi de ore draconis spũs tres immũdos in modũ ranarũ. Sunt autẽ spũs dæmoniorum. Item ranæ, hæretici, qui in cœno uilissimorũ sensuũ cõmorantes, uana garrulitate oblatrare nõ desinant. Formica, prouidus, uel operarius. In Salo. Vade ad formicã ô piger. Vermis, Christus ꝓ humilitate assumpti hominis. In Psal. Ego autẽ sum uermis & nõ homo. Item in aliam partẽ. In Esaia: Vermis eorũ nõ morietur, id est, siue ipse uermis, siue peccati cõscientia, uel inquietudo prauę cogitationis. Aranea, humana fragilitas. In Psal. Et tabescere fecisti uelut araneã animã meam. Telæ aranearum, sunt opera temporalis concupiscentiæ, quæ nulla solidãtur subtilitate, quæ uentus rapit mortalis. Serpens, diabolus, uel maligni homines. In Euangelio: Serpentes, genimina uiperarum. Item in aliam partem, in Euangelio: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: Serpens significat etiam prudentes, ut ibi: Estote prudentes sicut serpentes. Draco, diabolus, uel apertus persecutor. in Psalmo: Tu confregisti caput draconis, dedisti eum in escam populo Aethiopum. Scorpio, diabolus, uel ministri eius: In Euangelio: Dedi uobis potestatem calcandi super serpẽtes & scorpiones. Vipera, idem quod supra. In Euangelio: Genimina uiperarum.

DE VARIIS NOMINVM APPELLATIONIBVS. VI



OMO, aut homo totus, aut mens. In genesi: Fecit deus hominem ad imaginem & similitudinem suã. Et in malam partem. In Psalmo, Exurge domine, non confortetur homo, hoc est caro, uel diabolus. Nomine hominis etiam reprehensio designatur, ut in hoc Apostoli, cum enim sint inter uos zelus & contentio, nónne carnales estis, nónne homines estis. & alibi: Inimicus homo hoc fecit, id est, diabolus. Item ab Apostolo dicitur homo peccati & filius perditionis, id est antichristus: sed & carnis nomine homines significantur, inde est: Et uidebit omnis caro salutare dei. Anima tam hominum quàm iumentorum dicitur, ita in Iob: Anima omnis uiuens & spiritus uniuersæ carnis in potestate est omnipotentis. animam rationalem hominum usq; ad spiritualem intellectũ subleuat, animam autem irrationabilium usq; ad corporeos sensus uiuificat.

Vir, spiritus, id est mens. In Apostolo: Caput mulieris uir. Item uir in malam partem. In Genesi: Bona facie ualde uirgo, quam uir non cognouerat, id est diabolus, qui plerunq; mentem cogitatione corrumpit. Mulier, anima, siue caro humana. In Apostolo: Caput mulieris uir. Mulier pro sexu, ut: Misit deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege: Pro infirmitate ut apud Sapientẽ: Melior est iniquitas uiri quàm mulier benefaciens. Virgo, ecclesia, uel sanctæ animæ. In Apostolo: Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Et in malam partem: Descẽde sede in puluere uirgo filia Babylonis, id est anima bonitate sterilis, quæ hypocrisi uel malitia sit confusionis filia. Rex, dominus. In Apostolo: Rex regum, & dominus dominantium. Et in malam partem, ut de diabolo: Ipse est rex super uniuersos filios superbiæ. Regina, ecclesia. In Psalmo: Astitit regina à dextris tuis. Et item regina, anima imperans corpori. Pater, dominus. In propheta: Et ero uobis in patrẽ, & uos eritis mihi in filios & filias, dicit dñs omnipotens: Et in Euangelio: Vnus est enim pater uester, qui in cœlis est. Item de diabolo: Quia mendax est & pater eius, pater mendacij, & omnium qui in ueritate non permanserint. Mater, ecclesia, uel Hierusalem cœlestis. In Apostolo: Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Item qui bene loquendo fideles Christo generant & educãt, mattres in utroq; sexu, ipso Christo teste, existũt. Frater, Christus uel proximus. In Psalmo: Narrabo nomen tuum fratribus meis. & ipse ait: Ite nuntiate fratribus meis. Soror, ecclesia, synagoga, uel Christi anima. In Canticis canticorum: Soror mea sponsa. Vir & uxor, Christus & ecclesia, intellectus spiritalis & historia scripturarum. In Apostolo, Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Sponsus, Christus, ideo quod à patre

ab initio ſit promiſſus. In Pſalmo: Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. & in Euangelio: Qui habet ſponſam, ſpõſus eſt. Sponſa, eccleſia, quæ utiꝗ diuinis ſponſionibus ſit promiſſa. In Canticis canticorum: Veni à Libano ſponſa, ueni à Libano. Filius, populus credentium. In Apoſtolo: Iam non eſt ſeruus, ſed filius: quod ſi filius, & hæres per deum: filius, id eſt, dominus, ut ibi: quod ſi filius uos liberauerit. Filia, anima fidelis, ſiue eccleſia. In Pſalmo. Audi filia & uide. & in malam partem: Super filiam uagã diſpone cuſtodiam, id eſt animæ leuitatem. Proximi, fide propinqui, & qui miſericordiam impendunt inopi. In Salomone: Venite manducate, & bibite, & inebriamini proximi. Amici, concordes in deum. In Euangelio: Vos amici mei eſtis. Senes, conſummatæ iuſtitiæ. In Geneſi: Et mortuus eſt Abraham ſenex & plenus dierum. In Salomone: Cani ſunt hominis ſenſus, & ætas ſenectutis uita immaculata. Et in ſiniſtram partem, de Salomone: Cumꝗ iam ſenex eſſet deprauatum eſt cor eius. Iuuenes, alacres in deum. In epiſtola Ioannis: Scribo uobis iuuenes, quia fortes eſtis, & uerbũ dei in uobis manet, & uiciſtis malignũ. Et in malã partẽ, in Regnorum libro de Roboam: Derelicto cõſilio ſeniorum, locutus eſt ſecundũ cõſiliũ iuuenum. Item ibi: Vę tibi terra, cuius rex iuuenis eſt. Paruulus, mẽte humilis & ſimplex. In Euangelio: Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et in Euangelio: Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. & Apoſtolus: Malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote. Item in alteram partem, in Apoſtolo: Cum eſſem paruulus, loquebar ut paruulus. paruulus etiam Chriſtus intelligitur, qui ſe humiliauit uſꝗ ad mortẽ. Meretrix, anima peccatrix, quæ relicto cœleſti uiro ſuo, id eſt Chriſto, adulterinos de diabolo iniquitatis fructus concepit. In Hieremia: Facies mulieris meretricis facta eſt tibi. Operarij, Apoſtoli, uel prædicatores. In Euangelio: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Paſtor, dominus: Ego ſum paſtor bonus. Item paſtor, Apoſtolus. In Euangelio: Paſce oues meas. & in malam partem: Et abijt ut paſceret porcos, id eſt qui ſunt immundis cogitationibus. Mercenarij, ſeruiẽtes domino nõ pro amore tantum diuino, ſed pro temporali retributione. In Euangelio: Quanti mercenarij patris mei abundant panibus. Piſcatores, Apoſtoli, uel doctores. In Euangelio: Et faciam uos fieri piſcatores hominum. Medicus, Chriſtus, uel doctus. In Salomone: Manſuetus uir cordis eſt medicus. Item Non egent ſani medico, ſed male habentes. Diues, fidelis abundans ſpiritalibus bonis. In Apoſtolo: Quia diuites facti eſtis in illo in omni ſcientia & in omni uerbo. diues etiam Chriſtus, ut illud: Diues in omnibus qui inuocant illum. Et in aliam partem. In Euangelio: Væ uobis diuitibus. Pauper, humilis, In Euangelio: Et erat quidam Lazarus pauper. Et iterum: Beati pauperes ſpiritu. Pauper etiam eſt Chriſtus, ut Apoſtolus: Chriſtus egenus pro nobis factus eſt, cum eſſet diues. Et in malam partem. In Pſalmo

mo: Quia pauperes facti sumus nimis. Vestitus, habens baptismi uel fidei integritatem, aut iustitiæ indumentum. In Euangelio: Et uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali, & Apostolus. Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis. Nudus, carens baptismi sacramento, uel diuino adiutorio, uel bonis operibus. In Apocalypsi: Tu autem nudus & miser. Et in bonam partem. In Euangelio: Et reiecta, inquit, sindone nudus profugit ab eis, id est nudus terrena facultate. Viui, iusti. In Psalmo: Placebo domino in regione uiuorum. Et in alteram partem, in Salomone: Et laudaui magis mortuos quam uiuentes. Mortui, peccatores, uel infideles. In Euangelio: Sine mortuos sepelire suos mortuos. Et in bonam partem: Beati mortui qui in domino moriuntur. Item: Mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Cadauera, infidelium corpora. In propheta: Et impleam uallem Iosaphat cadaueribus mortuorum. Item in aliam partem: Posuerunt cadauera seruorum tuorum. Item, illud: Videbunt cadauera uirorum, qui increduli fuerūt proiecta. Sepulchrum, corpus peccatoris, mortuam uitijs animam intrinsecus retinens. In Euangelio: Similes estis sepulchris dealbatis, quę à foris parent hominibus speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum. e diuerso dicit propheta de sepulchro domini: Et erit sepulchrum eius gloriosum.

DE INTERIORI HOMINE VII



INTERIOR homo, anima rationalis. In Apostolo: In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Caput eius, Christus. In Apostolo: Caput uiri Christus. Vertex, summitas iustitiæ. In Salomone: Coronā enim gratiarum accipiet tuus uertex. Item in aliam partem: Verticem capilli perambulantium in delictis suis, id est summa nequitia. Capilli, ornatus iustitiæ, uel sensus. In Euangelio: Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Collum, sancta scriptura, ut in Canticis: Collum tuum sicut turris Libani, ex quo pendent mille clypei omnis armatura fortium, id est testimonia sanctarum scripturarum. aliàs superbia: Vt filiæ Sion ambulauerūt extento collo. Ceruix, superbia, ut: Dura ceruice. Oculi, intellectus fidelis & simplex. In Euangelio: Vestri autem beati oculi qui uident. & alibi, Oculi sapientis in capite eius, id est intellectus in corde prudentis. Et in malam partem. In Euangelio: Si oculus tuus nequam fuerit. Aures, obedientia fidelis. In Euang. Et aures uestræ quæ audiunt. Nares, spiraculum fidei, bonarumque uirtutum. In Iob: Et spiritus diuinus in naribus meis. Item: Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano. Et in malam partem: De naribus eius procedit fumus, id est diaboli. Fauces, iudicium intellectus. In libro Iob: Et fauces meæ nonne sapientiā meditantur? Et in malā partē: Raucæ factæ sunt fauces meæ. Os, sermo ipse. In Psal. Os iusti meditabitur sapientiam.

Lingua, idem quod supra. In Psalmo, Et lingua eius loquetur iudicium: uel scriptura, ut: Lingua mea calamus scribæ. Dentes, sancti prædicatores, qui recte præcipiunt, & quemadmodum præcipiunt, ita uiuunt, ut hoc sponsæ dictum: Dentes tui sicut greges tonsarum ouium, quæ ascenderunt de lauacro, quæ omnes pariunt geminos, & sterilis non est in eis. Item interiores sensus, ut per Hieremiam: Fregit ad numerũ dentes meos: dentes enim singula quæ cogitant quasi manducant, & comminuunt, & ad uentrem memoriæ transmittunt. Axillæ quæ sunt initia brachiorum, significant bonorum operum exordium, quas non mouisse pigro, sic imputat scriptura: Abscondit piger manum suam sub axilla. Humeri, fortitudo portantis, propheta de domino crucem portaturo: Potestas super humerum eius.

Manus, opus. In Psalmo: Et laui inter innocẽtes manus meas. & potestas ut: Manus tuæ fecerunt me. Dextera, opera bona. In Euangelio: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Sinistra, opera non bona, ut supra. Dextera etiam uita æterna, sinistra autem præsens, ut illud: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Pectus, arcanum intelligentiæ. In Euangelio: Discumbebat autem super pectus domini discipulus, quem Iesus amabat plurimum. Venter, capacitas rationis. In Abacuc. Venter meus turbatus est in me. Venter etiam mens, ut Hieremias: Ventrem meum doleo, quod quia de spiritali & non corporeo uentre dixit, adiungit: Sensus cordis mei conturbati sunt. & dominus in Euangelio: Qui credit in me, flumina de uentre eius fluunt aquæ uiuæ. Renes, interiora sensus. In Psalmo: Insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei. Nihil occultius in homine quàm cor & renes, unde scriptura: Scrutans corda & renes deus.

Lumbi, fortitudo animi. In Apostolo: Accingite lumbos mentis uestræ. & luxuria, ut in Euangelio: Sint lumbi uestri præcincti, & in Iob: Accinge sicut uir lumbos tuos. Vmbilicus, appetitus concupiscentiæ. In Iob: Et uirtus eius sub umbilico uentris: id est quod fœminæ genitalia per hoc significet, sicut in lumbis uirorum. Adeps, pinguedo gratiæ diuinæ, uel saturitas supernæ sapientiæ. In Psal. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima. Item in malã partẽ, Adeps, crassitudo malitiæ. In Psal. Adipẽ suum concluserunt.

Ossa, firmitas animi. In Psal. Omnia ossa mea dicent, domine quis similis tibi? Et in malã partẽ, in Iob: Ossa eius uelut fistula æris. Item fraudulenta consilia ministrorũ antichristi, ut in Psal. Deus dissipauit ossa illorũ, qui hominibus placent. Medullæ infusio charitatis, & aliarum uirtutũ. ut in Psal. Holocausta medullata offeram tibi. Viscera, affectus pietatis & misericordiæ. In Apostolo: Si qua uiscera miserationis. Et in alteram partem, in Actibus Apostolorum de Iuda: Et diffusa sunt omnia uiscera eius. Pellis, signũ mortalitatis. In Genesi: Et fecit eis tunicas pellicias. Cutis, illi qui solis exterioribus intenti, interius marcescũt. Pili, uitæ ueteris cogitationes, qui sunt incidendi, unde per Moysen præcipitur: Leuitæ radant oẽs pilos carnis suæ.

Sanguis

Sanguis,operatio carnalis.In Psalmo:Libera me de sanguinibus deus deus salutis meæ.Et item:Caro & sanguis regnum dei nõ possidebũt. Et Esaias: Sanguis sanguinem tetigit.Item in bonam partem,ut Apostolus:Et sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Caro,homo exterior.In Apostolo:Caro enim concupiscit aduersus spiritum , spiritus autem aduersus carnem.Caro iuxta naturam,ut: hoc nunc os ex ossibus meis,& caro de carne mea.& ibi:Verbum caro factum est.unde Apostolus: Vos autem in carne non estis,sed in spiritu.Item caro iuxta culpam, ut: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis,quia caro sunt. Genua,confessio humilitatis.In Cantico:Et nũc flecto genua cordis mei.& in Psalmo: Genua mea infirmata sunt à ieiunio.Aliquando uirtus fidei,in propheta: Reliqui mihi septem milia uirorum,qui non curuauerũt genua ante Baal. Pedes,cursus uitæ,uel stabilitas mentis,uel fidei.In Psalm. Stantes erant pedes nostri.Et in malam partem,in propheta:Cur claudicatis utroq; pede?Et,Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Calcaneũ,supplantatio uitiorũ. In Genesi:Ipse tuũ obseruabit caput,& tu illius calcaneum . Item, terminus actionis,ut in Psalmo:Ipsi calcaneum meum obseruabũt. Gressus,profectus operum. In Psalm.Perfice gressus meos in semitis tuis. Vestigia, signa uirtutum.In Psalmo: Vt non moueantur uestigia mea.Et in alteram partem,in Salomone: Et transiet uita(impiorum)tanquã uestigiũ maris. Stola,indumentum baptismi uel fidei.In Euangelio: Cito proferte stolam primam. Cilicium,pœnitentiæ testimoniũ.In Euange. Olim in cinere & cilicio pœnitentiã egissent. Cingulum,spiritalis operis accinctus. In Psalmo: Et præcinxisti me læticia. Zona,cordis munditia,Apostolus:Præcincti circa lumbos zonis aureis. Calciamẽta,præparatio pacis.In Apostolo: Calciati pedes in præparationem Euangelij pacis. Arma interioris hominis, in Apostolo:Induti loricam iusticiæ,& scutum fidei,& galeam salutis,& gladium spiritus,quod est uerbum dei.

DE HIS QVAE IN VSV ATQVE IN MEDIO HABENTVR. VIII



PANIS,Christus,uel sermo dei.In Euãgelio:Ego sum panis uiuus.& alibi: Mittamus lignum in panem eius,id est crucem in corpus eius.& panis quemadmodum doctrinam; ita & malam significat,ut ibi,Panis absconditus suauior. Vinũ idem quod supra.In Salo.Et bibite uinũ quod miscui uobis.Vinũ etiam securitatem rectitudinis significat,ut:Infundẽs oleum & uinũ:ut per uinũ mordeãtur uulnera,per oleũ foueantur. Oleũ,misericordia,uel spiritus sanctus.In Psal.In oleo sancto meo liniui eum.In aliam partẽ: Oleũ autẽ peccatoris nõ inpinguet caput meum,id est,adulatio. Porcina,peccata.In Psal.Saturatus sum porcina. Azymum,synceritas cordis,sine fermento malitiæ. In Apostolo, In azymis

In azymis synceritatis & ueritatis. Ouũ, spes certa fideliũ. Item in malam partẽ. Qui comederit de ouis eorum morietur, de improbis & male doctis.

Similago, puritas mentis, & fortitudo charitatis. In Leuitico: Si autem anima offert munus sacrificium deo, similago sit munus eius. Subcinericium, humilitatis oblatio. In Genesi: Festinanter consperge tres mensuras similaginis, & fac subcinericios. Et in malam partem: Factus est Effraim subcinericius. Lac, mentis synceritas. In epistola Petri. Rationabiles sine dolo lac concupiscite. Item in aliam partem, de rudibus in ecclesia: Lac uobis potum dedi, non escam. nondum enim poteratis. Hic lac exiguitas sensus. Lac coagulatum, uitijs concretum, In Psalmo: Coagulatum est sicut lac cor eorum.

Sal, condimentum sapientiæ, In Euangelio: Vos estis sal terræ, & habete sal in uobis. Mel, dulcedo præceptorum dei. In Psalmo: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine super mel & fauũ ori meo. Item aliter, in Salomone: Inueniens mel, manduca quod satis est, ne forte satiatus euomas, id est altiora te ne quæsieris. Fel, amaritudo malitiæ. In Psalmo: Dederunt in escam meam mel. Acetum, asperitas corruptæ mentis. In Psalmo: Et in siti mea potauerunt me aceto. Item acetum, correptio doctorum, unde Salomon: Acetum in nitro, qui cãtat carmina corde pessimo. Pix, inquinamentum & nigredo delictorum. In Salomone: Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Sicera, confectio quædam malitiæ & nequitiæ. In Euangelio: Vinum & siceram non bibet. Calix, domini passio. In Psalmo: Calicem salutaris accipiam. & ipse dominus: Pater transfer calicem hunc à me. Et in malam partem: Calix aureus Babylonis. Merum, synceritas iudicij aut ueritatis, uel calor fidei. In Psalmo: Vini meri plenus mixto. Fex ultimum iudicij. In Psalmo: Veruntamen fex eius non est exinanita. Item illi qui secure in peccatis quiescunt, unde propheta: Requicuit in fecibus suis. Cibus, sermo uel uoluntas domini. In Euangelio: Meus cibus est ut faciam uoluntatem eius qui me misit patris. Potus, idem quod supra. In Psalmo: Et torrente uoluntatis tuæ potabis eos, id est spiritu sancto. Et Psalmista: In compungendo potum meum cum fletu temperabam. Item in aliam partem: Non est regnum dei esca & potus. Promptuaria, cordis receptacula. In Cantico Deuteronomij: In promptuarijs eorum timor. Pera, uictus solicitudo, & impedimenta seculi. In Euangelio: Non peram in uia. Sacculus, thesaurizatio in deo. In Euangelio: Facite uobis sacculos qui non ueterascant. Et in aliam partem: Sacculum communem possideamus, id est auaritiam. Pecunia, uerba diuina. In Euangelio: Oportuit ergo te mittere pecuniam meam numularijs. Et sapientia unde Salomon: Sapientia occulta & thesaurus inuisus, quæ utilitas in utrisque. Vellus, populus. In Psalmo: Et descendit tanquam pluuia in uellus. Linum, spiritalis fortitudo, uel candor, uel subtilitas scripturarum. In Exodo: Porrò filijs Aaron tunicas lineas parabis. Item in malam partem:

Non

Non indues uestem ex lana linoq; contextam. Vtres, uasa humani corporis. In Euangelio: Vinum nouum in utres nouos mitti debet. Farina, opus bonum, uel scientia. In Euangelio. Abscondit mulier in farinæ sata tria. Item in malam partem: uanas cogitationes, ut propheta, Tolle molam & mole farinam. Mola, uitæ conuersatio. In Euangelio: Duæ molentes in mola. Possunt & duo testamenta lapides molæ significare, per quos labore disserentium triticum ueteris instrumenti in farinam euangelij conuertatur.

Hæc igitur nomina cum in textu sacræ lectionis occurrunt, ita uel maxime ut exprimuntur apertioribus accipienda traduntur, licet in diuersas plerunque significationes pro persona uel tempore uel loco exeant, atq; in figuras locis congruas pro ratione allegoricæ interpretationis erumpant. Nam & abyssus intelligitur, sicut supra diximus, profunditas scripturarũ, & item abyssus aquæ immensitas: Et rupti sunt fontes abyssi magnę. Item abyssus, ineffabilia iudicia dei. In Psalmo: Iudicia tua abyssus multa. Item abyssus, infernus: Aut quis descendit in abyssum? id est Christum de mortuis reuocat. Item abyssus, corda hominum facinoribus tenebrosa: Abyssus dixit, nõ est mecum, id est, sapientia. Ignis, sicut superius memorauimus, accipitur spiritus sanctus, ut Paulus, deus noster ignis consumens est: & iterum, ignis charitas circumsepta eius, circumsepta ignis flammæ eius. Ignis, tribulatio. In Psalterio: Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentũ. Item transiuimus per ignem & aquam. Ignis, ira: Et consumam eos in igne iræ meæ, ait dominus. Ignis, uoluptas: Omnes adulterantur sicut clibanus corda eorum. Item ignis, mentis malitia, ut: Tunc ignis aduersarios cõsumit. Item uirtus charitatis, ut: Currus dei flamma ignis, rotæ eius ignis accensus. Vmbra, ut indicauimus, significatur protectio diuina. Item umbra aliquãdo peccata: Sedentes in tenebris, & in umbra mortis. Vmbra aliquando pœna, in Iob: Vmbra mortis, & nullus ordo. Et quia umbra non longe est ab ea re cuius est umbra, ita & mors non longe est à pœna quæ infert mortem. Vmbra aliquando est delectatio peccatorum, in Iob de diabolo: Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus. Et rursus species aliquæ speciε una res multas significant. Duo testamenta, eo quod hic duo illi lapides molares possint significare, memorauimus. Et item duo testamẽta duo Cherubin, in Exodo: duo animalia, in Abacuc: duæ petræ, in Exodo, & in Canticis canticorum, quarum uelamento sponsa & Moses proteguntur: duo montes ęnei, in Zacharia, de quorum frutetis myrtinis & obscura opacitate egrediuntur quadrigæ cum equis rufis, nigris, albis, & uarijs. Sed has tam multimodas significationes in singulis prosequi nominibus, non solum laboris immensi, uerum etiam impossibile arbitrati sumus. Nunc ergo ad eum interpretationis modum atque ordinem, quem paululum pro necessitate disputandi interrupimus, reuertamur.

Cophini, apostoli. In Euan. Et tulerũt reliquias duodecim cophinos fragmentorum

gmentorum plenos. Item in aliam partem. Manus eius in cophino seruie-runt, id est, in seruitute, uel tribulatione, quam Aegyptij intulerunt. Cathedra, doctrina. In Psalmo. Et in cathedra seniorum laudent eum. Item in aliam partem: Et in cathedra pestilentiæ non sedit, id est in doctrina hæreticorum. Scabellum, humiliatorum subiectio. In Psalmo. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: Item humanitas Christi, ut in Psalmo. Adorate scabellum pedum eius. Statera, æquitas, uel diuinæ gubernationis potentia. In Esaia: Et librauit in pondere montes, & colles in statera.
Cinis, humanæ fragilitatis inanitas. In Salomone: Quid superbis terra & cinis? Olla, prosapia. In Psal. Moab olla spei meæ, id est quod de Ruth Moabitide Christi secundum carnem prosapia descenderit. Item in aliam partem, olla, tribulationis excoctio, in propheta: Et uidi ollam succensam à facie Aquilonis. Lampades, animæ iusticia fulgentes. In Euangelio: Et parauerunt lampades suas. Item claritas miraculorum, uel uerba prædicatorũ, quæ stulti contemnunt, ut Iob. Lampas cõtempta apud cogitationes stulti.
Tenebræ delectationes uel doctrinæ prauæ, ut in Psalmo: In tenebris ambulãt. Item occulta iudicia dei, ut in Psal. Posuit tenebras latibulũ suũ, Item castigatio uel aduersitas, ut Esaias: Ego dñs formans lucẽ & creans tenebras.
Lucerna, ecclesia, uel anima. In Euangelio. Sint lumbi uestri accincti, & lucernæ ardentes. Aliquoties lucernæ, opera bona: Sic luceat lumen uestrum, ut uideant opera uestra bona. Modius, corpus humanum, uel legis litera, uel populus Iudæorum. In Euangelio: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Item iustum iudicium uel mentis libratio in dei & proximi æqua libratione. Vnde Moyses: Iustus sit tibi modius. Candelabrum, ecclesia, uel corpus domini, aut sancta scriptura. In propheta: Et uidi à dextris altaris candelabra duo ardentia. Mensa, altare, uel refectio spiritalis. In Psalmo. Parasti in conspectu meo mensam. Clauis, adapertio scientiæ spiritalis. In Luca: Væ uobis legisperitis, quia tollitis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Item claues, iustitiæ, misericordiæ, pietatisq; uirtutes. In Euangelio: Tibi dabo claues regni cœlorũ. Claui, timor dei, ut in Psalmo: Confige timore tuo carnes meas. Item claui, scientiæ fortis doctores, ut Salomon: Verba sapientum ut stimuli & claui in altũ defixi. Seræ, repagula aduersus impios diuinorum præceptorum. In Psalmo. Quoniam confortauit seras portarum tuarum. Ascia uel dolabrũ, prauorum persecutio. In Psalmo: In bipenne & ascia deiecerunt eam. Bipennis, geminata afflictio, in Psalmo: ut supra. Framea, anima iusti. ut, abundent ergo iusti & effundet framea. Item mors, ut in Psalmo: Erue à framea deus animam meam. Gladius, uerbum dei. Apostolus enim, gladius spiritus, quod est uerbum dei. Item Lingua falsi testis, ut in Psalmo: Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Nauis, ecclesia. In Euangelio: Nauicula multis in medio mari iactabatur fluctibus. Soler &

homo nauicula dici, ut nautæ cogitationes hominũ gubernantes aduertan/ tur. Retia,prædicatio.In euange.Et mitte retia in capturam. Trabes,pec catum grauius.In euange.Eijce primum trabem de oculo tuo. Festuca,pec catum leuius.In euange.Et tunc uidebis eijcere festucam de oculo fratris tui. Laqueus,dolus.In psalmo:Laqueum parauerunt pedibus meis. Funes, sors,uel hæreditas.In psalmo: Funes ceciderunt mihi præclaris. Item funes, peccata: Væ qui trahitis peccata uelut funem longum.Et iterum: Funes pec/ catorum circũplexi sunt me. Rota,orbis,aut uita humana. In psalmo: Vox tonitrui tui in rota.Item:Deus meus pone illos ut rotam.id est,uolubiles,uel instabiles effice in malitia sua.Item utrumq; testamentum,ut est apud Eze/ chielem. Spongia,caua infidelitas Iudæorum. In euange.Illi autem spon/ giam plenam aceto,hyssopo circũponentes obtulerunt ori eius. Scala,san/ ctorum profectus. In Genesi: Viditq; in somnis scalam stantem super ter/ ram, & cacumen illius tangens cœlos, angelos quoq; dei ascendentes & de/ scendentes super eam. Scopæ,cura superstitionis per uanam gloriam. In euange.Et ueniens inuenit uacantem scopis mundatam & ornatam. Stup pæ,cœtus malignantium per uitia & peccata:ut propheta, Stuppæ collectæ synagoga peccantium. Margarita,doctrina euangelica,uel spes regni cœ/ lorum. In euange. Inuenta autem una preciosa margarita, abijt,& uendidit omnia quæ habuit,& emit eam. Anulus,signaculum fidei. In euange. Et date anulum in manum eius.Item de hoc in psal.Signatum est super nos lu men uultus tui domine. Chlamys,laudis ornatus.In Salomone:Chlamy des fecit uiro suo. id est,uestimentum,quod de duobus coloribus, tanquam de duobus testamentis confectum sit. Aurum,interior scripturarum intel/ lectus.In psalmo:Et posteriora dorsi eius in specie auri.Item Christi diuini/ tas:ut in Canticis sponso dicitur,Caput eius aurum optimum. Item splẽdor supernæ ciuitatis Hierusalem,quam Ioannes se uidisse testatur: Ipsa uero ci/ uitas,aurum mundum. Item sapientia: ut Salomon,Thesaurus desiderabi/ lis requiescit in ore sapientis.Item splendor sanctitatis,quem subito commu tatum Hieremias deplorat, Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Argentum,eloquia diuina,siue intellectus literæ, uel histo/ riæ.In psalmo:Eloquia domini,eloquia casta, argentum igne examinatum. Item in malam partem:Aurum & argentũ eorum eruginauit. Scoria,spu ma,uel rubigo,quam in fornace deponit argentũ. tales erũt peccatores,cum eos gehennæ caminus acceperit. Lapides preciosi,apostoli,uel sancti,siue opera ipsa uirtutum. In apocalypsi:Fundamenta muri ciuitatis omnia lapi/ de precioso ornata. Æs,uanitas,uel inanitas fidei.In apostolo:Factus sum uelut æs sonans.Item in aliam partem:Posuisti ut arcũ æreum brachia mea. Hic æreum,fortem,uel firmum. Ferrum,tribulatio,uel homo ipse.In psal/ mo:Ferrum pertransijt animam eius. Plumbum,pondera peccatorum.In propheta:Et uidi iniquitatẽ super talentum plumbi. Fictile,fragilitas car/

 nis.In

nis. In apostolo: Habemus thesaurum hunc in uasis fictilibus.

DE VARIIS VERBORVM SIGNIFICATIONIBVS, quæ per infinitiuum dicuntur. IX



EDIFICARE, bona opera facere, uel bene docere. In apostolo: Si quis autem ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, id est, opera diuersarum uirtutum. Destruere, mala opera exercere, uel male docere. In Salomone: Vnus ædificans, & unus destruens. Mundare, uitijs expurgare. In euangelio: Tetigit eum Iesus, dicens, Volo, mundare: & confestim mundata est lepra eius. Stare, fide consistere. In apostolo: State in fide. Ambulare, ad deum tendere. In psalmo: Et ambulabam in latitudine. Sedere, in deo humiliter quiescere. In euangelio: Vos autem sedete in ciuitate. Iacere, aut uitijs, aut tentationibus succumbere. In euange. Et inuenit eam iacentem in lecto. Currere, in operibus bonis properare. In apostolo: Sic currite ut comprehendatis. Vigilare, custodiam cordis adhibere, uel in deum resurgere. In psalmo: À uigilia matutina usq; ad noctem. Et apostolus, Euigilate iuste & nolite peccare. Item alibi: Vigilate, state in fide, uiriliter agite. Dormire, post trãsitum apud deum requiescere. In psalmo: Nunquid qui dormit, non adijciet ut resurgat? Et aliter: dormire, peccatorum sopore torpescere. In apostolo: Surge qui dormis. Erubescere, in malo optimũ, in bono pessimum: unde dicitur, Est confusio adducens peccatũ, & est confusio adducens gloriã. Ascensus, profectus in deum. In psalmo: Ascensus in corde eius. Descensus, defectus à deo. In euang. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho. Via, Christus. In euange. Ego sum uia, ueritas, & uita. Et aliter: uia, uita hominis. In psalmo: Vias meas enunciaui, & exaudisti me. Et Salomon, Comedent fructum uiarum suarum. Spaciosa, uitiorum illecebris dilatata. In euangelio: Lata porta & spaciosa uia, quæ ducit ad perditionem. Arcta, districta, uel tribulationibus pressa, quæ ducit ad uitam. In euangelio, Quàm angusta porta & arcta uia quæ dũcit ad uitam. Directa, præceptis dei ordinata. In Esaia: Rectas facite semitas eius. Praua, à dei præceptis deuia. In Esaia: Et erunt praua in directa, & aspera in uias planas. Plana, obedientia præceptorum exæquata. In Esaia, ut supra. Aspera, inobedientiæ asperitate horrida: ut supra. À dextris, à parte iustitiæ. In euangelio, Statuet quidem oues à dextris, hœdos autem à sinistris. À sinistris, à parte iniustitiæ. In Euangelio, ut supra. Fouea, dolus, uel lapsus in mortem. In Psalmo, Foderunt ante faciem meam foueam. Puteus, diabolus, uel infernum. In Psalmo, Neque urgeat super me puteus os suum. Et in bonam partem: in Genesi, Ad puteum iuramenti. id est, ad aquam fidei. Item, initium fidei: ut in Canticis, Fons hortorum, fons aquarum uiuentium. Fons, Christus: ut in Psalmo, Sitiuit anima mea ad dominum fontem uiuum. Item, dona dei: ut in Psalmo, Et apparuerunt fontes aquarum.

Item

Item in malam partem, peruersorum dogmatum doctores, & iniqua agentes: ut Petrus, Hi sunt fontes sine aqua. Torrens, tentationum uis mentem impellens: ut in psalmo, Torrentem pertransiuit anima nostra. Item frigus peccatorum, à quo Dauid liberari desiderans ait, Conuerte domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro. Sanitas, mentis integritas. In psal. Clamaui ad te, & sanasti me. Languor, uitiorum morbus. In psalmo, Qui sanat omnes languores tuos. Et in euang. Ipse languores nostros tulit. Lepra, peccatorũ contaminatio. In euang. Et confestim mundata est lepra eius.

DE HIERVSALEM, VEL ADVERSIS EIVS. X

Hierusalem, ecclesia uel anima. In psalmo: Lauda Hierusalem. Et notandum, quod quæcunque in ecclesia generaliter conueniunt, hæc & ad animam referri possunt. Sion, idem quod supra. In psalmo: Lauda deum tuum Sion. Filij Sion, filij ecclesiæ. In psalmo: Et filij Sion exultauerunt super regem suum. Filiæ Hierusalem, idem ut supra: id est, animæ cœlesti uitæ deditæ. Aliàs filiæ sunt infernæ animæ: ut in libro Sapiẽtiæ, Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum. Tabernaculum, corpus domini, uel ecclesia. In psalmo: In sole posuit tabernaculum suum. Item cœlestis patria: ut in psalmo, Ingrediar in locum tabernaculi. Arca, caro dominica, uel corda sanctorũ deo plena. In psalmo: Tu & arca sanctificationis tuæ. Item arca, ecclesia, intra quam saluanda clauduntur. In Genesi: Remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca. Tabulæ lapideæ duæ, ut puto, propter testamenta duo: uel propter duo præcepta dilectionis, dei, & proximi. In Exodo: Et dixit dominus ad Moysen, Excide tibi duas tabulas. Lex, præcepta diuina. In psalmo: Lex domini immaculata. Chirographum, conscriptio hominis peccatoris cum diabolo per manum iniquitatis. In Aposto. Chirographum peccati quod erat contrarium nobis. Pactum, confœderatio gratiæ diuinæ cum homine. In Psalmo: Vidi non seruantes pactum. Testamentum, confirmatio uoluntatis diuinæ. In propheta: Et confirmabo testamentum meum super domum Iuda. Stilus ferreus, fortis sententia diuini uerbi. Præputium, uita gentilis. In Aposto. In præputio aliquis uocatus est, non circundatur. id est, etiam qui ex gentibus ad fidem Christi ueniunt, corpore non circuncidantur. Circuncisio, expoliatio uitiorum. In Apost. Circuncisi estis circũcisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis. Cornu, fortitudo, uel regnum. In Regnorũ: Et exaltauit cornu Christi sui. Purpura, martyrij species per cruorem. In Exodo: Omnis qui percipit corde, adferet initia domino, aurum, argentum, æramentum, hyacinthum, purpuram, coccum netum, & byssum. Fimbriæ, uerba fidei diligenter retinenda: ut in psalmo, Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbria. Coccus, idem quod supra: uel charitatis ardor, uel crucis mentio. In Exodo, sicut supra. Byssus, castitatis, uel continentiæ candor. In Exodo, ut supra. Hyacinthus, confessorum liuores. In Exodo, ut supra.

Superhumerale, operum ab humeris significatio. In Exodo: Et fecerunt superhumerale de auro & hyacintho, & purpura, & cocco neto, & bysso torta.

Rationale, doctrinæ, uel rationis à pectore declaratio. In Exodo: Et fecerunt rationale opere textili secundum opus superhumeralis. Poderis, doctrina secretior atq; perfectior. In Exodo: Et fecerunt uestimẽtum poderem sub umbone opus textile totum hyacinthinum. Lamina aurea in fronte, crucis præfiguratio. In Exodo: Et fecerunt laminam auream, & inscripserunt in ea literas deformatas signaculum sanctitatis domini: id est, nomen tetragrammaton domini. Templum, corpus domini, uel sancti. In apost. Vos enim estis templum dei uiui. Et ipse ait: Soluite templum hoc. Altare, fidei altitudo. In psalmo: Tunc imponent super altare tuũ uitulos. Sacrificium, oblatio iustitiæ, In psalmo: Sacrificate sacrificium iustitię. Item laus dei: ut in psalmo, Sacrificium laudis honorificabit me. Holocaustum, totus fide accensus. In Psal. Holocausta medullata offeram tibi. Hostia, Christus, uel anima dicata deo. In aposto. Oblationem & hostiam deo. Myrrha, mortalitatis indicium. In Psalmo: Myrrha & gutta & casia à uestimentis tuis.

Thus, uirtus orationis: ut in psalmo, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Vnguentum, diffusa nominis Christi gratia. In Salomone: Vnguentum diffusum nomen tuum. Sancta sanctorũ, interiora quæq; mysteria domini, uel regna cœlorum. In epistola ad Hebræos: Non enim in manu factis sanctis Iesus introiuit exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc uultui dei pro nobis. Sabbatum, requies spiritalis. In Genesi: Et requieuit dominus ab omnibus operibus suis. Item Esaias: Si auerteris à sabbato pedem tuum. Item in malam partem: Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius: & cætera. Quadragesima, figura præsentis uitæ ac laboris. In euangelio: Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Pascha, prænuntiatio dominici transitus. In Euange. Ante diem autem festum paschæ sciens Iesus quia uenit eius hora, ut transeat ex hoc mundo ad patrem. Quinquagesima, manifestatio futuræ beatitudinis, uel remissionis. In Leuiti. Numerabitis ergo septem hebdomadas plenas usq; ad alteram diem, & infra. id est, quinquaginta dies. Iubileus, uenturæ quietis significatio. In Leuiti. Annus remissionis signum sanctum erit uobis. Ciuitas dei, ecclesia, uel anima. In psalmo: In ciuitate dei nostri.

Ciues, fideles. In apost. Sed estis ciues sanctorum & domestici dei. Muri, munimenta scripturæ diuinæ, uel prophetæ, aut sancti. In psalmo: Ædificentur muri Hierusalem. Item in aliam partem: In deo meo trãsgrediar murum. Turres, apostoli, uel perfecti quiq;. In psalmo: Et abundantia in turribus tuis. Portæ, scripturæ sanctæ, uel iustitiæ, uel apostoli, aut angeli. In psalmo: Et eleuamini portæ æternales. Item in aliam partem: Quia lata porta & spaciosa uia quæ ducit ad mortem. Plateæ, latitudo dilatata sanctorum. In Apocalypsi: Et plateæ ciuitatis aurum mundum, tanquam uitrum

perlucidum

perlucidum. Fundamentum, Christus, uel fides. In apostolo: Fundamentum aliud nemo potest ponere, quàm id quod positum est, Christus Iesus.

Maceria, lex, uel angelorum custodia. In cantico Esaiæ: Et maceria circundedi, & calamos affixi, & plantaui uineam. Domus, anima in qua Christus habitat, uel ecclesia. In psalmo: In domum domini ibimus. Cœnaculum, altitudo meritorum, uel scientiæ. In euang. Et ipse uobis ostendet cœnaculum magnum. Ostium, adapertio fidei. In apostolo: Ostium enim mihi apertum est, magnum & euidens. Ostiarius, Christus, qui dicit, Per me si quis introierit, saluabitur. Columna, firmamẽtum, uel stabilitas spiritalis. In apost. Iacobus & Ioannes & Cephas, qui uidebantur columnæ esse. Paries, interdum structura bonorũ operum. In Cantico can. Ecce hic retro post parietem nostrum prospiciens per fenestras. Fenestræ, uisus & auditus, uel cæteri sensus: ut supra, Prospiciens per fenestras. Item in malã partem: Mors introiuit per fenestras. Gradus, spiritalis ascensus. In Psalmorũ titulo: Canticum graduũ. Ibunt sancti de uirtute in uirtutem. Pauimentum, humiliatio, uel afflictio animæ, siue in terrena declinatio. In psal. Adhæsit pauimẽto anima mea. Psalteriũ, opera bona. In psal. Psalterium iucũdum cum cithara. Cithara, pectus deuotũ, in quo tanꝗ nerui sunt uirtutes, hoc est, spiritalia bona. In Psal. Exurge psalteriũ cum cithara. id est, opera cum fide: uel de ipso domino, resurrectio carnis cum diuina uirtute. Decachordum, præcepta decem, uel geminati quinꝗ sensus hominis exterioris cum interiore. In Psalmo: In decachordo psalterio, cum cantico & cithara. Organum, homo, uel ille qui est assumptus à domino. In psalmo: Laudate eum in chordis & organo. Tympanum, attenuatum corpus ieiunio. In Psalmo: Laudate eum in tympano & choro. Chorus, concordia. In psalmo: ut supra. Tuba, uocis exaltatio in prædicatione diuina. In propheta: Exalta ut tubam uocem tuam. Cymbala, labia dominum confitentia, uel dilectio dei & proximi. In Psal. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus. Iubilatio, clamor spiritali feruore expressior. In Psal. Laudate eum in cymbalis iubilationis.

Ægyptus, mundus hic, uel gentilium populus. In psalmo: Venient legati ex Ægypto. Æthiopia, ecclesia ex gentibus. In psalmo: Æthiopia præueniet manus eius deo. Item in aliam partem: in Psalmo, Dedisti eum escam populo Æthiopum. Babylon, aut mundus, aut Roma. In Apocalypsi: Et Babylon magna uenit in memoriã ante deum dare ei calicem uini indignationis iræ eius. Inimici, diabolus, uel uitia. In psal. Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. Fures, hæretici, & pseudoprophetę. In euangelio: Omnes quotquot uenerunt ante me, fures fuerunt & latrones. Gentes, uitia. In pentateucho: Cum introduxerit te dominus deus in terrã quam possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas corã te. Item in aliam partem: Omnes gentes plaudite manibus. Pugna, certamen aduersus nequitias spiritales, uel aduersus uitia cõflictus. In apostolo: Sic pugno non quasi

aerem uerberans. Pax, carnis in bonum & spiritus concordia. In psal. Rogate quæ pacis sunt Hierusalem. Item pax, Christus. In apostolo: Ipse enim est pax nostra. Victoria, de diabolo, uel de aduersis triumphus. In apost. Deo autem gratia, qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Brauium, consummatorum præmium meritorum. In aposto. Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ uocationis dei. Corona, æternæ gloriæ pro iustitia merces. In apostolo: De reliquo reposita est mihi corona iustitię. Quoniam spiritalium profectuum cõsummatio prouehit ad coronam, recte horum quoq; spiritalem nominum interpretationem corona consummat. Quæ tamen nomina uniuersa complecti arduum duximus, sicut etiam illud, ut depromerentur cuncta quæ se in utramq; partem gemina significatione diffundunt.

DE NVMERIS XI



SANÈ tandem his nominibus absolutis, numeros quoq; breuiter digeramus, quos mystica exemplorum ratio inter sacratos celebriores fecit. I. Hic numerus ad unitatem deitatis refertur: in pẽtateucho, Audi Israel, dominus deus tuus unus est. Et Apostolus, Vnus deus, una fides, unum baptisma. Et arca Noe, qua sancta ecclesia designatur, in uno cubito cõsummatur: quia in unius dei contemplatione requies æterna perficitur. II. Ad duo testamenta diuinæ legis referuntur: in Regnorum, Et fecit in Dabir duo Cherubin decem cubitorum magnitudine. Duo præcepta charitatis, amoris uidelicet dei, & proximi. Duo in agro, duo in molendino, duo in lecto leguntur in sancto euangelio. III. Ad trinitatem: in Ioannis epistola, Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, uerbum, & spiritus sanctus: & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Et in Gen. Tres propagines. IIII. Ad quatuor euangelia: in Ezechiele, Et ex medio eorum, similitudo quatuor animalium. Sicut & quatuor flumina paradisi. Nomen tetragrammaton quatuor literis Hebraicis scribitur. Quatuor cornibus sancta crux insignitur: ut Abacuc, Cornua in manibus eius. V. Ad quinque libros Moysi, ad quinq; porticus, ad quinq; panes, ad quinq; plagas in corpore dominico. Apostolus: In ecclesia uolo quinq; uerba sensu meo loqui. VI. Ad diem sextũ, quo dominus hominem cum uniuersis terræ animantib. fecit. In Genesi: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Item paulopost: Et factum est uespere, & factum est mane dies sextus. Senario numero perfectio comprehẽditur: propterea deus sex diebus mundũ perfecisse describitur, & ipsis quinque unus adijcitur, ut lex per euangelium impleatur. Sex sunt ætates seculi: quinq; transierunt, sexta à Ioanne Baptista & inhumanato Christo decurrit ad finem seculi: unde & sexta die fecit deus hominem ad imaginẽ suam, quia sexta ista ætate manifestatur per euangelium reformatio mentis nostræ, secundũ imaginem eius qui creauit nos. Sex has ætates, illæ sex hydriæ

ſignificant,quas dominus impleri iuſſit aqua:& in iis aqua conuerſa eſt in uinum,ut iam manifeſtatum Chriſtum in lege & prophetis intelligamus. Illa ergo tempora ſex,quaſi per articulos diſtributa,atq; diſtincta,quaſi uaſa eſſent inania,niſi à Chriſto implerentur. Tempora utiq; inaniter præterirent, niſi in eis dominus Ieſus Chriſtus prædicaretur. Impletę ſunt igitur hydriæ, id eſt,adimpletę ſunt prophetiæ. VII. Ad diem ſeptimum,in quo perfectis omnibus dominus requieuit. In Gen. Et requieuit deus die ſeptimo ab omni opere quod patrarat. Numerus is humanæ rationis cauſa ſummam perfectionem ſignificat: quia ex primo pari & ex primo impari conſtat: ex primo ſiquidem qui diuidi poteſt, & ex primo qui diuidi non poteſt. Hinc iubileus, qui perfecta requies exprimitur, ſeptem hebdomadis conſtat. Hinc ſeptem ſpiritus,qui ſunt ante thronum dei. Et ſeptiformem gratiam ſpiritus ſancti ſignificauerūt ſeptem panes,quibus Chriſtus quatuor hominum milia ſatiauit. VIII. Ad diem dominicum reſurrectionis,id eſt octauum. In titulo Pſalmi, In finem pro octaua. IX. Ad ſacramentum horæ nonæ,qua dominus ſpiritum emiſit. In Euangelio: Et circa horam nonam clamauit Ieſus uoce magna. Sunt & nouem nomina precioſorum lapidum, & nouem ſunt ordines angelorum. X. Ad decalogum,id eſt,decem uerba,quæ in tabulis duabus ſcripta ſunt. In Pſal. Decachordo pſallam tibi. XI. Ad apoſtolos. In Euang. Vndecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam. Vndenarius etiam numerus,quando denariū monade excedit,pro tranſgreſſione & reprehenſione ponitur: unde & Petrus apoſtolus nō paſſus eſt numerū apoſtolorum in undenario conſiſtere,ſed elegit Mathiam duodecimum in ordine. Hinc undecim ſaga cilicina in ueteri lege fieri præcipiūtur, quæ ſignificant pœnitentium actus pro commiſſis peccatis. Ad undecimam tādem horam, gentiles & ætas decrepita uocatur. XII. In Euangelio, Duodecim autem nomina ſunt hæc. Hoc numero ſignificatur uniuerſa iudicantiū multitudo,propter duas partes ſeptenarij, qua plerumq; ſignificatur uniuerſitas: quæ duæ partes,id eſt,tria,& quatuor,altera per alteram partem multiplicatæ, duodecim faciunt. XIIII. Ad ſacramentum dominicæ generationis. In Euange. ab Abraham uſq; ad Dauid, generationes ſunt quatuordecim. XV. Ad quindecim gradus templi,quos fecit Salomon: ad quorum numerum,quindecim Pſalmi qui inſcribuntur Canticum graduum,compoſiti ſunt: id eſt,à Pſalmo, Ad dominum cum tribularer: uſque ad, Laudate nomen domini.

XVI. Ad numerum prophetarum. XXII. Ad ſacramentum diuinorum uoluminum,ſecundum literas Hebræorum. XXIIII. Ad myſterium numeri ſeniorum. In Apocalypſi: Et ſuper thronos uiginti & quatuor ſeniores. Et uigintiquatuor ſortibus in miniſterio templi diſtributi fuerūt ſacerdotes à rege Dauid. XXX. Ad fructus fidelium coniugiorum. In Euangelio: Et dabunt fructum aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum: quod ad coniuges,ſexageſimum ad uiduas,cēteſimum ad uirgines pertinet.

XXXIII. Ad mysterium ætatis, qua dominus in carne uersatus est: in apostolo, sicut quibusdam ex hoc uidetur, Donec occurramus in unitate fidei, & agnitionis filij dei, in uirum perfectũ, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. XL. Ad quadragesimæ sacramentum: in euangelio, Et agebatur à spiritu in deserto diebus quadraginta. Et uirtus decalogi, per quatuor libros euãgelij impletur, decalogi autem mandata perficimus, si quatuor sancti euangelij libros perfecte custodimus: sic per continentiam, uigilias, & orationes, & cætera quæ Apostolus commemorat, arma iustitiæ ad immortalis uitæ præmia peruenimus. XLII. Ad numerum in eremo mansionum, uel ad numerum generationum, quæ ab Abraham sunt usque ad dominum Iesum Christum. XLVI. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum, à transmigratione redeuntib. Iudæis: secunda ædificatione post Salomonem. Hic annorum numerus perfectioni dominici corporis aptissime conuenit. L. Ad pentecosten: in Actibus apostolorum, Et cum complerentur dies pentecostes. LX. Ad fructum uiduis, siue continentibus debitum: in euangelio, Et dabunt fructum, aliud sexagesimum. LXXII. Ad numerum presbyterorum Moysi, uel discipulorum quos dominus elegit: in euãgelio, Post hæc autẽ designauit dominus & alios septuagintaduos, & misit illos binos. C. Ad martyrum fructum, siue uirginum: in euangelio, Dabunt fructum, aliud centesimum. Numerus ille absolutam perfectionem significat: sicut de electis dicitur: Qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores: & cætera quæ sequuntur: centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Centum etiam quantitatem temporis indicat: ut Esaias, Centum annorum puer morietur: & cætera. Est & in euangelio centesima ouis, quam Christus sacris suis humeris imponens ad cœlestem patriam detulit. M. Millenarius numerus pro perfectione omnium numerorũ ponitur, & pro perfecta bonorum omnium actione. Sic Petrus in epistola: Vnum uero hoc non lateat uos charissimi, quia unus dies apud deum, sicut mille anni. Nam in cognitione dei, præterita, præsentia, & futura, sunt æqualiter præsentia: & quæ longa, siue breuia nobis uidentur temporum curricula, æqualis spatij sunt apud deum.

Hos igitur certos sacratosq́ numeros exempli tantum causa protulimus. Sunt uero præter eos plurimi, uel penè omnes sacrati, qui quo modo fiant, ipse diuinæ lectionis scrutator inuenies.

FINIS

D. EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI IN PRIMVM librum Instructionum Præfatio ad Salonium.



SAEPE A ME REQVIRIS MVLTArum rerum absolutionem, quæ in diuinis uoluminibus interpretem postulant: colligam, prout redierint in memoriam, quæ à te mi Saloni studio cognoscendi sedulò copioseq; prolata sunt: atq; eis non ex meo ingenio, sed ex illustrium doctorum iudicio, neq; ex propria temeritate, sed ex aliorum autoritate respondeam, consectans, non tam eloquij exultantis ambitũ, quàm necessariæ breuitatis modum. Sic enim & innumeris satisfieri inquisitionibus tuis poterit, & mihi insuper liberum erit aliqua extrinsecus quæ cognitioni tuæ utilia arbitrabor, inserere: ut est illud, Quid significet Alleluia, Diapsalma, Amen: quid sit Cidaris, Ephod, Siclus, & cætera: quæ uel in sacris libris frequentata, uel maxime in ecclesiæ usu posita, interpretationem requirunt. Hæc cum se legẽtibus per totum scripturarum corpus crebrò offerant, non ab re existimaui ea tibi cum significationibus suis in opere hoc, quasi coaceruata ostẽdere. Dignum namq; est quacunq; cura mea ingenium tuum reparari, qui uixdum decem natus annos eremum ingressus, inter illas sanctorum manus non solum imbutus, uerumetiam enutritus sis ab Honorato patre, illo inquam primum insularum, postea etiam ecclesiarum magistro: cum te illic beatissimi Hilarij tunc insulani tyronis, sed iam nunc summi Pontificis doctrina formaret, per omnes spiritalium rerum disciplinas, ad hoc etiam te postea consummantibus sanctis uiris, Saluiano, atq; Vincentio, eloquentia pariter sapientiaq; præminentibus. His igitur tot ac talibus usus magistris, ex me quoque minimo omnium audies, quæ sciscitatus es. In quibus iam nunc & interrogantem te, & me respondentem recognosce.

Hilarius

Saluianus

Vincentius.

Vale in Christo.

DE QVAESTIONIBVS DIFFICILIORIBVS VETERIS & Noui Testamenti.

IN GENESI INTERROGATIO



VIBVS scripturarum testimonijs trinitas approbatur? RESPONSIO, Multifariàm, & multis id quidem significatiōibus per omnia ferè sacra uolumina declaratum manifestatúmq; diffunditur: sed nos breuiter hoc in ipso statim diuinarum scripturarum demonstremus exordio. In principio, inquit, fecit deus cœlum & terram. Et infra: Et spiritus dei ferebatur super aquas. In principio: hoc est, in filio: quia per filium fecit deus pater cœlum & terram. Cui & illud à patre dicitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Omnia enim per filium operatus est: quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ferebatur autem super aquas spiritus dei: utiq; sanctus. Ecce habes & deum patrem, & filium, & spiritum sanctum. Item aliud: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Ecce deum, & uerbū quod est filius, & spiritum eius sanctum. Item in euāgelio: Ite, baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Sed pater ingenitus, filius genitus, spiritus sanctus nec genitus nec ingenitus. Ne si ingenitum dixerimus, duos patres dicere uideamur: & si genitum, duos filios: sed potius qui ex patre & filio procedat, uelut quædam patris filijq; concordia. Neq; apud nos potest sine spiritu sancto iusta esse concordia. Idem spiritus & charitas & donum dei dicitur. Idem & diuisor est gratiarum. Ergo pater ex quo omnia, filius per quem omnia, spiritus sanctus in quo omnia: sicut & Apostolus dicit, Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum. INTERR. Spiritus dei quomodo ferebatur super aquas? RESP. Non peruagatione, sed potestate, dum creaturæ suæ supereminet regentis imperio. INT. Aquas ubi legimus à deo factas? R. Etsi factas eas in exordio creaturarum non euidenter diuinæ lectionis textus expressit, à deo tamen factæ sunt. Nam & aliquanta alia quæ non scribuntur, quomodo de cæteris intelligantur, ostenditur. Sicut & apostoli baptizati intelligendi sunt, cum baptizatos eos non penitus manifestet apertior scripturarum significantia. Licet quidam hoc intelligi illo uolunt testimonio quod saluator dicit, Qui lotus est, non indiget ut lauet. Et tamen de aquis à deo factis illud nos aliquatenus instruere testimonium potest quod dicitur, Separentur aquæ in congregationem unam, & appareat arida: quia scilicet non præciperet, ut aquæ à terra quam fecerat, secernerentur: nisi & aquas ipse fecisset. Nec enim consequēter in creaturarum ordine postea distingui iuberet, quod ipse antea nō creasset. Et hoc quidem ob id colligimus, quia creationis eius manifeste Genesis non intulit mentionem

nem. Manifestius autem creaturæ huius deum designat autorem Psalmus ille qui dicit: Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud. INT. Quid est quod dicitur: Et uidit deus quia bona sunt ualde? R. Vidit, hoc est, approbauit, id est, non ignoratione, sed manifestatione. INT. Quæ consequentia nominis est ut scribatur: Hæc uocabitur mulier, quoniam ex uiro sumpta est? R. Etymologia quæ hic in Latino non sonat, in Hebræo sermone seruatur. Vir enim uocatur is, & mulier issa. Quod animaduertitur pulcherrime recens custodisse translatio diuina, dicens: Hæc uocabitur uirago, quia ex uiro sumpta est. INT. In quo dei similitudinem retinemus? R. In mente. INT. Paradisus ubi esse definitur? R. Diuersa super hac re sententia plurimorum est. Aliqui tamen hunc in terra esse definiunt, ut non potuerit nisi in terra habitare terrenus: quem tamen homini inaccessibilem effici diuina uirtute confirmant. INT. Eden in Genesi quid accipiemus? R. Sacratissimum ipsum ad orientem paradisi locum. INT. Quid intelligendum est de arbore illa scientiæ, boni, & mali? R. In primis ne, ut quidam hæretici interpretantur, malorum, ita ut bonorum putetur ex hoc conditor deus. In arbore quippe illa quæcunque erat, præceptum dei intelligendum est: sed in custodia præcepti scientia erat boni, in transgressione præcepti scientia erat mali. Ergo degustata arbore, id est, præcepti lege uiolata, scientia erat mali: quia præcepti legisque transgressum consequebatur & pœna. INT. Si deus hominem immortalem fecerit, quemadmodum potuit mori? R. Non quod penitus immortalis homo factus à deo fuerit, sed aut seruando mandatum crescerent ad æternum, aut præuaricãdo caderent in infernum. Et ne propria lege uiuẽtes similes deo putarentur, aut nullis extantibus meritis sempiternum paradisum possiderent. Tandiu enim uel angelus, uel homo diuino fauore protegitur, donec iniunctum sibi officium impleuerit. INT. Quomodo accipiendum est illud, quod nobis scriptura deambulantem in paradiso deum retulit? R. Dei in eodem loco præsentia hac deambulandi appellatione manifestatur. Scripturæ enim mos est, quo facilius hominibus ad intelligentiam clareat, per humanas significationes diuinos motus, affectusque ostendere. Sicut cum dei brachium dicit, potentiam eius uirtutemque significat: Cum aures, eo quod cuncta indubitanter audiat: Cum oculos, eo quod indiscrete uniuersa prospiciat: Cum animam, eo quod perpetuum semperque uiuat, aut quod autore ipso omnia uiuificentur. INT. Cum omnia bona deus fecerit, nihilque non ab illo factũ sit, unde malum? R. De priuatione boni: dum id quod in bonũ autor bonus protulit, in malum à male utentibus deprauatur. In ipsa autem creaturę substantia nihil est quod recte appellari malum possit. Porrò ea quæ putãtur mala id est serpentum & cætera bestiarum animantia, per incõuenientem naturæ modum efficitur, ut noxia sint. Venenũ quippe quod mortem infert homini, uita serpentis est. Si enim homo perpetuò immortalis mansisset, ueneni

Scripturæ mos.

perni-

perniciem incurrere non timeret. Hoc modo & alia in aquis uiuunt, quæ terræ exposita moriuntur. Atq; ecótrario, uiuunt alia in terra, quæ aquis immersa depereũt. INT. Quia totius substãtia creaturæ à deo autore processit, requiro quid de tenebris sentiendum sit? R. Quidam ex hoc ita disputant: Silentium dicitur ubi sonus nullus est, cũ tamen nullam silentij nouerimus esse substantiam. Sic & quia lucis præsentia nullæ sunt tenebræ, merito tenebræ deputantur lucis absentia. Cui opinioni parũ congruere putant alij testimoniũ illud quod scribitur: Tuus est dies, & tua est nox. INT. Cum nulla esse ignorantia apud deum possit, quomodo ipse in libro Geneseos in exordijs dicit dominus: Adam ubi es? R. Hoc est dicere: Adam, quò recidisti? Non ergo uox ista quasi pro ambigui sciscitatione quærentis est, sed cum increpatione interrogantis est. Et aliter: sermo hic, non deum ueri inscium, uel ubi esset Adam deum ostendit ignarum: sed illud potius ostendit, quod omnis ille qui peccat, uelut iam erroribus suis deuius, & per delictũ recedens à conspectu dei, notitia eius efficiatur indignus. Et aliter: interrogat, ut suis quisq; responsionibus conuincatur: quia licet non ignoret quod sibi uult indicari, uult tamen delinquentem etiam responsionis testimonio reum statui. Dum enim interrogat, iudicat. INT. Quid est quod ait: Maledicta terra in operibus suis? R. Hic opera non tam excolendi, atq; exercendi agri, quàm peccata intelligenda esse, quidam arbitrantur. INT. Quomodo intelligendũ est quod dicit: Et habitauit in terra Naid: uel sicut in Hebræo habet, Nod? R. Naid instabilis dicitur, ergo terræ nomen est: sed iuxta pœnam sentẽtiamq; diuinã, Cain fuisse uagũ profugũq; declarat. INT. Cũ superius uirũ & mulierem nominibus suis utrumq; designasset, quid est quod in consequẽtibus adiecit, & dicit: Virum & mulierem fecit eos, & benedixit eis, & uocauit nomen eorum Adam? R. Adam interpretatur homo: hominis uero nomine manifestũ est tam uirum appellari posse, quàm fœminam. INT. Quid est quod in annis Mathusalem quatuordecim anni per diligentem supputationem ultra diluuium deprehenduntur, cum octo tantum animæ in arca fuisse referantur? R. Error in numero est: quippe cum in Hebræorum libris ita legatur, ut intra diluuij tempus hic quatuordecim annorũ numerus expleatur. INT. Cum dominus dicat: Erunt dies eorum centum uiginti anni: quomodo postea Abrahæ, aliorumq; multorum uitæ tempora ultra hæc spatia tenduntur? R. Quia ibi hic annorum numerus agendæ potius pœnitentiæ, quàm uitæ fuerat attributus humanæ: intra quem præscriptum numerũ confessioni uacarent, ut diluuio non perirent. Aut si numerum illum ad humanam potius referri uitam placet: quia neq; nunc amplius quenquam, quàm centum uiginti annos uiuere liceat: illud quod dictum est: Erunt dies eorum centum uiginti anni: non in eos qui tunc contiguo tempore subsequuti sunt, sed in posteros promulgauit: quia nõ dixit, Sunt: sed, Erunt. INT. Quid est quod ait: Dilatet deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem? R. De Iapheth

pheth,qui in lingua nostra latitudinem sonat,gentium nascitur multitudo, de Sem Hebræi. Hoc ergo significatum est, dei scripturarumq; notitiam, eiecto Israële,à nostris uindicandam. Notandum uero est,tres Noe filios, tres post diluuium terræ partes occupasse.Sem namq; posteritas in Asiam uel orientem,Cham in Africam uel meridiem,Iapheth cum parte Asiæ in- Europam se occidentemq; porrexerũt. INT.Quid est quod dicitur in Genesi:De terra exijt illa Assur,& ædificauit Niniuen & Rooboth ciuitatem? R. Non duas significat ciuitates.Rooboth namq; plateas dicit.Est ergo sensus hic: Aedificauit Niniuen,& plateas ciuitatis. INT.Quomodo occurrendum est arguentibus,quod Abraam fratris sui Saram filiam sibi in matrimonium sumpserit? R. Quod quæ à domino tunc non fuerant lege interdicta,adhuc non putabãtur illicita. INT. Quid fuit ut Iudæis,quod neq; nos absq; uerecundia sciscitamur,signum in illa uerecundiore corporis parte poneretur? R. Poscebat quidem mi Saloni,tantarum profunditas quæstionum ordinata ac spaciosa disputatione nos propositis satisfacere, & pro meritis reddere singulis uelut quandam immorandi dignitatem: sed quid agimus? quibus festinato opus est,ad tam multa properantibus:exhibenda prolatis à te rebus est nuda & circumcisa responsio.Itaq; ad hoc quod nunc requiris agnosce,quod nihil turpe in ipsa creatione conditi hominis uideri potest:quippe cum omni compage membrorum,totumq; hominem deus finxerit. Deinde nec incongruum fuerit, ut generatio illa signum in parte membri genitalis acceperit, per quod generationis ipsius promebantur exordia. Cęterum secundum interiorem intelligentię sensum,per hanc circumcisionem secretioris partis corporis illud præfiguratũ est, quod secretior circumcisio,id est cordis,oporteret adhiberi. INT. Scribitur in Genesi: Tentauit deus Abraam,quasi ignorabat dominus,an fidelis Abraam foret, nisi manifestandæ rei probatione tentasset. R. Non quia fidẽ eius Deus ignoraret,tentauit Abraam ueri exploratiõe,sed idcirco tentatus est, ut tentatus iustificaretur,& alijs imitandus proponeretur. INT. Quomodo Iacob dicit:Vidi dominũ facie ad faciem,& salua facta est anima mea.cum in Euangelio legatur:Deum nemo uidit unquã? Aut quomodo Moyses cum deo facie ad faciem tanquam cum amico locutus scribitur. & rursus idem dicit ad dominum,Ostende mihi gloriam tuam? R. Quia Iacob,uel Moyses non in ipsa maiestatis suæ gloria deum uiderant,sed per subiectam diuinæ potestati speciem uisibilis creaturæ,quæ humanis poterat apparere cõspectibus. In ea autem substantia maiestatis in qua est, quomodo deus à mortali adhuc homine uideretur,cum ipse ad Moysen dicit: Non poteris uidere faciem meam:non enim uidebit me homo, & uiuet. Hac ergo ratione utrunq; testimonium uerum est. INT.Quid est quod ait:Ipse est Ana qui inuenit Iamin in deserto,cum pasceret asinos Sebeon patris sui? R. Iamin Latine maria interpretatur,id est aquarum congregatio:eo quod stagnum rem in

eremo haud dubie difficilē ipse reppererit. Indicat Iamin & asinos qui de ona gris eius institutione nascantur. Sunt qui æstimant, quod permixtionem di uersorum inter se animalium ipse primus, ut muli, uel mulæ nascerentur, in uenerit. INT. Quæ sunt illa primogenita, quæ Esau uendidit Iacob fra tri suo? R. Prior & maior pars primogenitis debebatur uel in honore, uel in hereditaria successione, uel in gratia paternæ benedictionis. Sicut ipse Ia cob, Ruben, inquit, primogenitus meus, prior in donis, maior imperio. Et in libro Deuteronomij de primogenito scribitur: Dabitq; ei, id est pater, de his quæ habuerit cuncta duplicia. Iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. Vnde & Isaac benedictionem suam ad Esau putauerat primogeniti iure deferendam. INT. Quid his respondendū est qui ob uxores multas, incontinentiam patribus uel patriarchis nostris obijciendam putant? R. Primum, quod tunc nondum lege prohibitum, quia consuetudo erat, crimen esse nō poterat. Deinde, quod illa tunc uel pro loco, uel pro tempore non improbabilia apud deum fuerint. Pro loco, sicut & in una domo in altero angulo aliquid fieri à quolibet domino pręcipitur, quod in alio nequaquam fieri permittitur. Pro tempore uero, quod rudi ad huc seculo præceptum fuerat: Crescite & multiplicamini. Nūc uero iubetur, ut qui habēt uxores, tanq; nō habentes sint. Non quod iustitia uaria sit, sed tempora mutabilia, quæ pariter ire non possunt, & diuersis quibusq; tempo ribus uel diuersis locis diuersa cōgruant. Necesse est postremo, quod in his ex uoluntate domini sub specie gestorum præsentium fieret quædam præ nuntiatio futurorum. INT. Quid est quod dicit: Et ecce uitis in conspe ctu meo, & ecce in uite tres fundi? R. Tria flagella uel tres propagines in dicantur sub hac trium enuntiatione fundorum.

IN EXODO

INT. Loquitur ad Abraam Deus, quod quarta progenie de terra Aegy pti reuersuri essent filij Israel, & quomodo postea Moyses scribit: Quinta au tem progenie ascenderūt filij Israel de terra Aegypti? R. Si genealogiam secundum Leui tribum requiras, quatuor progenies pro filiorum successio ne numerabis: si tribus Iudæ ordo replicetur, quinq; generationum successio nes inuenies: quanquam in Hebræo, ut indicat Aquilæ studiosissimi transla toris æditio, non habeat, Quinta generatione ascenderunt: sed, armati ascen derunt filij Israel de terra Aegypti. INT. In scripturis frequēter legimus, Et dixit dominus: istud dicere domini quomodo accipiēdum est? R. Di cere dominus uel loqui scribitur, si quando ad sanctorum aures expressum, qui sæpe ab alijs non auditur, facit sonum peruenire uerborū: Aut cum per adsumpti cuiuslibet corporis speciem deus loquitur: aut cum aliquis admo nitione, siue reuelatione nocturnæ uisionis instruitur: uel certe cum ea quæ agi uult dominus, sanctorum cordibus ut agantur, inspirat, secundum illud: Audiā quid loquatur in me dn̄s deus. INT. Dicit dominus ad Moysen

Aquila translator studiosissimus.

Poste-

Posteriora mea uidebis: quid hic intelligendum est? R. Quod posteriora diuinorum operum in Christo postremis manifestanda temporibus, uel in spiritu uisurus esset, uel in posteris suis. INT. Quæ referēda sunt inquirentibus, quā ob causam deus uni tantū genti per Moysen legem dederit: atq; hanc ipsam multa iam seculi ætate transcursa? R. Quod nō Iudæis tantū lex illa prolata sit, quæ omnibus gentibus cōstitutione naturalis legis innascitur, apostolo hoc etiā cōfirmante, atq; dicente: Cum enim gentes, quæ legem nō habēt, naturaliter quæ legis sunt faciūt, eiusmodi legē non habētes, sibijpsi sunt lex, qui ostendūt opus legis scriptum in cordibus suis, Atq; idcirco non sero dominus legē innocentiæ in decem uerba collegit, cuius iam insitæ in pectoribus humanis origo præcesserat, Nec tarde eam saxeis tabulis rursus inscripsit, quā iam antea paginis cordis insculpserat. Etenim ante hāc Moysi legē habebat natura legē suam, per quā & deum mundi uitæq; autorem agnoscere, & per hoc diligere, in promptu erat, & iustitiā erga proximū dilectionemq; seruare. In quibus mādatis duobus omnis lex pendet & prophetæ. Igitur & illud ante iam nouerant: Omnia quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite eis: in quo est & lex & prophetæ. Et ut hoc etiā exemplis probemus: ante hanc legē literæ per illā naturę legem Abel iustus agnoscitur, Enoch rapitur, Noë eligitur, Abraam pater gentiū nuncupatur. Quā ob rem hanc Moysi legē non sero esse prolatam, præcedens effecit lex naturæ, per quam multi deo probabiles extiterunt. INT. Quis est ille digitus dei, quo duæ legis tabulæ leguntur scriptæ? R. Digitus dei hic accipiendus est spiritus sanctus.

IN LEVITICO

INT. Quam ob rem in sacrificijs mel prohibetur offerri? R. Quia secundum interiorem sensum resoluti blandimentis delitiarum, aut dulcedine uoluptatū, non possunt mysteriorū dei esse participes. Hinc est igitur, quod etiā Pascha domini comedi cum amaritudine iubetur: quia sit semper austēra districtio ueritatis. Oportet ergo absq; ullo adulatiōis ac uoluptatis melle noxio salutares nos deo hostias semper offerre, & dicere: Ergo inimicus factus sum uerū dicens uobis? Econtrario admisceri in omnibus sacrificijs sal iubetur, scilicet ut omnia quæ ad Christi honorē cultumq; offerimus, salem rationis ac discretionis semper accipiāt. INT. Quid proprie ad usum pertinebat sacerdotū, quidúe ad leuitarū ex his quę populus offerebat? R. Primitiæ frugum cæterarūq; rerū sacerdotibus, decimæ uero leuitis deputabantur. De quibus tamē decimis decima sacerdotibus debebatur. INT. Vniuersa quæ deus condidit, bona ualde sunt: & quomodo in lege quædam animalia uocātur immunda? R. Vt reliqua taceam, quæ ex hoc dici possunt, immunda appellata sunt esui, nō creationi. Horum enim in cibum usus pro quibusdā figuris diuina interdictus lege cognoscitur. INT. Cūm munda & immūda animalia diuina per Moysen lege discreta sint, quomodo etiam

ante diluuium de his quæ in arcam recipienda erant, immunda appellãtur animalia? R. Moyses inspirante sancto spiritu, Pentateuchi scriptor & conditor est: & quia in Leuitico de mundis immũdisq́ animalibus erat proferenda discretio, etiã in Genesi, quia utriusq; libri idem autor est, eadẽ animalia appellauit immunda. INT. Quæ de ueteri testamento relinquere uel quæ obseruare debemus? R. Debemus obseruare mãdata, quæ ad corrigendam uitã moresq́ pertinent: relinquere autẽ ceremonias, ritusq́ sacrificiorum, quæ figuras atq; umbrã futuris tunc rebus prætulerũt. INT. Quid respondebimus obijcientibus, quã ob causam deus sacrificijs ueteribus repudiatis, nouis delectatus sit? Nihil enim corrigi affirmant, nisi quod nõ recte factũ putet. R. Spaciosa quæstio, sed nos pro necessitate breuiter respondebimus, quod nõ ideo deus uideri possit mutabilis, quia hæc pro temporũ opportunitate mutata sint. Nam & annus temporibus, & uitæ spaciũ uariatur ætatibus. Nec idcirco quæ ista instituit, diuinæ prouidentiæ ratio uariatur. Nec agricola si æstate aliud, hyeme aliud in exercẽdo agro iusserit, agriculturæ ratio mutatur. Non quod is sui uideatur esse dissimilis qui facit, sed tempus quo facit. Præcipit ergo deus quæ apta sunt suis quibusq; temporibus. Sicut etiã hic de sacrificijs præcepit, nõ causa suæ delectationis, sed humanæ, ut cætera, utilitatis. Et ideo uerus est dominus, quia bonorũ nostrorũ nõ indiget. Sed hæc ipsa sacramẽtorũ cõmutatio ne noua, & subito putetur assumpta, prædicta iamdudũ propheticis atq; diuinis uocibus fuerat, quibus dicitur: Non accipiã de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Postremo, ut breuiter concludamus, cur diuersa sibi sacrificia deus uoluerit offerri, quia alijs sacramentis Christum prænuntiari oportuit cum uenturus esset, alijs adnuntiare oportuit, cum uenisset.

IN NVMERIS.

INT. Balaã ille gẽtilis quid est quod ꝓphetasse secundũ fidẽ sacræ cõprobatur historię? R. Vt multis innotesceret modis ueritas, dũ usq; quaq; prolata, etiã per infideles adnuntiaret. Et ut hoc ex gẽtibus prophetãte signũ esset gẽtibus credituris. Nam & Heliu in Iob libro de futuris haud dubie multa prędixit. Et Caiphas de domino ac saluatore nostro in euãgelio ꝓphetauit.

IN DEVTERONOMIO.

INT. Cum in Deuteronomio LXX tantũ animæ cum Iacob Aegyptũ scribãtur ingressæ, quomodo postea in actibus Apostolorũ introisse Aegyptum quinq; & septuaginta animas refertur? R. Cõstat quidẽ eo tempore quo Iacob ingressus est Aegyptũ cum Ioseph filijsq́ eius Effraim & Manasse LXX animas tantũ fuisse. Ibi uero ubi LXXV animarũ numerus refertur, quasi per anticipationẽ etiã filios nepotesq́ Effraim & Manasse numerandos putauit, quos postea in Aegypto natos diuinæ relatio lectionis ostendit. INT. Quid respondendum est Iudæis obijcientibus testimonium illud: Maledictus omnis qui pendet in ligno. RESP. Maledictum esse

esse hominem qui in ligno pendeat, sed noxium, non innocentē. Neq; enim innocētiæ potest esse maledictū pœna peccati. Etenim si Mardochæus præparato ligno appensus, sententiā regiæ crudelitatis explesset, nunquid eum hi nunc dignū hac maledictione iudicarent? Aut Machabæi, atq; alij, quos scriptura morte simili indignissime testatur adflictos, nūquid apud eos pro maledictis habētur? Quapropter saluator noster à morte redempturus hominem, ita crucē non refugit, ut mortē. Igitur in minoribus non calumnientur, cum pro patientia domini nos etiam in maioribus gloriemur. Nec mirū si dicatur patibulū subijsse, quē nos etiā ad inferna descendisse fatemur: qui cum propriū ipse peccatū non habuerit, suscepit tamen mortē de peccati maledictione uenientē. Atq; idcirco pependit in ligno, ut nos à delicto quod in ligno fuerat pditionis admissum, in ligno appēsus absolueret. INT. Quomodo in Deutero. deus zelatus fuisse dicitur, cū in deū nulla perturbatio cadat? R. Deus perturbari, ut ipse ais, nō potest, sed trāquilla bonitate zelat: ne uni deo debēs anima castitatē, p multos falsos corrupta & pstituta turpetur.

IN IOB.

INT. In Iob qualiter accipiendū est, quod scriptura cōmemorat, Aurum Ophir. R. Regio est Ophir in Indiā tendens: itaq; aurū huius indicat regionis. Alij aurū Ophir ualde preciosum esse cōfirmāt, quod obryzon apud latinos appellatur. INT. Quid sibi uult, quod illic autorū seculariū cōsuetudine legimus Pleiadas, Oriona, uel Arcturū? R. Non quod his apud Hebræos nominibus censeantur, sed ut apud nos horū syderū significantia posset esse manifestior, ita hæc trāslator appellare uoluit, ut usus gentilitatis inuenerat. Illud quoq; generaliter obseruādū est, quod etiā apostoli uel apostolici uiri in epistolis suis scribētes ad populos, abutunt interdū his testimonijs quæ uidebantur diuulgata per populos. INT. In eodē libro quid est quod de dracone illo scribitur: Omnes naues si cōueniāt, nō sustinēt corium caudæ eius? R. Naues ecclesias dicit, quæ tentationibus, tribulatiōibusq; uexatæ, uix antichristū in fine mundi tolerabūt. Recte autē draconis illius, id est diaboli caudā antichristum appellat, à quo persecutio ueniet extrema.

IN REGVM LIBRIS.

INT. Quid est quod Saulem dominus postea reprobat regē, quē prius in regnū eligendū putauit? R. Quia deus suū illud iustum incorruptumq; iudicium ex æquitate depromit, nō ex præscientia eligit: quempiā cum meretur reprobat, cum electione indignus efficitur. Cæterū nequaq; cōuenire sacrosanctæ ueritati iustitiæq; eius uidebat, ut peccatū offensa præcederet. INT. Quomodo intelligendū est, quod in scripturis pœnitere dominus sæpe memoratur? Sicut etiam de Saule dicit: Pœnitet me quod constituerim Saul regem. R. Pœnitentia domini dicitur rerum ab eo constitutarum mutatio, quę pro rerum uicissitudine, uel pro recti dispositiōe succedit. Necesse est enim, ut diuinæ dispositiones, quo manifestiores audientibus

fiant, per significationes humanæ mẽtis indicentur. INT. Legimus quod suffocabat Saul spũs malus domini, quomodo domini, si malus? R. Quia cuncta domino autore prolata diuinæ sunt subdita potestati. Ergo & ipse diabolus, licet non qualis nunc est, sed bonus à domino quondam creatus, & deo semper pro omnipotentis ditione subiectus, dñi erat. INT. Quid est quod cum aliquanta hic dominus uindicet, nõ uindicat omnia? R. Vindicat aliquanta, ut intelligatur humanarum rerum agere curam. Non uindicat omnia, ut agnoscatur terribile cunctis adhuc futurum esse iudicium. INT. Vmbram Samuelis pythonissa quemadmodum potuit euocare? R. Aut falsam tunc umbram uidentibus diabolus ostendit: aut si fuit uera, tantum ei licuisse credendum est, quantum à domino permittente concessum est. nec mirum pro quibusdam recõditis arcanisq́ causis, uel pro manifestatione probationum diabolo ista permitti: cum & saluatorem constituerit in pinnam templi, & Iob petierit, acceperitq́ tentandũ. INT. Cum factum non sit, quomodo oranti Ezechiæ quindecim anni quasi ad præfinitum uitæ suæ tempus adduntur? R. Quia utiq́ urgebatur Ezechias in extremis nõ fati decreto, sed dei euocatione atq́ iudicio. In tantũ autẽ uitæ anni prius non fuerant constituti, ut per supplicationem intelligantur adiecti.

IN MICHAEA.

INT. Quomodo accipiendum est, quod Michæas propheta ait: Ecce dominus exit de loco sancto suo, & descendit & incedit super excelsa terræ? R. Descendere dominus dicitur, quando habere curam fragilitatis humanæ euidenter indicijs dignantissimæ pietatis ostenditur. Sic & angeli per illam Iacob scalam ascendentes descendentesq́, terrenorum uisitationẽ, non ruinã descendentium indicãt angelorũ. Sic & excelsiores iustitia uiri descendere putãtur, si quãdo cõdescendũt inferioribus sanctæ charitatis instinctu.

IN ESAIA.

INT. Quid intelligendum est in cantico Esaiæ prophetæ, cum dicit: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei uineæ suę: Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei? R. Alij hoc canticum à spiritu sancto cantari putant: alij à propheta, qui æque sancto spiritu uacuus nõ erat. Cantat autem in planctum uineæ suæ, quæ est domus Israel. Dilectus autem Iesus Christus est. Ipsi enim dictũ est: Tu es filius meus dilectus. Ipsum & patruelem appellat, quod ex eadem sit stirpe progenitus. Hæc ergo uinea ipsi plantata est in cornu, quod est in sublimitate atque uirtute: qui dilectus & filius olei, quia unctus sit, unde & Christus uocatur: uel quia omni mundo tanquam splendidum lumen illuxerit. In hoc cantico uuam iustitiam appellat, & spinas iniquitatem. INT. In Esaiæ uisione cum uidit dominum sedentem super solium, quid intelligendum est quod ait: Seraphin stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri. Duabus uelabant faciem eius, & duabus pedes eius, & duabus uolabant: & clamabant alter ad alterum, & dicebãt, sanctus,

sanctus,sanctus dominus exercituum. R. In hac uisione Ioannes euange lista dominũ Iesum Christũ ab Esaia uisum esse testatur dicens: Hæc dixit Esaias,quando uidit gloriã eius,& locutus est de eo. Primũ ergo hic quæritur,quomodo Seraphin circa domini thronũ stantes pariter & uolare dicuntur? Bene hoc sermone mystico propheta depromit:quia deo stare idem est quod uolare,& in sublime exaltare:sedebit qui festinat obtutibus apparere diuinis. Quod uero Seraphin alis suis faciẽ operire indicantur, hoc idcirco, quia neq; hominũ quisquã,neq; ulla creatura diuinæ maiestatis lumen contemplari,ut est,potest. Faciem ergo & pedes uelant, eo quod nobis & ante mundũ præterita,& post mundũ futura celentur. Alæ quoq; Seraphin indicãt diuini ministerij uelocitatẽ. Quæ ideo singulis senæ sunt,quia ea tantũ in mundo quæ sex diebus sunt facta,cõspicimus. Quod uero alter ad alterum clamant, & dicunt,sanctus,sanctus,sanctus dominus exercituũ,unam ostendunt diuinitatẽ in mysterio trinitatis. INT. Quid respondendum est eis qui dicunt nobis:quid fecerunt Iudæi,si credere nõ potuerunt? quia necesse fuit ut sermo Esaiæ prophetæ *impleretur dicentis:Excæcauit oculos eorum,* & indurauit cor eorũ,ut nõ uideant oculis,& intelligãt corde,& cõuertantur, & sanem illos. R. Propheta hoc prædixit, quia deus hoc futurũ esse præsciuit. Neq; enim potest ad peccatum cõpellere deus, cui non potest placere peccatum. In his ergo non prædestinatio diuina intelligenda est,sed præscientia. De hoc in Euangelio scribitur:Propterea nõ poterant credere,quia iterum dicit Esaias:Excæcauit oculos eorum,& indurauit cor eorum,& reliqua. Non poterant credere,ita dicitur,sicut & nos sæpe aliqua dicimus nõ posse, quia nolumus. Et de Pharaone scribitur: In hoc ipsum excitaui te,ut ostendam in te uirtutem meam. Neq; enim dixit,in hoc te feci ut talis esses:sed in hoc te elegi & suscitaui,cum iam te talẽ ipse fecisses. Ergo & hic excæcati eorum oculi,& induratum esse cor dicitur, quia iam se ipsi hac cæcitate dignos effecerant. Excæcat autem & indurat dominus peccatorem deserendo & nõ adiuuando. Si cui autem sensus hic profundissimæ quæstionis minus fecerit,contremiscat mecum,& dicat:Iudicia domini abyssus multa, quia iudicia dei semper iusta sunt,sed frequẽter occulta. INT. Quid est illud quod scribitur:Sicut sponso imposuit mihi mitram,& sicut sponsam ornauit me ornamento? Quomodo idem sponsus & sponsa? R. A capite ad corpus transitum fecit:caput enim Christus est, corpus ecclesia: sed tamen utrunq; esse constat in Christo. Notanda uero & tenenda regula hæc,quæ in prophetis frequenter incurrit,generans ignorantibus obscuritatẽ,cum de capite ad corpus,aut de corpore ad caput se prophetæ ordo conuertit. INT. Cœlum mihi thronus est,terra autem scabellum pedũ meorũ:quomodo hoc intelligi potest,cum utiq; deum incorporeum esse credamus? R. Secundũ consuetudinem elocutionis nostræ uidetur habitum designare regnantis, ut intelligatur deus uel habitare cœlestia,uel subiecta habere terrena.

Stare
Sedere

IN EZECHIELE

INT. Qua causa scribitur: In die illa magna tribulationis nemo liberabitur, nisi Noe, Daniel & Iob: cum utiq; quando ista Ezechiel propheta dicebat, solus forsitan Daniel in corpore fuerit, duobus alijs iam tunc in pace dormientibus, uel carnis nexibus absolutis? R. In his tribus sanctis tria hominum genera significari uidentur, quæ liberanda in die illa magna tribulationis à periculis promittunt. In Noe enim gubernatores ecclesiæ præfigurantur, in Daniele sancti cōtinentiáq; sectātes, in Iob coniugati & iustitiā diligentes. INT. Quid significat illud quod dicitur in propheta: Auferam cor lapideū de carne uestra, & dabo uobis cor carneū? R. Durū cor & inobediens lapidei testificatione demōstrat: carnei uero significatione cordis molle ostendit, ac docile, & quod insinuatā possit recipere compunctionem.

Tria genera hominum saluandorum

Cor lapideū Carneum

IN PARALIPOMENON.

INT. Quid est quod scribitur in Paralipomenon: Quæ habitabat in Hierusalem in secunda? R. In secunda scilicet parte. Ezechias enim secundum Hierusalem murum fecit, filiusq; eius Manasses tertiū. Habitabat ergo hæc de qua scribitur in secunda parte ciuitatis. INT. Arcam domini, in qua erant duæ tabulæ testamenti, quò ablatā esse credendū est? R. Legimus in Paralipomenon Iosiam regē Iuda cum Hierusalē faceret Pascha domino, ad leuitas ita locutū esse: Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificauit Salomon filius Dauid rex Israel. Nequaquā enim eam ultra portabitis. Hoc loco ita intelligere quidā uolunt, quod Iosias præuidens captiuitatem, arcam domini in certū tamen locū curarit abscondi. INT. Quid inter holocaustum & hostiam interest? R. Quod hostiæ partem sacerdotes edebant: Holocaustum uero erat hostia integra atq; perfecta, quia tota in oblatione sacrificij igni dabatur. Hostiæ quoque pacificæ appellabantur, quibus uesci populus solebat.

Hostia Holocaustum

IN PSALMORVM LIBRO.

INT. Cum primus Psalmus primis illis uersiculis impium peccatorem hæreticumq; discreuerit, quid sibi uult illa sub ipso Psalmi fine conclusio, in qua ait: Ideo non resurgunt impij in iudicio. R. Psalmi huius initiū de discretione meriti, & finis de discretiōe iudicij. In quo ostēdit, quod homo absq; dubio omnis resurgat, id est iustus ut iudicet, peccator ut iudicetur, impius ut puniatur. Neq; enim tunc iudicabit iam iudicatus, secundū quod scriptū est: Qui autē nō credit, iam iudicatus est. INT. Cum passio in deū nō cadat, quid est quod sæpe in scripturis ira dei & furor dicitur? R. Scripturæ consuetudo est, ut ira pro ultione ponatur. Est enim ira secundū hominem, uindicta secundū deum: & furor secundū animū patientis, nō secundū iustitiam iudicantis. Hinc & illud est quod ponitur in propheta: Dominus creans mala. Mala ergo sunt iuxta affectū eius qui sustinet, nō iuxta æquitatē eius qui decernit. INT. Quid sibi uult illud quod frequēter in Psalmorū

Ira Furor

titulis

titulis inscribitur, In finē Psalmus Dauid? R. Quod Psalmi in fine mundi bonorū repromissionē respiciant: uel quod ea quæ Iudæi obtinere se posse in principio crediderunt, nos consequamur in Christo, quē uenisse confitemur in fine. INT. Quomodo intelligendum est quod scribitur: Eloquia domini eloquia casta, argentū igne examinatū, probatum terræ, purgatum septuplum? R. Casta dicūtur eloquia domini ideo, quod nullo sint adulterata mendacio, & ad uicem argenti quod examinatur igni septemplici, spiritus igni mundentur. INT. Non cōgregabo, inquit, cōuenticula eorum de sanguinibus: cum utiq; de sanguine magis latinū sonasset, quam ob causam sanguinibus cōtra regulā latinitatis scribitur? R. In Græco αἱμάτων legitur, plurali numero, sanguinē significans. Cuius proprietatis fidē etiam in latinum plurali numero translator expressit. INT. Cum in Psalmo scriptum sit: Non dabis semen tuū uidere corruptionē: quomodo iterum in alio Psalmo scribitur: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? R. Descendere se in corruptionē saluator prophetæ uoce pronūtiat, dum clauorū configentiū irruptione penetratur. Rursus nō dedit dominus sanctū suum uidere corruptionē: quia corruptionē carnis Christus celeri resurrectione præuenit. INT. Quid est quod dicit propheta de inimicis suis: Adipem suum concluserunt? R. Adeps cōcluditur impiorū, cum impinguati sensu & incrassati iniquitate recedunt uel à iustitia, uel à præceptis dei, & idcirco dicit alio loco: Egredietur ex adipe iniquitas eorū. Manna uero, id est cœlestis cibus tenuis est, & eorū aptus alimoniæ, qui subtilitate sensuū uigent. INT. Quid sentiendum est de hoc quod scribitur: De absconditis tuis adimpletus est uenter eorū: saturati sunt porcina, & reliquerunt quæ superfuerunt paruulis suis. R. Supra petijt ut Iudæi à paucis diuiderētur, id est à iustis: quia multi uocati, pauci autē electi. Nunc autē hos ipsos prius absconditis diuinę legis instructos, porcina sua, id est dogmatū postea immunditia saturatos dum negant Christū, eandē impietatē dicit etiā ad suos posteros transmisisse. INT. Qualiter intelligendū est: Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam? R. Dies diei eructat uerbum, dum apostoli credentibus annuntiant saluatorē. Nox nocti indicat scientiā, dum Iudas Iudæis doctrinā praui sensus infundit. Aut certe dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiā: dum omni utiq; die & nocte annuntiatione fidelium uerbum & scientia propagatur. INT. Virga tua & baculus ipsa me consolata sunt: quæ hic intelligenda discretio est? R. In uirga correctio declaratur, in baculo consolatio. INT. Cum animalia non absque sensu sint, quomodo in Psalmo dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus? RE. Quia in animalibus sensus est, in hominibus intellectus. INT. Cum de iumentis sicut de bubus cura non est deo, quomodo Psalmus ait: Homines & iumenta saluabis domine? R. Homines appellat rationis capaces, iumēta rationis expertes. Saluandos uero

Porcina

Virga
Baculus

confirmat illos per præsentem cōuersationem, hos per futurā conuersionem.
INT. Qualiter accipiendum est quod scribitur: Remitte mihi ut refrigerer priusq; abeam, & amplius nō ero. R. Sensus hic de superioribus uersibus manifestatur. Supra enim dixerat: Quia aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei: Remitte mihi ut refrigerer prius q; abeā, & amplius non ero, subauditur illud quod superius dixit, peregrinus. Cęterum manifestū est quod erit, qui se supra peregrinū appellando, patriam in qua futurus sit, habere declarat. INT. Quid indicat illud quod legitur in Psalmo. In capite libri scriptū est de me? R. Ex persona hoc dicitur saluatoris, de quo scribitur: In principio creauit deus cœlum & terram, id est, in filio. Aut certe illud: In principio erat uerbū, & uerbū erat apud deum, & deus erat uerbū. INT. Abyssus abyssum inuocat, inquit, in uoce cararactarum tuarū: quomodo istud intelligendū est? R. Non immerito abyssus appellatur diuinarum scripturarū profundū, & ideo in uoce cataractarū abyssus abyssum inuocat, cum uetus testamentū nouum annuntiat, uel nouum testamentum uetus in testimonium uocat in uocibus prophetarū. INT. Quid intelligēdum est ex hoc quod scribitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij? R. Id est, quod temporum successione sint redditi pro patriarchis uel prophetis Apostoli siue euangelistæ. INT. Frater non redimit, redimet homo: quid de hoc loco sentiendum est? R. Quod non redemerit Moyses, redimet Christus. INT. Quomodo accipiēdum est illud quod Dauid clamat ad dominum dicens: Tibi soli peccaui? R. Soli peccatur deo, quia utiq; ipse solus sit absq; peccato, & ita iustificatus uincit etiā dum iudicatur, id est uel Christus in passione, uel secundum illud quod in propheta dicit: Et uenite iudicemur, dicit dominus. INT. Viri, inquit, sanguinū & dolosi non dimidiabunt dies suos: quid hic sentiendum est? R. Non dimidiāt dies suos hi qui immatura morte rapiuntur. Hac ratione etiam illud intelligere possumus: Ne rapias me in medio dierum meorum. Et aliter: Non dimidiant dies suos qui ad dei satisfactionem non conferunt uel uitæ suæ partem. INT. Quid interior sensus eloquitur de hoc quod scribitur: Priusq; producāt spinæ uestræ rhamnum? R. Id est, priusquam se peccata uestra cōsumment. INT. Iustus quomodo lauat manus suas in sanguine peccatorum? R. Cum tribuitur uindicta de impijs, non hoc procurantibus sanctis: & post delicta atq; exitum peccatorum, iustorum clarius uita atq; opera resplendent. INT. Quomodo accipiendum est illud quod in Psalmo legitur: Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatē? R. Non tam maledicentis animo istud dicitur, quàm correptionem emendationemq; peccantium desiderantis: id est, ut in præsenti potius uita correpti, non abutantur diuina patientia usq; ad futuram pœnarum acerbitatē. INT. Semel locutus est deus, duo hæc audiui: quid hic intelligendū est? R. Semel hic non ad numerum referendum est, sed ad firmitatem. Quæ autem sunt

Abyssus *Semel*

illa duo, quæ domino adiacent? & posse omnia, & uelle misereri. Et aliter: Semel locutus est deus, id est in lege. Nam in Euangelio nō alia præcepit: quia nō uenit legē soluere, sed adimplere. INT. Quid est quod scribitur: Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium? R. Ignem & aquam persecutionem indicat atq; martyrium. Aliqui hic aquam baptismum intelligendum putant, & ignem sanctum spiritum, qui infusus peccata tanquam ignis exurat: & hinc est quod scribitur: Dominus deus uester ignis urens est. INT. Quid dicit illud quod legitur: Iter facite ei qui ascendit super occasum, dominus nomen illi? R. Viam bonorum actuum præparate illi, qui supergressus est occasum morte deuicta. INT. Pluuiam, inquit, uoluntariam segregabis deus hæreditati tuæ, & infirmata est, tu uero perfecisti eam: animalia tua inhabitabūt in ea: quis huius loci sensus est? R. Pluuia hic secundum literam manna est: secundum anagogen mandata intelligenda sunt: quæ mandata uel lex, licet infirmata uideatur transgressionibus Iudæorum, gratia tamen Euangelij ostenditur esse completa. In qua nunc animalia, id est gentes habitant atq; consistunt. INT. Quæ intelligentia est in hoc quod legimus: Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in specie auri. R. In hoc loco de apostolis optat propheta, ut usq; ad transitum perseuerent credentes in testamentis duobus. In columba autē spiritus sanctus, in posterioribus occultior intellectus: in argēto splendens historia scripturarū, in auro interior, uel præciosior sensus ostenditur. INT. Dixit dominus ex Basan: Conuertam, conuertam in profundum maris, ut intinguatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso: quid hic sequemur? RE. Basan in latino confusio sonat. Ergo dominus nosmet de confusione conuertit, quæ est in cruce eius: in qua cruce sanguine pedem suum tinxit, clamantibus Iudæis ut crucifigeretur instinctu inimicorum, id est, dæmonum. Ab ipso autē saluatore hoc totū uenit: quia omnia hæc ꝓpria uolūtate sustinuit. INT. Quos illos accipiemus principes Zabulon, uel principes Neptalim? R. Petrum apostolum, uel Andream, qui ex ijsdem tribubus sunt uocati, sicut & supra Beniamin nomine apostolum Paulum oportet intelligi. INT. Quid indicat quod legitur: Posuerunt signa sua signa, & non cognouerūt sicut in uia supra summum? R. Quod Babylonij uictoria insolentes effecti, ita exposuerunt signa in dei templo sicut constitui in trophæo solent super fornices introitusq; portarum. INT. Quid est quod scribitur: Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ? R. Iudæam dixit, in qua Christus liberauit per crucem mundum: quam aliqui umbilicum terræ appellandum arbitrātur. Et aliter: Operatus est salutem in medio terræ, id est in utero uirginali. INT. Quid est hoc quod legimus: Quia calix in manu dn̄i uini meri plenus est mixto, & inclinauit ex hoc in hoc: ueruntamē fex eius non est exinanita? R. Calix domini mixtus, misericordia & iudicium

Ignis
Aqua
Pluuia
Basan

cium

cium: inclinatur ex hoc in illud, cum de misericordia in iudicium diuina seue ritate transitur. Fex autem eius non exinanitur, quia adhuc ultimum iudicij reseruatur. INT. Quæ significantia est quod scribitur: Et reliquæ cogitationum diem festum agent tibi? R. Pulchre hic ostenditur, quod deus puritate mentis uelut quadam festiuitate lætatur. INT. Vox, inquit, tonitrui tui in rota: quid hic sentiendum est? R. Rotam hic ipsum dixit orbem terræ, eo quod intra eiusdem orbis rotam circumferant tonitrua mugitum. INT. Quid intelligendum est de hoc quod scribitur: Et percussit inimicos suos in posteriora? R. Secundum literam ulcerum illorum fit cõmemoratio, quibus sunt Allophyli in posteriora percussi. Secundum interiorem uero sensum percutiuntur inimici dei in posteriora, cum in domini iudicio puniũtur extremo. INT. Quem significat dicens: Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam? R. Aprum hic Vespasianum, ut quidam dicunt, uult intelligi, qui Iudæos bello uastauit. Singularem ferum, Titum Vespasiani filium, qui Hierusalem oppugnatione cõsumpsit. INT. Legimus in Psalmo: Israel si audias me, non erit in te deus recens: quomodo istud accipiemus? R. Idola uel antichristum refutandum esse pronuntiat. Christus autem deus recens non erat, licet mundo per carnem nostris temporibus illuxerit. Nam in principio erat apud deum deus uerbum, ipse creans hominem ad similitudinem dei, quiq; diuersis uicibus atq; temporibus Abraæ uel patribus nostris semper apparuit. INT. Qualiter accipiendum est quod Psalmus ait. Deus stetit in synagogã deorum? RESPO. Id est, in congregatione sanctorum. Dominus autem noster sanctos suos ut regni sui, ita etiam nominis sui participatione donauit. Vnde & ad Moysen dicit: Dedi te Pharaoni in deum. Compellantur ergo nomine dei, quia appellantur & filij dei. Nec mirum pro illa ineffabili diuinæ benignitatis indulgentia, si uoluerit ut homo appellaretur deus, cum deus appellatus sit homo. INT. Quid hic sentiendum est. Iustitia & pax osculatæ sunt se? R. Quod se lex & gratia coniunxerint per mediatorem dominũ nostrum Iesum Christum, qui fecit utraq; unum. INT. Qualiter accipiẽdum est quod legimus: Diligit dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob? R. Quod dominus umbraculis synagogæ ecclesiæ munimẽta prætulerit. INT. Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus, quid hic sequemur? R. Mater Sion, ut quidam uolunt, Maria significatur, in qua natus est homo Christus, ipsius quoq; matris creator. Sciendum est tamẽ, melius & secundũ Hebræũ uerius dici: Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? Et est sensus hic: quis hoc hominum nuntiare possit? Sicut & illud: Aut brachium domini cui reuelatum est? Ergo hoc dicit, quod nullus hominũ ei nuntiare possit, quia saluetur Sion in homine qui natus sit in ea. Ipse autẽ est homo altissimus qui fundauit eã. Et notandũ quod etiã filius altissimus appellatur. INT. Quid

hic intelligendum est, ubi scribitur: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber? R. Christus utiq; inter mortuos liber; quia absq; peccato inter peccatores apparuit. INT. Quæ est terra illa obliuionis, de qua dicitur: Nunquid cognoscẽtur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis? R. Rectissime appellatur obliuionis terra impiorum caro à domino derelicta. Et aliter: terra obliuionis etiã in illo accipi potest quod dicit: Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autẽ quis confitebitur tibi? INT. Quomodo iuuentus aquilæ renouatur, secundũ illud quod legimus: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua? R. Aquilæ dicuntur ui nimiæ senectæ implumes fieri, & nido relatæ uicissim pullis suis ministrantibus pasci, donec deterso senij ueterno recipiãt cum pennis usum uolandi. Secundum Anagogen autem iuuentus nostra uel baptismo, uel resurrectione renouatur. INT. Abyssus, inquit sicut palliũ amictus eius, quid hic sequemur? R. Non bene pleriq; arbitrantur abyssum hic amictũ dei appellari, cum potius amictum terrę dici ipse superiorum uersuum ordo declarat, eo quod terra ipsa abysso quasi quodam pallio circumfusa ueletur. *Abyssus*

INT. Quomodo stant super montes aquæ? quia scriptũ est: Super montes stabunt aquæ. R. Vtiq; cum aut plenæ aquis nubes super montes dependent: aut cum in mari undæ ad montiũ instar excitantur. INT. Quid sentiendum est in hoc quod legimus: Draco iste quem formasti ad illudendum ei? R. Draco iste diabolus est, sed ante formatus à domino, quàm in nomen diaboli uoluntariæ nequitiæ transiret instinctu. Hũc propheta Esaias à paruulis describit illudi. INT. Qua ratione intelligendum est quod scribitur: Ferrum pertransiuit animam eius? R. Christus hic manifestissime designatur, eo quod resurgendo affigentium clauorum dolorem cruciatumq; superauit. Potest hic ferrum & tribulatio duræ necessitatis intelligi, quia animam dixit: aliquando tamen anima in scripturis pro præsenti uita appellatur, ut in euãgelio: Nonne anima plus est quàm esca? INT. Quid inter Psalmum & Canticum interest? R. Quod Psalmi ex Psalterio appellantur, at uero canticũ ex uoce profertur: & quod canticũ pro scientia, pro opere uero Psalmus accipitur. Psalmus ergo ad actualẽ, id est ad practicen: canticũ uero ad theoriam, id est contemplatiuã refertur. INT. Iurauit dominus, nec pœnitebit eum: quomodo iurauit dominus? R. Iurare domini est immutabiliter promittere. Recte igitur istud cõmutatio sermonis usurpat, eo quod promissio eius sacramenti obtineat firmitatem. INT. Quid indicat illud quod scribitur: De torrente in uia bibit, propterea exaltauit caput? R. Ad personam Christi ista referenda sunt, quia de torrente, id est passione: in uia, id est in seculo bibit: propterea deus exaltans caput eius, donauit illi nomen quod est super omne nomen. INT. Quindecim illi Psalmi quam ob causam canticũ graduũ prænotantur? R. Quindecim quondam gradibus, sicut ostendit historia, ascendebatur in templũ: atq; ideo hi

Anima

Iurare domini

Psalmi quindecim cantici graduũ inscriptione signãtur, quod nos per quosdam profectus ad sublimia spiritaliũ rerum prouectione perducant. INT. Sagittæ, inquit, potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs. quæ huius uersus intelligentia est? R. Sagittæ potentis, uerba domini sunt, quæ charitate eius corda nostra cõfigunt. Carbones uero desolatorij sunt, qui peccata dissoluunt, secundum illum carbonem Esaiæ prophetæ, qui ad labia eius defertur, ut purget uitia, quæ contraxerat, uel loquendo uel ob timorem tacendo.

Carbones desolatorij

INT. Quid sibi uult quod scribitur: Ecce non dormitabit, neq; dormiet qui custodit Israel? R. Dormire interdum in scripturis dominus dicitur, cum in nobis potius fides dormit, & dormitantẽ infidelem relinquit. Nescit uero ille deesse quærentibus se, nõ nouit dormire uigilantibus. INT. Legimus in Psalmo de Hierusalẽ: Cuius participatio eius in idipsum, quid hic sequemur? R. Quod diuersæ partes unam constituant ciuitatẽ, uel diuersa membra unũ domini corpus efficiant. INT. Quid sentiendum est de eo quod scribitur: Forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam? R. Forsitan, in Græco scriptũ est ἄρα, quod latine manifestius interpretatur, putas. ut sit sensus iste: putas pertransisset anima nostra aquã immensam, nisi dominus fuisset in nobis? INT. Quid est quod scribitur: Conuerte domine captiuitatẽ nostrã, sicut torrens in Austro? R. Exultantis animæ uox est, & ex uitiorũ uinculis in libertatẽ conuersionemq; redeuntis, qua postulat, ut ita diuinę miserationis aspiratione ex peccatorũ captiuitate soluatur, sicut constricti glacie torrentes Austri tepore soluuntur. INT. Qualiter intelligendũ est illud: Ecce hæreditas domini filij merces fructus uentris: sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorũ. R. De futuris se ibi loqui propheta significat, qui post illam sessionẽ surgendi tempus declarat. Idem posteaquã dederit dilectis suis somnum, ostendit quæ futura sit resurrectio illa sanctorũ, dum dicit: Ecce hæreditas domini filij merces fructus uentris. Ipsa itaq; domini est hæreditas in filijs, quã pro mercede fructus uẽtris indeptus est: quia saluator fructus est uentris, cuius utiq; merces est, ut ei gentes hæreditas sint, quas per fidẽ generat in filios. Sagittæ autẽ apostoli recte appellantur, qui orbem terræ quasi uolatu peragrantes, doctrina sua infideliũ corda penetrarunt: quos filios excussorum, id est prophetarũ, optime propheta designat. Nam utiq; cum in prophetia sua excutiũtur prophetæ, quid aliud in illis nisi inuenti apostoli manifestantur? Excussis itaq; prophetis, quia apostoli generati sunt, recte appellantur filij excussorum. INT. Quid est quod legimus: Sicut ablactatũ super matre sua, ita retribuis in anima mea? R. Animæ nostræ ablactatio est, cum ab ignorãtia infantiæ ad perfectũ cibum uitæ consummatione sensus erigitur. Igitur supra dixerat: Si non humiliter sentiebam, id est humilia & terrena cogitabam: sed exaltaui animam meam, hoc est, sed ad cœlestia mente contendi: hæc mihi fiat retributio, ut animam meam intellectus consummatio consequatur. INT. Beatus, inquit,

quit, qui restituet tibi quod tu restituisti nobis: quis hic intelligẽdus est. R. Psalmus hic & de captiuitate Iudæorum cum in Babylonem ducti sunt, & de peccatoribus qui expulsi ab ecclesia confusioni traduntur, intelligi potest. Hic ergo secundum historiam, ut quidam opinãtur, significatur Cyrus rex, qui hanc restitutionem subuersa Babylone restituit, & usq; ad paruulos eius illic omni internitione desæuit. Interiore uero sensu, Babyloni uicem ille restituit qui eam captiuam ducit, quæ se prius habuerat peccati lege captiuũ, & exordia uitiorum ad petrã, quæ est Christus, elidit. INT. Sæpe in scripturis dicitur: cõfitebor tibi domine: qualiter hoc intelligendũ est? R. Nõ semper pœnitentiam uidetur significare confessio. Nam confitebor interdũ ponitur pro laudabo, uel pro gratias agam, uel pro glorificabo dominum. Confiteri

INT. Imperfectum meum, inquit, uiderunt oculi tui: & in libro tuo omnes scribentur. quæ hic significantia est? R. Oculi domini imperfectũ nostrum uident, quia deus hominem etiam priusquam formetur, agnoscit. Et aliter: Imperfectum nostrum uident oculi dei, quia cogitationes nostras etiam antequam perficiantur, introspicit. *In libro autẽ eius scribentur omnes,* quia omnes homines non absq; eius uoluntate nascuntur, uel omnes uoluntates nostræ apud eum plenissime describũtur. Sequitur autẽ: Die replebuntur, & nemo in eis. Die, id est, Christo replebuntur, ac præter Christũ nemo in eis erit, qui deo pleni ea quæ dei non sunt, recipere non possunt. INT. Qui sunt pulli coruorũ de quibus scribitur: Et pullis coruorum inuocantibus eum? R. Fideles filios significat de infidelibus procreatos. INT. Quid indicatur in hoc quod legimus: Ante faciem frigoris eius quis subsistet? R. Tentationem per hoc frigus ostendit. INT. Qua ratione appellantur ancipites illi sanctorum gladij, de quibus scribitur: Et gladij ancipites in manibus eorum? R. Gladij ancipites dicuntur, quod in iudicio corpus atq; animam punire simul possunt. Et aliter: quod puniãt & supplicio præsentis pœnæ, & metu futuræ. Et hinc est illud quod in eodem Psalmo canitur: Cantate domino canticum nouum. quod qui mundi purgamenta creduntur, de nationibus ac regibus iudicabunt. Gladij ancipites sanctorũ

IN PROVERBIIS SALOMONIS.

INT. Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum fabulentur tecum: quid hic sequimur? R. Ceruum amicitiæ accipiendum hic quidam putant Christum, totius dilectionis & charitatis magistrum. Pullum gratiarũ spiritum sanctum, qui sit omnium gratiarum, id est charismatum distributor. Admonemur ergo ex hoc, ut semper Christi uel spiritus sancti solatia requiramus.

INT. Quid est quod scribitur: Septies cadet iustus, & resurget? R. In sermone utiq; aut in cogitatione, cum labitur: aut certe intra septiformis spiritus gratiam, cum delinquit. Quidã propter septem dies, per quos uitæ humanæ cursus reuoluitur, septies hic dictum esse confirmant: eo quod absque peccato uitæ istius cursus esse non possit.

IN ECCLESIASTE

INT. Quid est quod in Ecclesiaste legimus: Florebit amygdalum, & impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domũ æternitatis suæ R. Tradunt per hæc humanorum membrorum fieri significantiam. Nam in flore amygdali canos capillos, in impinguatione locustę tumorẽ pedũ, in dissipatione capparis concupiscentiæ frigus ostendit. Quæ cum seni in postremæ uitæ tempore accesserint, tunc necesse est in terram, id est quasi in æternitatis suæ domum redeat. Bene tamen hæc æternitatis domus etiam illa futura terra accipitur, de qua scriptum est: Placebo domino in regione uiuorum.

IN CANTICIS CANTICORVM

INT. Quid est illud quod de Ecclesia scribitur: Fusca sum & speciosa filia Hierusalem? Si fusca, quomodo speciosa? R. Quia ante examinationem sui ecclesia pro diuersitate in se consistentiũ bipartita est: in sanctis speciosa est, in peccatoribus fusca. Sicut & Hierusalem modo sanctã ciuitatẽ scriptura cõmemorat, modo peccatricem. INT. Nomen fratruelis quid sibi uult in Canticis canticorum? R. Ecclesia, cuius nomine illic ad saluatorem ista dicuntur, fratruelem uocat Christum, qui sit filius synagogæ. Et quia ecclesiam synagogæ sororem in sanctis nostri interdum sentire uoluerunt, idcirco secundum quandam scripturæ elocutionem Christus ecclesiæ fratruelis appellatur & sponsus.

IN EVANGELIO MATTHAEI INT.



QVAM ob causam in propheta euangelistæ quatuor diuersa animalium specie designantur? R. Matthæus hominis retinet formam, quia à natiuitate hominis orditur dicens: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraam. Marcus leonis specie prẹfiguratur, eo quod ut leo ingenti intulit uoce: Vox clamantis in deserto: Parate uiam domino. Lucas annũtiatur in uitulo, quod à sacrificijs uel à sacerdotio sumat exordium, dicens: Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos quidam nomine Zacharias. Ioannes aquila prænotatur: quia spiritu euolans ad superna tanquã de sublimi profert dicens: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. INT. Quomodo accipiendũ est, quod dominus Iesus Christus Dauid filius dicitur, cũ utiq; natus nõ sit ex Ioseph, qui ex Dauid stirpe descendit? R. In coniugiũ tunc Iudæi secundũ legẽ de consanguinitate proximas assumebãt. Nec dubitandum est, quod hac ratione etiã Maria ex eadẽ tribu ueniens, sicut Ioseph ex Dauid stirpe descẽderit, imò processerit. Ideo autẽ per generationẽ Ioseph origo Mariæ significatur: quia cõsuetudo scripturarũ est, uirorũ potius q̃ fœminarũ seriem in generatione cõtexere. Cuius Mariæ quia cognata, sicut legitur, fuit Elizabet, quæ fuisse scribitur de filiabus Aaron, manifestissimum est, quod in Christo secundũ carnẽ ex utroq; genere conuenerit, regũ scilicet sacerdo-

Scripturæ consuetudo

ſacerdotumq; ſucceſſio. INT. Euangeliſta Matthæus Ioſeph genitũ ex Iacob dicit:& quomodo Lucas eum ex Heli fuiſſe cõmemorat? R. Ideo quod alter ſecundum naturam, alter ei ſecundum legem pater fuerit. Conſuetudo namq; apud Iudæos ex lege erat, ut defuncti fratris uxorem ad ſuſcitãdum ſemen ſuperſtes frater acciperet. Iacob ergo atq; Heli uterini fratres fuerunt: quorum ſuperiore defuncto, poſterior uſus eſt ex lege coniugio. In eorũ commemoratione Matthæus Ioſeph proſapiã per regiam originem texuit, Lucas generationem eius ſacerdotali ſucceſſione deduxit. Pater tamen Ioſeph ſecundum naturam haud dubie Iacob fuit. INT. Quare in euangelio Maria Ioſeph coniux dicitur? R. Conſuetudo eſt ſcripturæ, ut etiam ſponſas appellet uxores. INT. Quid eſt quod legimus: Ipſe uos baptizabit ſpiritu ſancto, & igni? R. Quia per ſpiritum ſanctum uel peccata exuruntur in nobis, uel ſanctificatio tribuitur, uel charitatis in paſſionibus tolerandis feruor accenditur. Aut certe quia ſpiritu baptizati diuino iudicio examinabimur. Sunt qui dicant apoſtolos ſpiritu ſancto baptizatos eſſe, cũ ſuper eos ignis apparuit. INT. Qualiter accipiendum eſt de columbæ illius corpore, in qua ad ſaluatorem ſpiritus ſancti patuit manifeſta deſcenſio: utrum ante iam fuerit, an ad tempus factum ſubito apparuerit? R. Vtiq; ad tempus oſtẽſum. Nam ut ſignum uiſibile ſpiritus ſancti, qui erat inuiſibilis, monſtraretur, uerum quidem corpus columbæ illius per diuinam potentiam, ſed in tempore factum, ad horam apparuiſſe, ac deinceps deſtitiſſe credendũ eſt. Angeli uero cum ſe humanis offerunt oculis, creduntur, ut quorundã opinio eſt, ex iſto craſſiore aere, id eſt, uicino terris ad præſens corpus aſſumere. Porrò autem uocem aliquam ita putantur exprimere, cum illiſus huic aeri ictus tanquam palato uerborum ſonum reddit. INT. Iuſtis promittitur regnũ cœlorum, & quomodo etiam hoc dicitur: Quoniam ipſi poſſidebũt terram? R. Quia nouum cœlum & noua terra in futuro repromittitur iuſtis, ut tunc cum deo ſicut angeli utrunq; poſſideant. INT. Cum dicat ſaluator, Tyrum & Sidonem pœnitentiam agere potuiſſe, ſi in eis diuinarum apparuiſſent ſigna uirtutum: quapropter illic facta non ſunt, quæ ſalutem fuiſſent credentibus allatura? R. Quia dominus ac ſaluator pro diuina diſpenſatione non uenerat, niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael. Et quid eſt quod non uenerat niſi ad oues domus Iſrael? Quia inter reliquas uſquequaq; nationes ſpecialius unum Iſrael deum coluit: atq;, ut ita dixerim, peculiaris dei quondam populus fuit, ob merita Abrahæ ac patriarcharum, uel Dauid: quibus Chriſtus proprie repromiſſus, atq; ex eorum ſtirpe deſcẽdens, inde ipſam carnem, in qua terris apparuit, aſſumpſit. Sed tamẽ quia uirtutes poſtea & in gentibus factæ ſunt, ita teſtimonium hoc intelligi poteſt, ut ubi dicit, nõ ueni niſi, ſubaudiatur, prius: ut ſic & teſtimonij ueritas & miſericordia dei in uniuerſos prompta magis clareat. INT. In euãgelio dicit dominus & ſaluator noſter, Iugum meum lene, & onus meum leue eſt. & quomodo legitur in Pſalmo,

Propter uerba labiorũ tuorum ego custodiui uias duras? R. Equidem manifestum est quod omnes qui uolunt in Christo pie uiuere, persecutionẽ patiuntur: sed tamen diligentibus deũ quæ sunt dura in re præsentium, efficiuntur leuia in spe futurorum. INT. Quid intelligendũ est loco illo, in quo scribitur: Orate ne fiat fuga uestra hyeme, uel sabbato? R. Secundũ historiam ita intelligendum est, ne fiat fuga uestra hyeme, id est, ne in tribulatione fugæ temporis accumuletur iniuria. Ne fiat fuga uestra sabbato: ne eo utique die quo habere requiem uacationemq́ consuestis. At uero secundum intellectum superiorem, ne fiat fuga uestra hyeme uel sabbato, ita accipi potest: ne uos fuga illa deprehendat, aut in peccatis algentes, aut bonis operibus ociantes. INT. In eodem Matthæo scribitur: Dico autẽ uobis, Non bibam amodo de hoc genimine uitis, usq; in diem illum quo illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei. quid hic sequemur? R. Regnũ dei, ut docti interpretãtur, ecclesia est: in qua quotidie bibit sanguinem suum Christus per sanctos suos, tanquam caput in membris suis. INT. Quid causæ est quod dicitur: Amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dexteram uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. Et alio loco dicitur non uisuros uenientem in nubibus cœli, nisi in nouissimo tantũ die plangẽtes omnes tribus terræ, & tunc uidebunt filiũ hominis in nubib. cœli? R. Quia in hoc primo corporis, id est ecclesiæ aduentu annunciatur per manifestationẽ claritatemq́ signorum: ille uero alius aduentus capitis est, id est ipsius Christi. In illo aduentu per membra sua Christus uenit, in hoc per seipsum.

Aduetus duo Christi

IN MARCO

INT. Quid significat in euangelio quod dicit: Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab illo? R. Verbi gratia, ut si fidem habens, charitatem non habeat, etiam ipsa fide careat, quam fortè habere uidebatur. Sicut Iudæi per scripturam diuinam non intelligentes Christum, etiam ipsam quam se putabant tenere, dei notitiam perdiderunt, & filium non recipientes, etiam patrem non habent. INT. Marcus euangelista tertia hora diei dominum significat esse crucifixum: & quomodo alius euangelista horam sextam qua crucifixus sit, fuisse commemorat? R. Quia hic illam penè horã in scriptis suis retulit, qua uere crucifixus est. At uero ille horæ anterioris tempus cõmemorandum putauit, quo de eo Iudæis adclamantibus iudicatum est, quasi per anticipationẽ relationis ea hora crucifixus sit, qua iussus est crucifigi. Sed tamen in ipsa hac passione eius sic tenere debemus, quod ita homo ille qui assumptus sit, pro eiusdem uolũtate pertulerit, ut uerbum illud quod in principio apud deum patrem erat, inuiolatum intemeratumq́ permanserit: ergo illud iniuriæ obnoxium fuit, quod pro humana infirmitate susceperat: illud uero incorruptum mansit, quod diuina æternitas possidebat.

IN LVCA

INT. Quid est quod scribitur in Luca de Zacharia sacerdote, quod esset

de uice

de uice Abia? R. Vigintiquatuor sortibus in ministerium templi distributi fuerāt sacerdotes, ut in ordine uicis suæ quisq; sacerdotali fungeretur officio: in hoc ergo ordine octauam sortem Abia habuit, de qua uice Zacharias sacerdos fuit. INT. Qui illi sunt qui in scripturis sacris nomina antequàm nascerentur acceperunt? R. In nouo testamento, præter saluatorem, solum legimus baptistam Ioannem: in ueteri quatuor sunt, Isaac, Ismaël, Salomon, uel Iosias, qui ortu uideantur iuniores esse, quàm nomine. INT. Ad aduentum matris domini, quomodo Ioannes adhuc sensu carens in utero potuit exultare materno? R. Hoc matris magis sensu uel gaudio à quibusdam factum æstimatur, ut etiã interiorib. potuerit exultare uisceribus. Aut certe si hoc ad Ioannem potius referre placet, inter miracula diuina reputãdum est, sicut & illud, cum uox asinæ in sonum sermonis erupit. INT. In eodem euangelio quid sibi uult illud quod legitur: Factum est autẽ in sabbato secundoprimo, cum transiret per sata, uellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus? R. Quidam hoc loco diem dominicum ita appellatũ existimant, eo quod uideatur secũdus ab illa legali obseruatiõe sabbati, & primus sit euangelicæ gratiæ celebritate. Si cui autem hoc minus satisfacere uidetur, quod diem ipsum magis sabbati fuisse contẽdat, quia scriptũ sit de eo: Quid facitis quod non licet in sabbatis? potest forsitã & ipse nihilominus dies sabbati ita ex hoc intelligi, ut nunc obseruatione nostra secundus sit, qui primus quondam fuerit obseruatione Iudaica. Rectissime enim dies primus dies dominicus deputatur. INT. Quomodo uisionẽ illam in qua dominus assumptis tribus discipulis glorificatus est, Lucas post octo, alij uero euangelistæ post sex dies subsecutam esse commemorant? R. Lucas, qui habito domini apud discipulos sermone post octo dies scribit uisionẽ hanc discipulis ostensam, & eum diem quo dominus locutus est comprehẽdit, & eum quo Iesus glorificatus apparuit. Hi uero qui sex dies indicãdos putauerunt, medijs tantum atq; integris dieb. adnumeratis, quasi semiplenum primum illum diem postremũq; tacuerunt. INT. Rursus in eodẽ dicit: Erũt enim ex hoc quinq; in domo una diuisi, tres in duo, & duo in tres diuidentur: pater in filium, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem: socrus in nurũ suam, & nurus in socrũ suam. Quid est quod cum superius quinq; uideatur posuisse personas, sex in subsequentib. cum personarum significatione subiecit? R. Mater & socrus eadem intelligi potest quæ per filiam & nurum duobus sit compellata nominibus: ac perinde & in subsequenti quinq; uideri potest numerus personarum. INT. In parabola Lazari & diuitis aliquantæ quæstiones incurrunt. Aut quomodo diues in tormentis sit ante iudicium: aut quomodo digitus Lazari dicatur, nunquid corpora apud inferos sint: aut ipse aquam desideret, nunquid sitim corporis sentiebat? R. Hæc omnia secũdum eos affectus loquitur, quos aliquando pro necessitate corporis gesserat. Cæterum ille ante iudicium tormentorum sensus quasi pro loco custodiæ, in

quo erat, accipiendus est: reis quippe ipsa custodia etiam ante iudicium non est absq; tormẽtis. In hoc quoq; quod apud infernum Abraham uidit hæc subesse, à quibusdam ratio putatur, quod etiam omnes sancti ante aduẽtum domini nostri Iesu Christi ad inferna, licet in refrigerij locum, descendisse dicuntur. Alij opinantur locum illum in quo Abraham erat, ab illis inferni locis in superioribus constitutum, propter quod dicat dominus de illo diuite: Eleuans oculos suos cum esset in tormentis, uidit Abrahã de longe: sinumq; ipsius Abrahæ designari illius regionis quietem. INT. Quomodo accipiendum est quod legimus: Regnum dei intra uos est? R. In unoquoq; pro bonorum malorumq; actuum discrepãtia, aut deus regnat, aut diabolus: quia necesse est, ut cuius uoluntatẽ opere procurat, eius imperio uideatur esse subiectus. Itaq; si iusti sunt quidam, deus in his regnare dicendus est: diabolus, si iniusti. Potest & fides regnum dei dici, qua itur ad regnum: quia utiq; iustus ex fide uiuit: & per quam Christus habitat in cordibus sanctorum suorum. INT. Quomodo in Luca latroni saluator dicit: Hodie mecũ eris in paradiso: cum utiq; die illo secundum hominem corpore in terra, anima apud inferos fuerit? R. Potest fortè hic pro paradiso accipi ille attributę quietis locus, ubi Abraham esse cum Lazaro, in euãgelio saluator ostendit. Aut certe ita intelligẽdum est, quod hanc promissionem dominus secũdum effectum diuinæ potestatis impleuerit: quia ubiq; deum esse noscendum est.

IN IOANNE

INT. Quadraginta & sex anni adfirmantibus Iudæis, secundum euangelium Ioannis in ædificatione templi quomodo ostenduntur impleti? R. Salomonem quidem septem tantũ annis domum domini ædificasse satis constat, scriptura ex hoc dicente: Ædificauitq; eam in annis septem. Quadraginta uero sex anni in templi restauratione ponuntur, quæ habita est in diebus Esdræ, post subuersionem Hierosolymæ, captiuitatemq; Iudæorum. Porrò ipsa reparatio exædificandi templi diu tracta est, uicinis in circuitu nationibus opus assidua infestatione prohibentibus. INT. Quomodo saluator assumptum hominem duxit in cœlum? aut quomodo cœlum promittitur sanctis, cum dicat: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo? Aut quomodo in cœlo erat, cum adhuc esset in terra? R. Secundum carnem in terra erat, secundum deitatem cœlo non deerat. Ideo & ipse ascendit qui descendit: quia licet assumpserit hominem, tamen homo & deus, hoc est Christus, una persona est: & utiq; cũ ille sit caput, sancti autem membra sint, necesse est ut sequantur membra quò caput præcessit, ut sit in cœlo Christi corporis plenitudo. INT. Qualiter illud accipiendum est quod scribitur: Non enim ad mensuram dat deus spiritum? R. Hoc quidam de filio proprie intelligendum esse confirmant: quia homines dum alij alijs plus minus'ue capiant, utiq; ad mensuram spiritum accipere uidentur, iuxta illud Apostoli: Habentes autem donationes secundum

gratiam

gratiam,quæ data est nobis,differentes,siue prophetiam secundum mensuram fidei,&c.Christo uero unigenito suo,qui etiam dat, non est spiritus ad mensuram datus,quia in eo est omnis plenitudo diuinitatis. INT. Saluator dicit: Vos ascendite ad diem hunc, ego non ascendam ad diem festum istum.& quomodo postea scribitur de eo: Vt autem ascenderũt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum? R. Veritas mendacium loqui nõ potest. Atq; idcirco non aliter à Iesu factum est,quàm quod se pronuntiauerat esse facturum.Scenopegia solennitas Iudæorum non unum diem, sed plures dies solennitate complectitur,sicut & Paschæ festiuitas. Ergo quia dixerat,non ascendo ad diem festum hunc,utiq; ad diem festũ ipsum, sicut prædixerat,non ascendit.Nam & sequitur in Euangelio:Hæc cum dixisset,ipse, hoc est saluator,mansit in Galilæa.Vt intelligamus in ea quidem solennitate,sed non eundem diem fuisse, de qua postea scribitur: Vt autem ascenderunt fratres eius,tunc & ipse ascendit ad diem festum. Potest & figurate intelligi hic dies festus,ad quem saluator se non ascensurum esse professus est, ut in se mutandam festiuitatem doceret. INT. Qualiter sentiendum est de loco illo, in quo de Iesu Christo saluatore nostro scribitur: Nemo misit in eum manus, quia nondum uenerat hora eius? R.E. Hora hæc non secundum mathematicos intelligenda est,sed potius hora illa qua ipse crucifigi,qua ipse pati uellet:& ideo nondum uenerat hora eius,quia nondum uniuersa perfecerat,quia nondũ cuncta propositæ operationis impleuerat,propter quæ homines terramq; uisitauerat. INT. Quomodo intelligendum est quod saluator dicit:Cum loquitur mẽdacium,ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius? R. Supra dixerat dominus ad Iudæos: Si deus pater uester esset,diligeretis utique me.& postea: Vos ex diabolo patre estis,& desideria patris uestri uultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit,quia non est ueritas in eo.Cum loquitur mendacium,hic subaudiendum est,unusquisq; uestrũ:ex proprijs loquitur,quia mendax est & pater eius,id est diabolus.Sunt qui ita disputant:Cum loquitur mendacium,id est diabolus:de proprijs loquitur,quia mendax est,& pater eius,hoc est mendacij ipsius pater est:quia ab ipso uideatur ortum esse mendacium: ut sicut deus filium ueritatem genuit,ita & diabolus filiũ genuerit falsitatẽ.

INT. Quomodo accipiendum est illud quo dicitur: Abraam pater uester exultauit ut uideret diem meum,& uidit,& gauisus est? R. Prophetæ uidentes appellabantur ideo,quod sancti spũs munere ea quę cæteris erant clausa,quasi conscij futurorũ uidebant: inter quos & Abraam Christũ uidit in spiritu. INT. Dicitur in Euangelio:Scimus quia peccatores deus nõ exaudit. & quomodo saluator in alio loco dicit: Omnis qui petit,accipit. R. Sunt qui ex hoc loco ita sentiũt:Ille,inquiũt,qui dixit peccatores nõ exaudiri,cæcus fuerat,& plenam adhuc quasi infuso collyrio uidere non poterat ueritatem.Certum est autem diuinæ misericordiæ aurem patere pulsantibus.

Potest

Poteſt & hac ratione intelligi,quomodo deus nõ exaudiat peccatores,ut etiam ſi exaudiantur ad impetrandam propriam ſalutẽ, nõ exaudiãtur in ſignis. INT. Deus & ſaluator quid eſt quod in Euangelio Ioannis dicit: In iudicium ego in hunc mundũ ueni,ut qui non uident,uideant,& qui uident, cæci fiant? R. Non minima quæſtio,ſed nos breuiter pro neceſſitate quid hic doctorũ opinio habeat,proferemus. Vt qui non uident,uideant, & qui uident,cæci fiant:id eſt,ut hi qui ſe non uidere confitentur,& medicum quærunt,uideant:hi uero qui ſe putant uidere,& medicũ non requirũt,in ſua cæcitate permaneant.Itaq; in hoc iudicium ueniſſe ſe dixit,quo diſcerneret cauſam credentium & incredulorum.Ergo ut qui non uident,uideãt, poteſt intelligi de gentibus,qui uiſuri erant per fidem:& qui uident,cæci fiant, accipi de Iudæis poteſt,qui cæcabantur per propriam infidelitatẽ. INT. Quomodo ſaluator loquitur:Pater maior me eſt.& alio loco dicit: Ego & pater unum ſumus? R. Dominus Ieſus ita uerus homo ut uerus deus, de patre deo deus,de matre homine homo,illud ſecundũ hominem,hoc ſecundũ deum locutus creditur.Iuxta quam rationẽ diuinitatis atq; humanitatis,etiam in reliquis quæ aut æqualitatẽ cum patre, aut humilitatẽ eius ſonant, facile intellectus patebit. INT. Quid myſterij continet locus ille ubi dominus, pedes diſcipulorum lauit? R. In loco illo maledictũ calcanei diluitur,quod diabolo incentore animæ noſtræ greſſus incurrebãt.Primo enim morſibus eius noſtrũ patebat calcaneũ.Porrò cũ dictum eſt: Ecce dedi uobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones,maledictum illud abolitum eſt.

IN EPISTOLA AD ROMANOS
INTERROGATIO.


VAE intelligentia eſt capituli illius quo Apoſtolus proponit dicens: Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam dei cõmendat,quid dicemus? Nunquid iniquus deus qui infert iram? ſecundum hominẽ dico. Abſit. Alioquin quomodo iudicabit deus hũc mundum? Si enim ueritas dei in meo mendacio abundauit in gloriã ipſius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor: & nõ ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt nos quidam dicere:Faciamus mala,ut eueniant bona? quorum damnatio iuſta eſt. RESP. Obſcuriſſimus atque perplexus in Apoſtolo locus, & multis ad diſcutiendum proferendúmque ſenſum uerbis indigens: nobis tamen pro feſtinatione ſermonis arctandus. Dixerat ſupra: Eſt autem deus uerax, omnis autem homo mendax,ſicut ſcriptum eſt: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Iam etiam adijcit: Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam dei commendat,quid dicemus? Hic de teſtimonijs quæ ſupra poſuerat, naſcentem euentilat quæſtionem, & adiungit: Nunquid iniquus Deus qui fert iram, id eſt uindictam? Secundum hominem

dico,hoc est secundum humanã elocutionẽ,quod quasi iniquum deũ appellauerat. Vel quod iram eius dixerat,cuius passio in deũ nõ cadat. Absit: hoc est,absit ita credi,ut iniquũ deũ esse dicamus:qui,si hæc ita sunt, iram infert delinquenti. Alioquin quomodo iudicabit deus mundum,nisi summa æquitate atq; iustitia? Deinde sequit: *Si enim ueritas dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius*. Et hoc ita proponit,ut refellentis sit, non adprobantis:quia si ueritas dei mendacio hominis indiguit,nec peccator tanquã peccator iudicabitur,& quæ blasphemabant in apostolos,uera uidebuntur. Ergo quid est quod dicit? Et si ex comparatione iniustitiæ iustitia clarescat,nõ ideo tamen homo iniustus esse debet, ut deus iustus appareat. Damnatio eorũ iusta est,qui nos hæc adfirmant dicere. Quid dicere? faciamus mala,ut ueniant bona. Putabantur autẽ apostoli istud dicere apud eos,qui male interpretabãtur dictũ apostolicũ,illud utiq;: Vbi abundauit peccatum, superabũdauit gratia. INT. Quid illud est quod legimus: Vt quid enim Christus,cum adhuc infirmi essemus, secundũ tempus pro impijs mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori. R. Hoc est quod uult intelligi: Ille pro impijs mortuus est,cum uix quisquam reperiatur mori uelle pro iusto. Nam pro bono,id est Christo, forsitan aliquis mori audeat. Hic etiã de se uerecunde indicans quod pro Christo mori possit. Et aliter: Vix enim pro iusto quis moritur. In ueteri lege,in qua est pro mandatorum seueritate iustitia, uix pauci martyres sunt reperti:in nouo autem instrumento,in quo est pro pietate præceptorum bonitas, innumerabiles martyres extiterunt. INT. Apostolus dicit de deo patre: Sed pro omnibus nobis tradidit illum,id est,filium, quid in hoc significat? R. Traditioni adquieuit. In sacris namq; libris facere interdũ deus dicitur, in quibus faciẽdis uidetur præstare patientiã. Alia quippe sunt quæ fieri deus uult,alia quæ fieri sinit. Vult ergo fieri quod facta appareãt esse meliora. At uero deteriora permittit,ut libertas humani constet arbitrij:in qua arbitrij libertate bonorũ malorumúe sectatoribus diuino iudicio exhibeatur retributio iusta meritorum. INT. In hac eadem epistola quid intelligendũ est de hoc quod legimus: Quis accusabit electos dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condẽnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui resurrexit, qui est ad dexterã dei,qui etiam interpellat pro nobis. R. Hæc in quibus sibi ipse respondit,quasi ἐρωτηματικῶς legenda. Et est sensus iste: Nisi forte electos suos aut deus qui iustificat,aut Christus qui pro his est mortuus, condemnabit. Minime utique, qui etiam interpellat pro nobis. Hoc est quod dicit: Nemo condemnabit electos. INT. Quid sentiendum est in hoc loco in quo Apostolus loquitur: Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem,& reliqua. R. Anathema interdum,ut & hic,occisionem interfectionemq; significat. Ergo hic Apostolus perire optat in carne,ut alij saluentur in spiritu.

Liberum arbitrium

Anathema

Et aliter:

Et aliter: Ita hic Apostolus uim nimiæ charitatis expressit, exoptans si fieri possit, à Christo anathema esse pro fratribus, sicut & Moyses, qui cum pro populo suo deum peteret, ait: Et nunc domine siquidem dimittes illis peccata illorum, dimitte: sin autẽ, dele me de libro tuo quẽ scripsisti. INT. Idem loquitur de deo: Ergo cui uult miseretur, & quem uult indurat: quid hic sequimur? R. Induratur cor à deo, dum criminũ pœna differtur. INT. Rursum ipse adfirmat dicens: Quod quærebat Israel non est consecutus: electio autem consecuta est, cæteri uero excæcati sunt: quis huius rei sensus est? R. Non quia deus ullum uolentem aspicere cæcitate percutiat: quia omnes, sicut scribitur, uult saluos fieri: sed illos qui seipsos excæcauerant, pro retributi-

Tradere one malitiæ dicitur tradidisse, dum deserit. Tradere enim domini est relinquere. INT. Qualiter accipiendũ est illud quod scribitur: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeris super caput eius. R. Hoc est, ignem cõpunctionis congeres, cum bona pro malis reddes. Et aliter: Non quod hoc animo inimicus pasci debeat, ut carbones ignis super caput eius dum pascitur congregentur: sed quod inimicus ille cum bona pro malis recipit, si nulla malitiæ suæ pœnitẽtia commouetur, ipse sibi potius carbones ignis super caput suum congerat. INT. Cum potestas non sit nisi à deo, sicut Apostolus dicit, cur non omnes bene accipi eam administrantes reperiuntur? R. Quia & uitam hanc omnes æqualiter à deo capiunt, nec tamen omnes æqualiter uiuunt.

I. AD CORINTHIOS.

INT. Omne, inquit, peccatum quodcũq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat: quid hic sentiendum est? R. Quod cætera peccata per corpus extrinsecus admittantur, fornicatio sola in corporis passionibus administretur. INT. Qualiter locus ille accipitur in quo scribitur: Nunquid domos non habetis ad manducandũ & bibendũ? aut ecclesiã dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? R. Apud Corinthios quondam, sicut aliqui asserunt, praua inualuerat cõsuetudo, ecclesias passim dehonestare conuiuijs, in quibus uescebantur ante dominicã oblationem, quam post cœnam noctibus inferebant: cumq; diuites ebrij ad Eucharistiam uenirent, uexabantur inopes fame. Mos uero iste, ut refertur, de gentiũ adhuc superstitione ueniebat. Vnde etiam quibusdam locis per Aegypti rura, uel Syriæ, die sabbati nocte post cœnam dicitur ad ecclesiam conuenire. INT. Cuiusmodi prophetia est de qua scribitur: Si autẽ omnes prophetent, intret autem quis infidelis, uel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta enim cordis eius manifesta fiunt. R.

Prophetia duplex Prophetiæ genus duplex est: doctrinæ unum, aliud diuinationis. Sed diuinatio preteritis temporibus magis uiguit, doctrina præsentibus. Occulta autem cordis eius manifesta fiunt, dum in ecclesia prophetante Doctore conscientia cõpungitur audientis. INT. Quid est quod scribitur, traditurus

filius

filius regnum deo patri? R. Traditurus quidem, sed tamen non ita traditurus, ut careat. Traditio autē regni nostra prouectio est, tūc cum esse ex integro filij meruerimus in patris regno. INT. Quid sibi uult illud quod scribitur: Omnes quidē resurgemus, sed non omnes immutabimur? R. Id est, non omnes in gloriā immutabimur: quia resurrectio & incorruptio cōmunis est omnium, immutatio autem ad gloriam proprie iustorum.

II. AD CORINTHIOS

INT. Apostolus dicit: Obsecramus pro Christo, reconciliamini deo: eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei in ipso. quid hic sequimur? R. Reconciliamini, inquit, deo, qui Christū fecit hostiam pro peccato. Peccatū uero appellari ipsam hostiā, si in ueteri testamento requiras, inuenies. Potest istud & ita intelligi, factum hostiam pro peccato Christū, quia filium suū misit in similitudine carnis peccati. INT. Datus est, inquit, mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. quomodo istud accipiendū est? R. Dicunt quidā Apostolum sępe dolore capitis esse uexatum. Melius autē puto ita accipi, ut colaphizatus in illis passionibus intelligatur, quas enumerauit ipse, dicens: Ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum, &c. Stimulū ergo carnis appellat tribulationem carnis: & angelū satanæ illū, quo quasi immissore tanta illa paterentur ostendit.

AD EPHESIOS.

INT. Quomodo intelligendum est hoc quod Apostolus scribit, quod proposuerit dominus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipsum? R. Vere mirum est quid nunc reparetur in cœlo. Reparatur ergo secundū opinionem quorundā, illa quæ cum principe suo cecidit angelorum portio, per augmentum societatemq; sanctorū, de quibus scribitur: Sed sunt sicut angeli in cœlo. Reparantur quoq; omnia in terra, cum etiam in locum deficientiū Iudæorum admittuntur credentes ex gentibus. Et aliter: Instaurātur quæ sunt in terra: dum nos per mediatoris nostri sanguinē cōciliationemq; reparamur. Reparantur cœlestia, cum de salute nostra gaudiū nascitur angelorū. INT. Quid est quod Apostolus loquitur de deo patre: Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur? R. Quia cum ille nobis pater primus & uerus sit, ab illius nomine deriuatur quando alij patres appellantur. INT. Quomodo Apostolus dicit: Honora patrē & matrē, quod est mandatū primum: cum in mandatis, ut quidā ordinant, quarto sit loco? R. Aliqui de hoc ita disserūt dicentes: Tria illa mandata quę superiora sunt, omnia ad deum pertinēt, septē sequentia ad hominē: & tria illa ad deū pertinētia in una legis tabula tenebātur, in alia uero tabula præcepta illa erāt quæ ad hominē pertinebant. Hoc itaq; mandatū in septē mandatis quæ ad proximū pertinent, primū est. Alij uero qui hoc mandatū nō quarto, sed quinto loco, quod & nos probamus, esse cōfirmāt, ita de hoc disputāt: Decalogū ipsum totum,

quia in illa prima lege conſcriptũ eſt,recte primũ mandatũ appellari, quod utiq; primũ faciat ordo,poſtea aliorũ in lege conſequens præceptorũ. Item ex hoc aliter:Honora patrem & matrem, quod eſt mandatum primum,& ſubiungit,in promiſſiõe,In qua promiſſione? Vt bene ſit tibi,& ſis lõgæuus ſuper terrã.Igitur in mandatis hoc eſt primũ mandatũ,quod habeat,quam ſupra diximus,promiſſionẽ. INT. Quid ſibi uult illud quod ſcribitur: Spiritum nolite extinguere? R. Extinguere,id eſt fugare per opera iniquitatis. Dauid inquit:Spiritum ſanctũ tuũ ne auferas à me. INT. Sequitur paulo poſt in eodem: Vt integer ſpiritus ueſter,& anima,& corpus ſine querela in aduentũ domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.quid hic intelligendũ eſt? R.

Spiritus Spiritũ hic dicit utiq; illum ſanctũ, de quo ſupra dixerat: Spiritũ nolite extinguere.Qui quidẽ cum in ſubſtantia ſua nõ poſſit extingui,extinguitur in nobis,cum aufertur à nobis.Donũ namq; eius uel gratia in hominibus ſicut eorũ uirtutibus accenditur,ita eorũ uitijs extinguitur. Alij aſſerũt ſpiritũ hic accipiendũ eſſe animæ ipſius intellectũ atq; ſapientiã. De quo alio loco idẽ Apoſtolus dicit:Et ipſe ſpũs teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij dei.Hoc eſt,quod ille ſpũs ſanctus huic intellectuali ſpũi noſtro teſtimonium reddat,quod ſumus filij dei.Alio quoq; loco Apoſtolus loquitur.Pſallam ſpiritu,pſallam & mente,Hic ſpiritum pro uoce ponens,& uoce dicit pariter & mente pſallendum.

AD COLOSSENSES

INT. Quid intelligendũ eſt in capitulo illo,in quo ad Coloſſenſes ſcribitur:Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi,quid adhuc tanq; uiuentes in mundo decernitis?Et reliqua. R. Perſtringamus ut poſſumus,locum ſummis obſcuritatibus inuolutum. Diſputat contra eos,qui ex Iudæis Chriſtiani,proprijs cõtendebant cerimonijs inhærere. Supra enim dixerat de improbabili eorũ obſeruantia in cibo & potu: & quod Neomeniæ eorũ & ſabbata umbrã futurorũ prætuliſſent,Rurſum in conſequentibus dicit:Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi,quid adhuc tanq; uiuentes in mundo decernitis?id eſt dijudicatis dicendo:Ne tetigeritis,neq; guſtaueritis,neq; cõtrectaueritis,quę ſunt omnia in interitu ipſo uſu ſuo(id eſt,dum aſſumũtur intereunt) ſecundũ præcepta & doctrinas hominũ: quæ ſunt rationẽ quidẽ habẽtia ſapiẽtiæ in ſuperſtitione & humilitate, & nõ ad parcendum corpori.Doctrinas hominũ dicit,quia præcepta ipſa carnaliter intelligãt,præcipiẽtes in lege ꝓhibita nõ manducari:ſed hoc,ſicut ipſe ſubiũgit, in ſuperſtitiõe & humilitate ſuperuacua, & in corporis afflictiõe,cui utiq; corpori nõ parcatur,uel per eiuſmodi abſtinentiã uel per circũciſionẽ. Sequitur aũt:nõ in honore aliquo ad ſaturitatẽ carnis. ergo hoc eſt quod uult intelligi:Omnes illæ obſeruationes,licet in obſeruantia aliquã ſapiẽtię præferre uideant̃ figurã,quia putent̃ legẽ præceptorũ tenere, tamẽ in ſuperſtitiõe ſunt non in aliquo honore dei,ſed ad explendã uoluntatẽ obſeruantiæ carnalis,

I AD TIMOTHEVM

INT. Quæ singularum rerum est accipienda discretio in his quas Apostolus profert dicens: Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. R. Obsecrationes fiunt pro peccatis præteritis & præsentibus: orationes pro adipiscendis quæ speramus: postulationes cum pro alijs interuenimus: gratiarum actiones cum ea quæ poscimus impetramus, uel certe cum pro immensis dei beneficijs gratias laudesq; referimus. INT. Locus ille quomodo accipiendus est, in quo scribitur: Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudiciũ, quosdam autem & subsequuntur? R. Supra dixerat, aduersus presbyterum accusationem non recipiendã, nisi sub duobus & tribus testibus. & paulo post addidit: Quorundam hominum peccata sunt præcedentia ad iudicium, utiq; dum omnibus nota sunt: quædam autẽ & subsequuntur, utiq; dum postea in iudicio comprobantur. Quod si istud aliqui in iudicio dei magis accipiendum putant, potest *ita intelligi: Præcedere ad iudicium* illa peccata, quæ ante *hic unusquisq; cõmiserit: subsequi uero illa, quibus nos quidẽ causas dedimus, sed iam post transitum nostrum consummata intelligũtur: ergo subsequũtur nos ad iudiciũ huiusmodi peccata: si, uerbi gratia, cui inopię nos causas attulimus, fame post obitũ nostrum atq; egestate cõsumptus sit.*

Obsecrationes
Orationes
Postulationes
Gratiarum actiones

II AD TIMOTHEVM

INT. Alexander ærarius multa, inquit, mala mihi ostendit: reddet ei dominus secundum opera eius. Et item: Percutiet te dominus paries dealbate. quomodo hæc intelligenda sunt? R. Percutiet te, inquit, non percutiat: & rursum reddet, non reddat. Vnde fit, ut non tam maledicentis animo dicta esse uideantur, quàm iudicium dei atq; uindictam denũtiantis. Item aliter: Et si per administrationem prophetiæ immoto animo maledicat propheta, ut illud: Obscurentur oculi eorum ne uideant: dicit quid eorum meritis debebatur. Quia omnis præuaricatio & inobedientia accipit iustam operis atque mercedis retributionem.

AD HEBRAEOS

INT. Quid in hoc sequimur quod Apostolus dicit: *Fide Iacob moriens* singulos filiorũ Ioseph benedixit, & adorauit fastigiũ *uirgæ eius.* R. Sceptri significatio est accipienda pec uirgam, & per hoc regni potestatisq; fastigium: in quo Christus intelligitur adoratus, qui uidelicet futurus erat regni Hebræorum caput.

Virga

IN ACTIBVS APOSTOLORVM

INT. Quid indicat illud quod legimus: Sabbati habens iter, id est mille passus? R. Sabbato enim usq; ad montem olìueti ire Iudæis licitum erat: uel certe sicubi fuissent, tanto spacio deambulandi licentiam præsumebant. INT. *Spiritus sanctus* quomodo ante ascensionem à saluatore secundũ euangelistã Ioannẽ apostolis insufflatur, cum secundũ Actus apostolorum

post decimum ascensionis diem in apostolos missus sit? R. Multæ sancti spiritus gratiarum donationes sunt, secundum illud quod Apostolus dicit: Alij quidē datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij gratia sanitatum in uno spiritu, &c. Igitur ante ascensionem gratiam sancti spiritus acceperunt, qua possint peccata dimittere, & baptizare, & credentibus spiritum adoptionis infundere: secundū quod tūc cum eis à saluatore spiritus insufflaretur, dictum fuerat: Quorum remiseritis peccata, remittētur eis: & quorū retinueris, retenta erunt. At uero post ascensionem multo maiorem sancti spiritus gratiā perceperunt in operatione uirtutum, & gratia sanitatum, & diuersarum perceptione linguarū: iuxta illud quod eisdem eodem promissum fuerat die, ut baptizarentur spiritu sancto, & induerentur uirtute, qua Euangelium Christi uniuersis gentibus possint prædicare. In hac ergo perceptione sancti spiritus secundum dominicæ gratiæ distributionem, apostolorum demonstratur profectus, nō compugnantium diuersitas scripturarum. Et aliter, quare bis datus sit spiritus sanctus, egregie quidam Doctor exposuit dicens de eo quem primum hic saluator per seipsum dedit, & de cœlis postea misit, ut significaretur dilectio proximi & dilectio dei, quæ in cordibus sanctorum per spiritū sanctum diffunditur, qui datus est ad euangelizandum dei uerbum. Per quod apostoli sese in orbis partes intulerunt, quantum narrat historia, Bartholomæus in Indos, Thomas tetendit in Parthos, Matthæus Aethiopes, Andreas Scythas prædicatione molliuit, Ioannes Asiam diuino sermone correxit, Petrus Cappadociam atque Galatiam, Bithyniam pariter & Pontum, prouinciásque confines, dum Iudæis prædicat, circuit: postremo Romam illustraturus accessit. Paulus ab Hierusalem usque Illyricum cum Euangelio repleuisset, tam innumeras ac dispares nationes pręceptis tanquam armis uictor edomuit.

Diuisio Apostolorum

INTER. Cum in Actibus Apostolorū primum legatur: Viri autem qui comitabantur cum eo, hoc est cum apostolo, stabant stupentes, audientes quidem uocem, neminem autem uidentes, quomodo postea Apostolus dicit: Et qui mecum erant, lumen quidem uiderunt, uocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum? RE. Superius ubi audisse uocem referuntur à deo, non uocem, sed inconditum sonum uocis acceperunt, ut eos postea dicat uocem non audisse, id est expressam uerborum significantiam, qua possint intelligere quod sonabat. Ac perinde idcirco diuersa uice & audisse referuntur: quia quantum ad sonum pertinet, audierunt: quantum ad uerba, non audierunt. INT. Quare prius communis cibus uocabatur, qui putaretur immundus? R. Quod contra interdictū tunc dei in commune cæteris pateret hominibus, qui in ciborū discretione legis obseruantiam non tenebant, per quam Iudæi partē dei se esse iactabant. Purificatus est autem etiam domino dicente ad Petrum: Quæ deus purificauit, ne tu commune dixeris. INT. Quid illud est quod in Actibus Apostolorum

duodecim

duodecim illi qui Ioannis baptismo baptizati fuerãt, baptizantur à Paulo? R. Hoc idcirco, quia nõ in nomine trinitatis baptizati erant. Baptismum enim Ioannis licet in eum qui uenturus est, baptizaret, tamen proprie Ioannis baptismũ dicebat. Vnde & ab hæreticis ueniẽtes nõ rebaptizãtur à nobis, si baptizatos cõstat in nomine trinitatis: nisi impositio tantũ manus ad fidẽ rectam cõuersis adhibetur, ut per hãc sancti spiritus suscipiatur infusio. *Non rebaptizandum*

IN EPISTOLA IACOBI.

INT. Quomodo dicitur: Deus intentator malorum est, & ipse neminem tentat: cũ nihilominus scriptũ sit: Tẽtat uos dominus deus uester? R. Tentatio domini probatio appellat. Neq; enim ille quenq; tentat in passionibus, sed à concupiscentijs nostris illa tentatio est, cum humiliati dejcimur. A domino est tentatio, cum probat & glorificamur, & ideo dominus intentator malorum est. *Tentatio domini*

IN EPISTOLA IOANNIS.

INT. Quomodo perfecta charitas foras mittit timorem, cum rursum scribatur: *Timor domini castus permanet in seculum seculi?* R. Quisquis deum diligit, utiq; absq; deo esse formidat. *Hic est timor dei, qui permanet in seculum seculi.* Igitur timor hic de perfecta domini charitate descẽdit. At uero alius timor ille de temporarijs rebus nascitur: quarum sæpe amissionem ueremur. Hunc timorẽ foras mittit diuinæ perfectio charitatis. INT. Item in epistola sua Ioannes ponit: Tria sunt quæ testimonium perhibent, aqua, sanguis, & spiritus: quid in hoc indicatur? R. Simile huic loco etiam illud mihi uidetur, quod ipse in Euangelio suo de passione Christi loquitur dicens: Vnus militũ lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua: & qui uidit, testimoniũ perhibuit. In eodem ipse de Iesu supra dixerat: Inclinato capite tradidit spiritũ. Quidã ergo ex hoc ita disputant: Aqua baptismum, sanguis uidetur indicare martyrium, Spiritus uero ipse est qui per martyriũ transit ad dominũ. Plures tamen hic ipsam interpretatione mysticam intelligũt trinitatẽ, eo quod perfecta ipsa perhibeat testimoniũ Christo: Aqua patrem indicans, quia ipse de se dicit: Me dereliquerunt fontem aquę uiuæ: Sanguine Christũ demonstrans, utiq; per passionis cruorem: Spiritu uero sanctum spiritũ manifestans. Hæc autẽ tria de Christo testimoniũ ita perhibent, ipso in Euangelio loquente: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso: & testimoniũ perhibet de me qui misit me pater. Et item: Cum autẽ uenerit paracletus, quẽ ego mittam uobis spiritum ueritatis, qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me. Perhibet ergo testimoniũ pater, cum dicit: Hic est filius meus dilectus: Filius, cum dicit: Ego & pater unũ sumus: Spiritus sanctus, cum de eo dicitur: Et uidit spiritũ dei descendentẽ sicut columbã uenientem super se. INT. Quid est quod rursum in epistola sua profert esse pro quo non debeat orari peccatum usq; ad mortem? R. Vtiq; usq; ad mortẽ peccat ille peccator, qui in huius temporariæ uitę cursu *Timor duplex* *Peccatũ ad mortem*

pœnitentiam non agit. Hac ratione illud quoq; oportet intelligi: Qui autē blasphemauerit in sanctum spiritū, non remittetur ei, neq; hic, neq; in futurum. Blasphemat enim qui diuinis promissis, spirituiq; sancto minime credens, in quo est remissio peccatorū, reconciliari deo in hac uita per satisfactionis opera detrectat. INT. Quid significat quod in eodē legimus, mundum in malignum esse positū? R. Non quod à deo mundus in maligno sit positus, sed quod uitia hominū in mundo uiuentium sint maligna. Hoc modo etiam illud patebit quod scriptum est: Quia dies mali sunt.

IN APOCALYPSI.

Septem dona Spūs sancti

INT. Qui sunt illi septem spiritus dei, qui in Apocalypsi cōmemorātur? R. Hi sunt quos & propheta Esaias enumerat: Spiritus sapiētiæ & intellectus, spiritus consilij & pietatis, spiritus scientię & ueritatis, spiritus timoris dei. In quibus tamen spiritalia opera significantur. Omnia autē illa operatur unus atq; idem spiritus.

Et quidem hæc de opinionibus doctissimorum uirorum exigenti tibi à me prolata sunt. Si quis tamen in prædictarum quæstionum disputationibus attulerit quæ magis probentur, reprehendens pertinaciam, quæ in plerisq; esse solet, non abnuo me secuturum esse meliora.

QVAESTIONVM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI FINIS.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

EVCHERII EPISCOPI LVGDVNENSIS IN LIBRVM secundum Instructionum Præfatio ad Salonium.



VONIAM fili charissime, superiore libro propositionibus tuis se retulit crebra responsio, & uereor, ne assiduæ interrogationes, ut fit plerunq;, legenti generent ex satietate fastidium: meo nunc nomine ea quæ spopondera͂ opus uariaturus, adnectam: singula quæq;, ut ordine ipso magis clareant, per species suas diuidens, ac titulis suis subdens. Et primo ueniam ad Hebræorum nominum interpretationem, è quibus certa quæq; & celebriora breuitatis causa ponam.

HEBRAEORVM NOMINVM INTERPRETATIO.



DONAI, *in Latinum sonat dominus.* Sabaoth, exercituum *siue uirtutu͂: aut, ut aliqui uolunt, omnipotens.* Iesus, *saluator.* Nazarenus, *sanctus, siue mundus.* Messias, *unctus, id est Christus.* Michaël, *qui sicut deus.* Gabriel, *fortitudo dei.* Raphaël, *medicina dei.* Adam, homo, siue terrigena. Eua, uita, siue calamitas. Miror unde apud Hebręos interpretatio huius nominis tam diuersa sit: nisi forte ideo, quod eadem & ædendo homini uitam attulerit, & transgrediendo calamitatem. Aut quod mulier alijs interdum uita, alijs est calamitas.

Abel, luctus, uel miserabilis. Cain, possessio, uel lamentatio. Enoch, dedicatio. Mathusalem, mortem suam misit. Noë, requies. Sem, nominatus. Cham, callidus. Iapheth, latitudo. Loth, declinans, siue unctus. Melchisedech, rex iustus. Abram, pater excelsus. Abraam, pater uidens populum, uel pater multarum, scilicet gentium. Sarai, princeps mea. Sara, princeps. Notandum quod utrisq; nominibus, scilicet Abraæ & Saræ tantum a literam dominus addiderit, *quæ tamen apud Hebræos* per e legitur. Agar, aduena, uel conuersa. *Ismaël, auditio dei.* Isaac, risus: non tamen, ut quidam putant, ideo sic appellatus, quia Sara riserit, sed quod Abraam, qui tunc utiq; prior risisse indicatur. Rebecca, patientia, siue quæ multum acceperit. Iacob, supplantator. Israël, uir uidens deum, sed melius princeps cum deo. Lia, laboriosa. Rachel, ouis, uel uidens deum. Ruben, uidens filios, siue uidens in medio. Simeon, audiens tristitias. Leui, appositus, siue additus. Iuda, co͂fitens, siue glorificans. Zabulon, habitaculum pulchritudinis. Isachar, est merces. Dan, iudiciu͂, aut iudicans. Gad tentatio. Aser, latitudo siue beatus. Neptalim, conuersantes. Beniamin, filius dexteræ. Ephraim, frugifer, siue ubertas, uel

auctus Latine. Manasse, oblitus. Esau, rubens, siue aceruus lapidum. Cedar, tenebræ, uel mœror. Iob, magus, uel dolens. Amalech, populus lambens, siue restinguens. Moyses, adsumptio, uel liniens. Aaron, mons fortitudinis. Pharao, denudans eum, siue dissipator eius. Sed Pharao nomen est nō hominis, sed dignitatis: sicut & apud nos Augusti appellantur reges, cum proprijs nominibus censeantur. Pharao tamē ille submersus in mari rubro proprio uocabulo Centres uocitatus est. Iosue, saluator. Athoniel, tempus eius dei, uel responsio dei. Aod, gloriosus. Semegar, nomen aduenieus, siue ibi colonus. Barach, fulgurās. Delbora, apis uel loquax. Gedeon, tentatio iniquitatis eorum. Abimelech pater meus rex. Thola, uermiculus ad tincturam, uel coccinum. Iair, illuminans. Iepte, aperiēs, uel apertus. Esebon, cogitatio, siue cingulū mœroris. Achilon, uiuens deo, uel uidens deū. Abdo, seruus eius. Sampson, sol eorum, uel solis fortitudo. Dalila, paupercula, uel situla. Eli, deus meus. Samuel, nomen eius deus. Saul, expeditus, siue petitio. Iassai, insulæ holocaustum, uel sacrificiū. Dauid, desiderabilis, siue fortis manu. Ionathan, columbæ donum, uel domini donū. Abesalom, pater pacis. Salomon, pacificus. Idem Ecclesiastes, id est concionator, Idem & Idida, id est dilectus domini. Roboam, latitudo populi. Abia, pater dominus. Asa, tollens, siue sustollens. Iosaphat domini iudiciū. Ioram, qui est excelsus, sed melius sublimatus. Ochozias, apprehendens dominū. Athalia, tempus domini. Ioas, sperans, siue temporalis. Amasias, populum tollens. Azias, fortitudo domini. Azarias, auxilium domini. Iotham, perfectus. Achas, apprehendens. Ezechias, fortitudo domini. Manasses, obliuiosus, uel quia oblitus est. Amon, fidelis, uel nutritius. Iosias, ubi est incensum, uel domini salus. Ioachaz, robustus. Ioachim, cuius est præparatio. Eliachim, dei resurrectio. Iechonias, præparatio domini. Sedechias, iustus domini. Ieroboam, dijudicans populum, uel dijudicans supernos. Naue, latratus. Baasa, pinguedo. Helam, seculi, uel orbis. Zambri, psalmus, uel canticum meū. Omri, crispans meus. Achab, frater patris. Iezabel, fluens sanguine, uel sterquilinium. Iehu, ipse uel est. Ioatha, robustus. Zacharias, timor domini. Sella, umbra eius, uel petitio. Manaèm, consolans. Facee, aperiens. Helias, deus dominus. Helisæus, dei mei salus. Osee, saluator. Iohel, incipiente deo, siue est deus. Amos, potens, uel fortis, aut populum debellans. Abdias, seruus domini. Iona, columba, uel dolens. Micha, quis iste? Naum, germen, siue consolatio. Abacuc, amplexans. Sophonias, abscondens eam. Aggæus, festus, siue solennis. Malachias, angelus meus. Esaias, salus domini. Hieremias, excelsus domini. Ezechiel, fortitudo domini. Daniel, iudiciū domini. Iudith, laudans, uel Iudæa. Ioseph, auctus. Maria, illuminata siue stella maris: sed sermone Syro, domina. Simon.

pone

pone mœrorem,uel obediens. Petrus,agnoſcens. Bariona,filius columbæ,Syrum pariter & Hebræum. Cephas,Petrus, Syrum eſt. Paulus, mirabilis. Saulus,tentatio reſpicientis,uel tentationis ſecuritas. Andreas,uirilis,Græcum eſt. Iacobus,ſupplantator. Ioannes, domini gratia. Philippus,os lampadarum. Bartholomæus,filius ſuſpendentis aquas. Thomas,abyſſus,uel geminus:unde & Didymus græce dicitur. Matthæus,donatio.Idem appellatus eſt Leui. Lebbeus,corculum,id eſt à corde,ipſe eſt & Taddæus,ipſe eſt Iudas Iacobi. Chananæus,poſſidens,ſiue poſſeſſio.Ita autem dictus Simon,à uico Chana,ipſe eſt & Zelotes. Scarioth,memoriale domini, uel memoria mortis. Hoc uero nomine appellatus eſt Iudas à uico in quo natus eſt. Marcus,excelſus mandato. Lucas, ipſe conſurgens,ſiue ipſe leuans. Stephanus,norma ueſtra:Græco autem ſermone coronatus. Auguſti,ſolenniter ſtantes. Cæſar,poſſeſſio principalis. Cirenei,hæredes. Bethſaida,domus frugũ. Bethphage,Syrũ,domus uallis. Bethania,dom9 afflictiõis. Geneſar,ortus principis. Amaus, populus abiectus. Capharnaum,ager conſolationis. Sarepta, incenſa, ſiue anguſtia panis. Gethſemani,uallis pinguedinum. Golgatha, caluaria. Nazareth:flos mundiciæ,uel uirgultum. Niniuitæ, nati ſpecioſi. Sidon,uenatio, Zachæus,iuſtificatus. Idumæa,roſa. Liſama,natiuitas tentationis. Iordanis,deſcenſus. Martha,prouocans deum. Magdalena,turris. Suſanna,lilium. Saba,captiuitas. Caiphas, inueſtigator,ſiue uomens ore. Pontius,declinans conſilium. Pilatus, os malleatoris. Herodes,pellicius. Barrabas,filius patris,uel magiſtri eorũ, abſque dubio Iudæorum magiſtri,qui eſt diabolus. Eden in Geneſi, deliciæ. Iudæa,confeſſio. Hieroſolyma,uiſio pacis. Sion,ſpecula,& recte:nam hæc ciuitas Dauid in monte conſtructa eſt. Babylon,confuſio,ſiue translatio. Aethiopia,tenebræ. Aegyptus,tribulatio,ſiue tenebræ. Tyrus anguſtia. Romani, ſublimes, uel tonantes. Sinai,menſura, ſiue mandatum, ſiue tentatio, uel amphora mea. Gehenna, uallis gratuita.Quidam æſtimant appellatam hanc à ualle Gehennon, quæ eſt iuxta murum Hieruſalem. Hebræi,tranſitores. Sadducæi,iuſtificati. Phariſæi,diuiſi. Galilæi,uolubiles, Samaritæ,cuſtodes, eo quod à Babylonijs illic ad cuſtodiam collocati ſint Iudæorum.

Cum in cæteris,tum & in hoc abundanter liquet, ſcriptura omnis ſacra quàm uere diuina ſit,ac plena myſterijs.quando ita congruant rebus nomina,affectibusq; reſpondeant.Sicut Dauid,qui exprimitur in Latinum fortis manu:utiq; fortiſſimus omnibus ferè bellis extitit. Salomon,pacificus: utiq; in pace regnum adminiſtrauit. Daniel,iudicium dei:utiq; in presbyterorum iudicio ſententiam diuinæ diſceptationis exhibuit. Vnde quid mirum ſi hi futura prædicauerint,quorũ etiam nomina,ſicut res edocent, prophetiam ſonant?Sed iam de uarijs uocabulis interpretationem ponamus.

De uarijs

DE VARIIS VOCABVLIS II


LLELVIA, in Latinum ſonat laudate dominum. ia enim unum eſt de decem nominibus Dei, quæ apud Hebræos habentur. Amen, uere, ſiue fideliter. Diapſalma, ſemper: eo quod illa quibus hoc adnectitur, ſempiterna eſſe confirmet à deo: non commutationem metri ſignificat, ut quidam exiſtimant, uel ſpiritus prophetici refectionem. Sunt etiam qui diapſalma ideo inſcribi putent ut ex hoc ſibi perſonarum, ſiue ſenſuum intelligatur eſſe conuerſio. Oſanna, ſaluifica, ſiue ſaluum me fac. Oſi enim ſaluifica interpretatur, anna interiectio eſt deprecantis. Ergo integre dicitur, Oſianna. Sed dum corripitur, aut corrumpitur, ſonat oſanna. Eſt autem ſenſus, Saluum fac, ſubaudiatur, uel populum Iſrael, uel totum mundum. Rhama, excelſa. In Euangelio: Vox in rhama audita eſt, id eſt in excelſis. Eſt tamen & ciuitas, quæ Rhama appellatur. Racha, uanus, aut inanis. Rabbi, magiſter, Syrum eſt. Man, quid. Manna, quid eſt hoc? Abba, pater: & hoc Syrum eſt. Anathema, perditio. Maranatha, dominus noſter uenit, Syrum eſt. Anathema autem maranatha, ſicut quidam dicunt, perditio in aduentu domini. Mammona, diuitiæ. Theraphim, figuræ, uel imagines, melius quàm incendia. Seraphim uel ſeraphin, ardentes, uel incendentes, iuxta illud: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem. Ergo ſeraphin uirtutes in cœlis eſſe confirmant, quæ deum laudent, & in miniſteria diuerſa mittantur. Cherubin, ſcientiæ multitudo. Cæterum Cherubin ipſum in Sanctaſanctorum duo tantum ſignificãtur animalia. Alijs uero locis ubi hoc nomen legitur, aut picturã aliquã indicat, aut uarietatem.

DE EXPOSITIONE DIVERSARVM RERVM III


ANDRAGORA in Geneſi, genus pomi ſimillimum paruo peponi ſpecie uel odore. Mazaroth zodiacon, quæ duodecim ſigna mathematici adſerunt. Fath, clima, id eſt plaga meridiana, uel occidentalis. Rhamnus, in Pſalterio, non rubus eſt, ſed ſpinarum genus ſentibus permoleſtum. Rhomphea, gladium in Latinum ſonat. Nam ubi in Geneſi dicitur, gladius flammeus atque uerſatilis, in Græco rhomphea ponitur. Frameæ, haſtæ longiſſimæ. Sunt qui ijs etiam nunc armorum uice utentes hoc nomen tribuunt. Quidam etiam ita gladios ſignificari putãt. Capparis, in Salomone fruteti genus in Oriente ſimile lentiſco. Palathæ, in Regnorum, maſſæ quæ de recentibus ficis compingi ſolent. Palathæ Græcum eſt. Debelaim, in Oſea propheta, palathas dicunt. Dabir, in Regnorum, oraculum quod erat factum in media interiori parte templi, in quo & arca domini erat, hoc appellabatur Sancta ſanctorum. Byſſus, genus ſerici groſſioris, pariter & fortioris. Sunt qui

dam

dam qui & genus lini esse byssum putent. Phœnicium, in Esaia, coccinum.
Luteres, in Regnorũ, conchæ, uel canthari aquarij. Sed & cantharus Græ
cum nomen est. Latomi, in Regnorum, lapidũ cæsores: & hoc Græcum
est. Creagræ, in Paralipomenon, fuscinæ, ad carnes de caldarijs proferen/
das, græcum est. Sambuca, in musicis genus symphoniarum. Nablum
quod græce appellatur Psalteriũ, quodq; à psallendo dictum est. Ad simili/
tudinem est citharæ barbaricæ in modũ deltæ literæ Δ. Tympanũ, quod
extenta pelle uel corio efficitur. Cinari, ut quidã putãt, acetabula, quæ per/
cussa in modulos cõcitantur. Thyina, ligna. De his Salomon gradus fecit
in domo domini, incognita ligna etiam peritioribus Iudæorum. Sethim,
spinarum in eremo genus est, è quibus lignũ imputribile. Sabeth, uirgulti
apud Hebræos nomen est, in Genesi: Ecce, inquit, aries post tergum eius te/
nebatur in uirgulto Sabeth. Lebetæ, ænei minores in usum coquendi pa/
rati. In Paralipomenon: Pacificas uero hostias coxerũt in lebetis, & cacabis,
& ollis. Cophinus, corbis. Hydria, uas aquariũ. Condi, in Genesi, po
culum uel scyphus. Lecythus, in Regnorũ, ampulla olearia. Lenticula, in
libro Regnorũ, uasculum ex ære, habens oleum quo ungebantur in regnũ.
Paropsis, acetabulum maius. Aliqui & catinũ ita appellari putant. Epi
stylia, in Regum, quæ super capitella columnarũ ponuntur: græcũ est. Me/
chonoth, in Regũ, fulturæ, quas bases appellamus. Topazion, lapis pre/
ciosus, in quo, sicut aliqui affirmant, omniũ lapidum colores refulgent. Cor
bana, gazophylacium. Corbona autem interpretatur oblatio. Chasma, in
Luca, hiatus: græcum est. Erysibe, in propheta, erugo, id est rubigo messi/
um: Græcum est. Zizania, lolium. Sicera, succus ex dactylis: & omnis
præter uinum liquor, qui ad bibendum, aut è pomis, aut quolibet genere
conficitur, sicera nuncupatur. Nardum pisticum, nardum fidele, id est si/
ne impostura: Græcum est. Nardum spicatum, ab eo quod species ipsa
nardi in modum spicæ sit, quæ infusa conficitur. Alabastrum genus mar
moris preciosi, ex quo Euangelici illius unguenti uasculum erat. Stadium,
in Euangelio spacij certa dimensio. Octo stadia mille passus efficiunt.
Hæc nomina quæ subsequuntur, in Exodo, uel in Regum libris his re/
periuntur locis, quæ arcæ uel tabernaculi, aut templi domini relationem con
tinent. Quorum nominum uocabula, ad hæc quæ obscuriora sunt, in trans/
latione ueteri habentur. Hæc uero quæ lucidiora apparẽt, nouæ translatio/
nis textu cõtinentur. Vetus ergo translatio habet, Sperateres: noua, ferulas.
Calamiscos, calamos. Troiscos, uel cariscos, quasi in nucis modum defor/
matos. Anconiscos, incastraturas. Aspidiscas, uncinos. Fimbrias, cate/
nas. Scitalas, uectes. Lapidibus acrotomis, dedolatis. Degrapidem, cæ
laturam. Petalis, laminis. Perimetrũ, lineam. Spiras, capitella colum/
narum, uel sicut puto, facturam earum. Elam, porticũ: sed melius interpre/
tatur ante fores, siue uestibulum. Ergo Elam Hebraicum est. Cætera quæ
superius

superius sunt, Græca sunt maxime. Item in Ezechielis extrema parte in uisione ciuitatis, in ueteri trāslatiōe habet pastophoria, in noua gazophylacia, id est, cellulas paruas. Thee. thalamos. Aileu, frontem. Aelaucooth, uestibulum. Polyandron, multitudines. Spitamis, palmus. Gissus, definitio. Manaa, sacrificiū. In Regum, Cenotaphia, simulacra, quæ Græce μορφώματα. Sed hæc hactenus. Nunc etiam illud accipe, ut quædam nomina prius scriptura appellauerit, & ut nunc uocentur.

DE GENTIBVS IIII



GOMOR, in Genesi Galatæ, id est Galli, qui à candore corporis primum Galatæ appellati sunt, è quibus populi quondam in orientis longinqua migrantes primum Gallogræci, nunc antiquo Gallorum nomine Galatæ uocantur. Magog, Scythæ. Quidam Gog & Magog, Gothos putant. Iubal, Iberi, qui & Hispani. Thiras, Thraces. Thogorma, Phryges. Madai, Medi. Iauan, Iones, qui & Græci. Vnde & mare Ionium. Cethei, Citij, idem Ciprij, apud quos & urbs Cittium uocitatur. Donanim, Rhodij. Ex his Græcorum nationibus extitere, qui à Tauro monte usq; ad occidentalem oceanum maritimam oram occupauerunt. Hæ omnes gentes de Iapheth stirpe descendūt. Chus, Aethiopia. Mesraim, Aegyptus. Casloim, qui postea Philistini, nunc Palestini. Iidem tamen & Allophyli. Iidem & alienigenæ appellati sunt. Horum ciuitas Ascalon. Saba, Arabia. Saba uocitatur & regio, in qua nunc Sabæi. Euila, Getuli. Labain, nunc Libyes, quondam Futhei appellabantur. Tharsis, siue Carchedon, Carthago est: quidā Tharsos Ciliciam arbitrantur: quia & ciuitas Tharsis illic sita est. Africa, appellata ab uno ex posteris Abraæ de Cethura, qui uocatus est Afer. Ismahelitæ, uocati ab Ismahele filio Abraæ. Iidē & Saraceni, à Sara. Iidem & Agareni, ab Agar. Nabathei, à Nabeth filio Ismaelis appellati, qui ab Eufrate ad mare rubrū porrigūtur. Chananei appellati de Chanaan filio Cham. Horū terrā Iudæi expulsis incolis possederūt. Hi omnes de origine Cham ueniunt. Assur, Assyrij, ab Assur filio Sem. Hi urbem Ninum ex nomine Nini regis condiderunt, quæ nunc Niniue uocatur. Syros appellatos quidam asserunt ab Asurim filio Abraæ ex Cethura. Vs, quæ & Auxitidis regio circa Cœlensyriam, ita ab Vs Sem pronepote appellata. Elamitæ, Persæ, ab Elam filio Sem. Hebræi cognominati sunt ab Heber, qui pronepos fuit Sem. Casdei, nunc Chaldei uocantur, & Casdei à Cased filio Nachor fratris Abraæ. Hi omnes de Sem posteritate procedunt.

DE LOCIS V

IEbus,ipsa est Hierusalẽ, ipsa est & Salem,in qua regnauit Melchisedech.
Hæc nunc ab Helio Adriano uocatur Helia. Babel in Genesi,nunc Ba/
bylon uocatur. In hoc loco cum turrem quondam homines ædificare aduer
sus cœlum adgressi essent,dispersi sunt,immissa diuinitus confusione lingua/
rum. Achar,nunc Nisibis uocatur. Reblatha,nunc Antiochia appella/
tur.Eadem est Epiphania. Sicem,hæc est & Sicema,nunc Neapolis ciui/
tas Samaritanorum. Olibama,in propheta,ciuitas in qua Edom princi/
pes habitauerunt. Ariel,in Esaia,hanc quidam esse putant Ariopolim,ab
idolo Martis Ariel,quod illic situm est.Interpretatur autẽ Ariel leo dei,Hie
rusalem figuraliter significans. Ararath,Armenia,in cuius montibus post
diluuium arca consedit, adeo ut illic aliqua indicia nunc usque permaneant.
Arbeæ,quæ Arbos in nostris codicibus corrupte legitur,in qua tres patri/
archæ sepulti sunt, Abraham, Isaac,& Iacob, & præterea Adam ipse. Hæc
est etiã Hebron,in qua Dauid regnauit. Lod,ipsa est Lydda,ipsa est Dio/
spolis. Decapolis,in euangelio,regio est habens ciuitates decem. Acca/
ron,urbs Palæstinæ. Antilibanus, loca appellantur quæ supra Libanum
montem orientalem plagam respiciunt. Effrata,ciuitas Bethlehem. Eu/
frates uero fluuius de paradiso. Mesopotamia idcirco dicitur,quod Tigri/
de & Eufrate fluminibus ambiatur. Samaria,ipsa nunc Sebaste appella/
tur. Emaus,in euangelio,nomen quondam castelli:nunc ciuitas,quæ Nico
polis dicitur. Caluaria,locus ob hanc causam dictus,quod de consuetudi/
ne in eodem loco damnati capite truncarentur. Ariopagus, curiæ apud
Athenienses nomen est,quæ à Marte nomen accepit.

DE FLVMINIBVS VEL AQVIS VI

GEon,fluuius est Æthiopiæ,de paradiso emergẽs, quem Nilum usitato
nomine appellant. Phison,fluuius Indiæ:idem quoq; à paradiso flu/
ens:hunc alij Gangen uocant. Siloë,fons est in Hierusalem,de radice mon
tis Sion bulliens,qui non semper,sed in certis horis diebusq; emanat per an
tra saxaq; decurrens. Iordanis,ideo dictus est,quod duo fontes in unum
confluant,quorum alter dicitur Ior,alter Dan appellatur. Mare Galileæ,
idem & mare Tiberiadis,idem & stagnum Genesar, idem & lacus Genesa/
reth. Mare Salinarum,hoc uocatur & mare mortuum,uel Asphalti, id est
bituminis,ab Hiericho haud longe abest. Bethsaida,piscina in Hierusalẽ,
in quam & ægri deferebantur: ideo & Probatica,id est pecualis appellatur,
quod hostias in ea quondam sacerdotes lauabant.

DE MENSIBVS VII

NIsan,in libro Esdræ,mensis quem dicunt Martium, quiq; in scripturis
appellatur mensis primus. Elul,in Machabæorum libro,Augustus,
qui apud nos mensis sextus uocatur. Casleu,in Zacharia propheta,No/
uember,qui est nonus. Tebeth,in libro Hester,Decẽber,qui est decimus.

Sabath, in Zacharia proph. Ianuarius, qui apud nos undecimus. Adar, in libro Esdræ, Februarius, qui apud nos duodecimus. Quod si etiam reliqua Hebræa mensiū uocabula, quæ in canone non reperi, scire uoles: Iar uocatur mensis secundus: Siuan tertius: Thamus quartus: Alo quintus: Tisri sextus: Mareson septimus.

DE SOLENNITATIBVS VIII

ANnus iubileus, annus quinquagesimus, qui erat annus remissiōis, quo in Israel unusquisq; rei suæ uenditor ad ius eius etiam absq; precio reuertebatur. Pascha, transcensus, Hebræum est, non Græcum. Transcensus uero idcirco dictus est, quod Hebræi ab Ægypto in terram repromissionis transcēderunt. Certe pascha nostrum est, quod saluator ab inferis resurgens cœlorū regna transcenderit. Phase, itidem pascha est transcensus, uel transitus. Sunt qui magis transcensum, uel transitum ex hoc appellatum affirmant, quod eadem nocte dominus per Ægyptum transierit, cum Ægyptiorum primogenita cuncta percussit. Pentecoste, quinquagesima, Græcum est. Huius quinquagesimæ figuram annus iubileus gessit, quiq; nunc iterum futuræ repromissionis æternam requiem præfigurat. Scenopegia, cum tabernacula à Iudæis figuntur ob memoriam tabernaculorum. Σκλωὴ enim Græce tabernaculum dicitur. Hæc Iudæorum solennitas Septembri mense celebratur. Encænia, nouæ ædificationis obseruatio uel dedicatio. Καινὸμ namq; in Græca lingua nouū significat. Ergo in hac solēnitate, Iudæi Octobri mēse dedicationis templi colebāt diem. Epiphania, Græcum est, quod significat apparitio, uel ostensio: siue quod eadē die dominus & saluator noster in baptismo suo populis fuerit ostēsus: siue quod stella Magis: siue quod primo signo domini aqua in uinum uersa tūc apparuerit. Neomenia, hoc est quod apud nos Calendæ. Sed quia apud Hebræos secundum lunæ cursus menses supputātur, & μλώη Græce luna appellatur, idcirco neomenia noua luna accipi potest. Parasceue, præparatio, Græcum est. Parasceue enim sexta sabbati appellatur. Hinc uero præparatio dicit, quod à Iudæis eadem die quæ in sabbato sunt necessaria, præparentur. Sabbatum, requies, Hebræum est. Idcirco autē requies, quod in eadem die dominus ab opere, perfectis omnibus absolutisq;, requieuerit.

DE IDOLIS IX

IDola, simulacra, Græcum est. Beelphegor, quod interpretatur simulacrum ignominiæ, idolum est Moab. Hunc Latini Priapum appellant. Beel, quod interpretatur uetustas, idolum est Babylonium. Fuit uero hic idem Belus pater Nini regis Assyriorum. Adramalech, idolum Assyriorum, quod etiam Samaritæ coluerunt. Astarten, quod in Latinum sonat factura superflua, idolum Sydoniorū dicunt. Beelzebul, interpretatur uir muscarum. Diabolus, deorsum fluens, Græce uero criminator dicitur. Satan, in Latinū sonat aduersarius, siue transgressor. Syrenæ, in Esaia, dæmones, aut

nes, aūt dracones magni, cristati pariter ac uolātes, ut à quibusdam pūtatur. Vlulæ, in Esaia, ab omni translatione nomine ipso Hebræo Iim appellantur. Septuaginta tantū interpretes pro his onocentauros in translatione posuerunt. Sunt qui ululas putent aues esse nocturnas, ab ululatu uocis quem efferunt, quas uulgo cauannos dicunt. Lamia, genus monstri, ut quidā adfirmant. Pilosi, in Esaia, genera dæmonum. Hos nonnulli etiā doctissimorum incubones, uel satyros, aut quosdam syluestres homines putauerunt.

DE VESTIBVS X

Ephod, uestis sacerdotalis, quæ superindumētum uel superhumerale appellatur. Est autem uelut in caracellæ modum, sed sine cucullo. Cuius uestimenti duo sunt genera, unum lineum & simplex, quod sacerdotes habebant: aliud diuersis colorib. de auro, purpura, & bysso, hyacintho, gemmisq́ contextū, quo soli pontifices utebantur. Poderis, sacerdotalis linea corpori penitus adstricta: eademq́ talaris, unde & poderis appellata: hæc & subucula dicitur. Logion, quod & rationale, pannus exiguus, ex gemmis, auro, coloribusq́ uarijs, qui superhumerali contra pectus pontificis adnectebatur. Cidaris, pileus sacerdotalis ex bysso. Hunc Græci & nostri tiarā: quidam etiam mitram uocant. Petalum, aurea lamina in fronte pontificis, quæ dei nomē illud ineffabile tetragrammaton, quatuor literis Hebræis gerebat scriptum. Penula, in Apostolo, Latinum est. Est autem quasi lacerna descendentibus clauis. Baddim, in Daniele, uestes lineæ, quibus fœminalia, ut arbitror, significantur. Bad enim apud Hebræos linum dicitur: unde & in quibusdam locis legitur, Ephod bad: hoc est, ephod lineum: non autem Ephod barud, ut quidā corrupte legunt. Diplois, in Regum libris, sagum, uel chlamys, ἀπὸ τοῦ διπλόω, quod duplicetur: & omne indumentum quo dupliciter ambimur, diplois appellari potest. Melotæ, in Regū libro, pellis simplex, qua monachi Ægyptij etiā nunc utuntur, ex uno latere dependens. Theristrum, in Genesi, apud Arabes, genus pallij muliebris. Periscelides, in Esaia, ut quidam dicunt, apud fœminas crurum ornamenta.

DE AVIBVS VEL VOLATILIBVS XI

Pelicanus, auis parua, quæ solitudine delectatur. Est & aliud pelicanorum genus in Nilo, pene cygnis simile, nisi quod paulo maiores sunt. Quidam ita & onocrotalos uocant. Nycticorax, noctua: multi bubonem esse contendunt. Sunt etiam qui adserunt esse orientalem auem, quæ nocturnus coruus appelletur. Ibis, in Pentateucho, auis Ægyptia obscœnitate oris immunda, quo aluum purgare consueuit. Herodius, in Psalmo, ardea à quibusdam putatur. Larus, in Pentateucho, gauiam significat. Cœnomyia, non musca canina, ut quidam putant, in Psalmo, accipienda est, sed musca omnimoda: & ideo non per y Græcam literam, sed per diphthongon œ scribi debet. Ciniphes, culicum genus est aculeis permolestum.

DE BESTIIS VEL REPTILIBVS XII

RHinoceron, fera terribilis, gemina in naribus gestans cornua. Monoceron, in Psalmo, unicornis appellatur. Tragelaphus, in Deuterono. platoceros, id est cornibus latis. Erinacij, chirogrilli nũcupantur, propè magnitudine mediocrium cuniculorum, de cauernis petrarum procedentes gregatim: in eremo quæ est contra mare mortuum, depascuntur. Hericij, qui & echini dicuntur: ita spinoso defenduntur tegmine, ut nec contingi quidem possint. Bruchus, in Psalmo, locustæ, quæ nondum uolant, quam uulgo olbam uocant.

DE PONDERIBVS XIII

TAlentum, est pondo LXII, quod faciunt LXXX libræ Atticæ. Mina, est libra una, & semuncia. Talentum habet minas LX. Mna Græce, Latine mina dicitur. Dragma habet scrupula tria. Didragma, dragmæ duæ sunt. Vnde miror quomodo in libro Hebraicarum quæstionum semuncia scribatur. Stater, est nummus habens (ut quidam affirmant) unciam unam: id est, aureos sex: ut alij putant, tres. In euangelio enim pro duobus didragmis stater datur. Sicel, qui in Latina lingua corrupte siclus dicitur: in quæstionibus suprascriptis indicatur: unciæ pondus habet: ut alibi scriptum reperi, scrupula decem: quod & ipse arbitror. Nam siclus ipse, uel sicel, de propinquitate ponderis quasi sicilicus sonat. Obolus, est scrupulũ dimidium, quod facit siliquas tres: in Ezechiele. Siclus autem XX obolos habet.

DE MENSVRIS XIIII

COrus, est modij XXX. Batus, amphora una: id est, modij tres. Cadus, Græca amphora est, habet urnas tres. Ephi, siue opha, modij tres. Ephi idem mensuræ habet in aridis, quod in liquidis batus. Metreta una, ut quidã dicunt, habet sextarios centum. Mensura autem Græce μέτρον dicitur, unde metreta appellatur. Notandum uero, quod mensura Hebræum nomen est. Artabæ, in Esaia, Ægyptiorum mensuræ, quæ tres faciunt modios X. Sata, idẽ sunt quod ephi, id est modij tres. Gomor, mensura est Attica, habens (ut quidam opinantur) chœnices tres, id est sextarios XII. Alij gomor dicunt paulò minus à sextarijs quinq;: quod etiam ipse sequor, eo quod gomor sit decima pars ephi. Nebel, quidam putant modios tres. Sextarius, est dimidium cotylæ in liquidi specie. Cotyla, hemina est: in Ezechiele, Decem, inquit, cotylæ sunt gomor.

DE GRAECIS NOMINIBVS XV

ACcipe nunc cæterorum nominum significationes, quæ ecclesiæ ore celebrata in sermonem nostrum conuertuntur ex Græco. Theos, deus. Theos autem, ut quorundam opinio habet, ἀπὸ τοῦ θεάομαι: id est, à spectando, id est omnia prospiciendo. Homousion, unius substantiæ, Homœusion, similis substantiæ. Christus, unctus. Paracletus, consolator, siue aduocatus. Hagios, sanctus. Angelus, nuncius. Thronus, sedes

uel solium. Apostolus, missus: ideo quod à domino ad euangelizandum missi sunt. Propheta, prædictor. Martyres, testes. Episcopus, superinspector: & ideo propheta ait, Speculatorem te posui domus Israel. Presbyter, senior. Diaconus, minister. Clerus, sors. Ecclesia, uocatio uel collectio. Catholica, uniuersalis: ἀπὸ τοῦ καθ' ὅλον, quod est secundum totum. Synagoga, conuentus, uel congregatio. Ethnicus, gentilis. Hypocrita, simulator. Hæresis, secta. Monachus, solitarius. Eremus, desertũ. Parœcia, adiacens domus scilicet dei. Diœcesis, gubernatio: & hoc non secundum proprietatem & potestatem uerbi, sed secundum effectum. Laicus, popularis: ἀπὸ τοῦ λαοῦ, hoc est, à populo. Catechuminus, instructus, siue audiens. Neophytus, nouella plantatio. Baptisterium, tinctorium. Holocaustum, totum combustũ: ideo quia integra hostia igni tradita consumebatur. Chrisma, unctio. Eucharistia, gratia. Symbolũ, collatio, aut pactum, uel complacitum quod sit homini cum deo. Hymnus, carmen in laudem dei. Antiphona, uox reciproca. Pentateuchus, quinq; uolumina: id est, Moysi libri quinq;: de quibus dicit Apostolus, quinq; uerbis uelle se in ecclesia loqui. Exodus, exitus, uel egressus: scilicet populi Israel. Deuteronomium, secunda lex: in quo est euangelicæ legis præfiguratio. Paralipomenon, prætermissorum, uel reliquorum: id est, quod historiæ inibi contineantur, quę in Regum libris prætermissæ sunt. Euangelium, bona annunciatio, siue bonum nuncium. Apocalypsis, reuelatio. Gazophylacium, diuitiarum custodia, compositum de lingua Persica & Græca. Synodus, comitia, uel cœtus. Canon, regula. Teuchos, uolumen. Apocrypha, recondita, uel occulta. Hexapla, sexcuplicia. Apologia, excusatio: unde apologeticus appellatur: uel sicut quibusdam uidetur, purgatio, seu defensio. Anagoge, superior sensus. Tropologia, moralis intelligentia. Parabola, similitudo. Anacephaleosis, recapitulatio.

Habes opusculum fili mi charissime, in omne ferè scripturarum corpus quasi quoddam intelligentiæ seminarium, quo in duobus uoluminibus non parum, ut arbitror, instructionis ad edocendum te, ex rebus uarijs necessarijsq; congessi.

SECVNDI LIBRI INSTRVCTIONVM EVCHERII FINIS

DES. ERASMVS ROTERODAMVS ALARDO AMSTELREDAMO DOCTISSIMO liberalium artium professori, S. D.

LIBELLVS quem misisti, cùm suis dotibus undiq; mirum in modum placuerit, tum hoc placuit impẽsius, quod olim puero mihi & lectitatum esse, & placuisse memini. Si quid meo suffragio tribuis, nihil uideo profectum à nostræ religionis hominibus, qui eloquentiæ quoq; gloria floruerint, quod cum huius phrasi sit conferendum. Vt nusquam non præstat egregium artificem, siue spectes ordinem, siue transitus subinde nouos, siue non uulgarẽ ingressum, ueluti limen argumentationis. Nullam suasorij generis partem non tractat. Nusquam desidet in locis cõmunibus. Magis urget & instat argumẽtis, mire pungit epiphonematis: delectat iuxta ac mouet sententijs. Quodq; magis etiam mirandum est, sic Isocratis schematibus modulata, structa, picturataq; est oratio, ut nusquã frigeat, aut ineptiat. Sic arguta, ut interim neruosa: sic elaborata, ut tamẽ dilucida: sic noua, sed ut tædio careat affectationis: sic festiua, ut nihilo secius grauis ac seria: sic rhetorica, ut γνησίως tamen Christiana. Deniq; sic acris ac uehemens, ut sui tamen ubiq; similis, pari intentione ad extremum usq; calcem properans, sani uidelicet uegetiq; ingenij argumẽtum. Gennadius dum huic stylum tribuit scholasticum, ni fallor, plusculum in eo desiderauit arcanarum literarum. Cæterum libellũ hunc à Rodolpho Agricola uersum non esse, uel stylus ipse satis arguit, præsertim cum quædam sint schemata, quæ ne possint quidem ad Græcam orationẽ respondere. Gennadius indicat esse Eucherij Lugdunensis ecclesiæ episcopi. Moxq; huius meminit epistolæ, quam scripserit ad Valerianum propinquũ suum De contemptu mundi, deq; relinquendo studio prophanæ philosophiæ. Atq; utinã reliqua huius extarent, uel is liber, quo carptim obscura quæq; diuinorum uoluminũ capitula explanauit: uel is, quo prolixa Cassiani opuscula contraxit in compẽdium. Sed quid unius aut alterius iacturam libri deploramus? Vix à lachrymis tempero, quoties ueterum scriptorum catalogos legens, uideo quas opes amiserimus. Auget ægritudinem, quoties subit, pro qualibus amissis qualia nunc uulgò legamus. Proinde studium istud tuum Alarde charissime nõ possum non exosculari, quod eruendis in lucem ueterum monimẽtis impendis, præsertim siqua sunt eiusmodi, ut cum uera pietate ueram eruditionem eloquentiamq; coniunxerint. Vtinam rem pulcherrimã conantem, magnatum fauor adiutet. Tametsi audio uenerabilem uirum Menardum Mannium, cognatum tuum, abbatem Edmondanum ut in cæteris omnibus, ita hac quoq; in parte priscorum præsulum exempla referre. Iam hoc tibi peculiariter etiã debet Gallia, quod Hilario, Ausonio, Paulinoq; suis, hoc quoq; decus possit adijcere. Siquidẽ ipse autor satis testatur sibi cum Paulino patriam fuisse communem. Bene uale, ac tui similis esse perge. Louanij.

CLARI IVXTA AC DISERTI VIRI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI AD VALERIAnum cognatum ſuum Epiſtola Paranetica, ab amore mundi, ſtudioq́ prophanæ philoſophiæ, ad ueræ pietatis, ueræq́ ſapientiæ ſtudium prouocans.



BENE alligātūr uinculo ſanguinis, qui uinculo conſociantur amoris. Sic & nobis quoq́ admodū gloriari ꝑ hoc ipſo dei munere licet, quos perinde charitas, ut propinquitas nectit, coarctantq́ in unum affectum duæ neceſſitudines, quarū alteram à parentibus carnis noſtræ accepimus, alteram à nobis ſumpſimus. Geminum hoc uinculum, quo (confœderantibus nos hinc genere, hinc dilectione) connectimur, hæc me paulò latius ad te *exarare compulit*, ut cōmendarem animo tuo cauſam animæ *tuæ, ueramq́ illam beatitudinem, & æternarū rerum capacem*, opus noſtræ *profeſſionis aſſererem. Nam cū te æque ac me diligam*, neceſſe eſt ut ſummū bonum aſſequi te tāquam me alterum cupiam. Et quidem à profeſſione uitæ ſanctæ pio etiā non abhorres ingenio, qui ea quæ ſacræ inſtitutiones docent, præueniſti in plurimis præcoqua morum felicitate, ut mihi uidearis quædam religionis officia, quaſi per prouidā occupaſſe naturam, domini ac dei noſtri iam in hoc erga te indulgentia: cuius gratia eſt, quod diuina in te doctrina bona ſua ꝑ parte inuenire poteſt, pro parte conferre. Quamuis autem in maximos ſeculi apices patre ſoceroq́ elatus, illuſtribus ex utroq́ titulis ambiaris, ego tamen longe ſuperioris in te honoris faſtigia concupiſco: teq́ non ad terrenarum, ſed ad cœleſtiū, nec ad ſeculi, ſed ad ſeculorū dignitatē uoco. Certa quippe & inobliterabilis hæc gloria eſt, æternitate gloriari. Loquar ergo apud te non ſapientiam huius ſeculi, ſed illam ſapientiam arcanam, abſconditā, quam prædeſtinauit deus ante ſecula in gloriam noſtram. Loquar tecum multo ſtudio tui, mei admodum parum prouidus, qui plus in te quid uelim, quàm in me quid poſſim, conſideraui.

Primū inſtituti atq́ in lucē editi hominis officiū eſt, mi Valeriane chariſſime, propriū cognoſcere autorē, cognitūq́ ſuſcipere: uitamq́, id eſt diuinum donum, in diuinū officiū cultumq́ conferre: ut quod dei munere ſumpſit, dei deuotione cōſummetur: atq́ id quod ab eodē indignus cepit, eidē ſubiectus impendat. Sana qꝑpe opinione agimur, ut eductos nos ſicut ab ipſo, ita ipſi arbitremur. Vnde ille planeq́ magnifice ꝑſpicit creatoris noſtri in effingēdo homine ſententiā, quiſquis ita intelligit, quod nos & ipſe, & ſibi fecit. Optimū deinde eſt curam principalē animæ impēdere, ut quæ utilitate prior eſt, non ſit cōſideratione poſterior. Primas apud nos curas, quæ prima habētur, obtineant, ſūmasq́ ſibi ſolicitudinis parteis ſalus, quæ ſūma eſt, uēdicet. Hæc nos

Primum hominis nati officium, creatorem cognoſcere.

Secundū, animæ curam habere

occupet in præsidium ac tutelam sui,iam non planè prima,sed sola. Omnia uincat eo studio,quo pręcedit omnia. Summam debemus obseruantiã deo, animæ deinde maximã:atq; ita tamen istud est,ut cum utrunq; præcipuum sit, obseruari alterum sine altero nequaquã posse uideatur. Ita quisquis deo satisfecerit,animæ necesse est iam consuluerit: & rursus,qui animæ consuluerit,necesse est deo iam satisfecerit. Sic de summo apud nos utroq; res transigitur utili coacta compendio,ut si quis unum sedulò impleuerit,utrunq; contulerit:quia ineffabili benignitate diuina,ipsa utilitas fit dei sacrificium. Multus corpori curationum usus impenditur:multum huic operæ in spem medelæ datur. Nunquid medicinam anima non meretur? Et si uaria corpori auxilia studio tuendæ sanitatis adhibentur,fas non est tamen,animam uelut exclusam iacere,& quasi neglectam morbis suis intabescere, atq; unam à proprijs remedijs exulare,imò uere plura animæ conferenda sunt,si corpori tanta præstantur. Nam si recte quidam carnem hanc famulam, animam uero dominam esse dixerunt,non oportet posteriore loco nos dominam ponere, ac famulam iniquo iure præferre. Merito poscit studia maiora pars melior: quia omni nobis cura illuc respiciẽdum est,ubi substantiæ nostræ abundantior dignitas constitit. Congruum non est in hoc honore nostræ solicitudinis eam nos subijcere peiori. Caro siquidem procliuis in uitia,ad terram nos tanquam in originem suam reuocat: hæc uero ueniẽs à patre luminum,sicut ferri ignibus mos est, in superiora nititur. Hæc in nobis imago dei, hoc preciosum est diuini muneris pignus,Hanc omni ope,hanc summis uirib. tueamur:hanc si regimus & conseruamus,dei depositum tuemur. Quis extruendi,nisi cum fundamenta ieceris, locus est? Superædificare cæteras utilitates destinanti salus fundamentum est. Cęterum quomodo quispiam sequentia addat,si nec prima possederit? Vnde succedentium augebitur incrementis,si anteriorum deficiatur exordijs? Quomodo interesse putet beatitudini, cum desit etiam saluti? Indigens uitæ,unde abundare felici uita potest? Aut quid prodest,si adijciat cibis,non habens unde consulẽdum est animæ? de qua & dominus noster IESVS CHRISTVS ait: Quid enim prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiatur? Proinde non potest ulla compendij causa consistere, si constet animæ interuenire dispendium. Vbi salutis damnum est, illic utiq; iam lucrum nullum est. Quò enim lucrum capiatur,nisi capiendi sedes inconcussa seruetur? Atq; idcirco ad illud lucrum uerum,ad illum sanctum expetendumq; commercium,dum tempus est,properemus. Párere possunt æternã uitam pauci dies, qui tamen dies etiamsi illæsam atq; incontaminatã uitæ beatitudinem possiderent,tamẽ quia pauci essent,paruo æstimãdi erant. Nihil enim est magnũ re,quod paruũ tempore:nec longis dilatatur gaudijs quicquid arcto fine concluditur. Breuem utilitatẽ seculi istius breuia habẽt cõmoda. Recte ergo etiã bono breuis uitæ,perpetuæ uitæ cõmodum pręponendũ uideretur:quia illa

esset

esset temporalis, hæc æterna felicitas: quia fragile esset breuib. bonis perfrui, tutum gaudere perpetuis. Nunc uero æterna uita beatissima est. Nam quid felicius æterna uita dici potest? Hæc uero breuis ita breuissima, ut ærumnosissima, quæ undiq; circũstantium dolorum urgetur incommodis, & deficientibus fatigatur malis, dum accidentium iactatur iniurijs. Quid enim tam infidum, tam uariũ, tam calamitosum, q̃ uitæ istius cursus est? quæ plena laboris est, plena solicitudinis, plena curarum, ipsorum quoq; plena discriminũ, & per ancipites distracta casus, fit corporis uexationibus inquieta, animi angoribus anxia, periculorũ turbinibus incerta. Quæ utiq; utilitas, quæ ratio, non expeti bona æterna, sequi temporaria, etiam mala? Nonne uides, ut etiam in hac uita quisq; prouidus, locum aut agrũ in quo diutius se commoraturũ putat, copiosis in usum sarciat impendijs: & ubi paruo quis erit tempore, parua prouidet: ubi maiore, maiora procurat. Nobis quoq;, quia in præsentiarum breuissimum angustijs coarctãtibus tempus est, in futuro secula erunt, competẽtibus copijs uitam exaugeamus æternam, cõpetentibus instruamus exiguam, ne prouisione peruersa impendamus breui tempori curã maximam, & maximo tempori curam breuem. Atq; haud scio ad hanc beatissimam uitam quod cõpellere nos ocyus, aut efficacius debeat, an ipsa futuræ uitæ commoda, quæ promittuntur, an præsentis uitæ incõmoda, quæ uideantur. Inde nos illa blandissime prouocãt, hinc ista uehemẽter exturbant. Proinde cum in meliorem partem etiam pessima suffragẽtur, si bonis non illicimur, malis extrudamur. Ad incitamẽtum meliorum optima deterioribus concinunt, & in eandem utilitatẽ diuersa concurrunt. Nam dum alia nos inuitant, alia fugant, in melius utraq; nos solicitant. Nam si hominũ quispiam clarus ac locuples in locum liberorũ te adoptaturus acciret, ires per oppositas rerũ difficultates, & per quamuis longi recessus iter uectatus accurreres. Deus uniuersitatis rerumq́; dominus te in adoptionem uocat, illud (si uelis) tibi blandum filij nomen impartiens, quo deum nostrũ, unicum suum nuncupat, & non accensus raperis? non properus urgeris, ne conditionem tantam celeri occursu mors festina præripiat? Atq; ad hanc obtinendã tu non inuias terræ solitudines, nec lõginqui maris incerta penetrabis. Cum uolueris, hæc adoptio tui tecum est. Nunquid nam segnes ac desides nos res ista habebit, idcirco quia tam prompta quàm maxima? quo durius cõditionem hanc dissimulatores experientur. Tanto enim nolentibus perniciosior, quanto est uolentib. promptior. Certe cupiditas uitæ est istud, quod nos delectatione rei præsentis innexuit. Ergo amantes uitam, hortamur ad uitam. Vera ratio est persuadendi, cum id poscitur, ut impetremus à uobis quod cõcupiscitis. Pro uita quam diligitis, legatione apud uos fungimur: & hanc quam omnes exiguam amatis, insinuamus ut ametis æternam. Quam quo pacto amemus nescio, si non hanc quam amamus, esse quàm speciosissimã cupimus. Itaq; istud quod & cum arctũ sit placet, placeat magis si potest esse perpetuũ: & quod apud nos precium

Vita ista nihil calamitosius

precium habet cum finem habeat, sit nobis supra precium si potest esse sine fine. Rectum sit proinde minorem uitam prospexisse maiori, ut ad alteram nobis, sed per hanc transitus cōstruatur: quam utiq; non conuenit sociæ com modis obliquis interuenire consilijs. Non se opponat ut obsit, ut noceat. Ab surdum quippe atq; contrarium est, ut uitæ detrimentū adferat amor uitæ. Igitur siue uitam hanc contemnendā putas, siue complectendā, in utroq; fa cilis negocij mea causa est. Nam si spernit, una est spernendi ratio, ut melior appetatur. Et si diligit, tanto magis est diligenda quæ maior est. Ego tamen desiderauerim, ut hanc pro experimentis sui habeas, ut molestissimā atq; in certis fatigationib. inquietā (sicuti est) iudices, eamq; cum occupationib. sper nas ac respuas. Abrumpatur illa interminabilis seculariū negociorū catena, & ille de necessitatib. multis unus per totam uitam labor. Dirumpamus ina nium curarum uincula, quorum succedentib. sibi nexibus implicatis, in quib. semper occupatio nostra quasi incipit. Remoueātur illæ tam uacuæ, q; cohæ rentes sibi causæ, in quibus quoad uiuitur, studium mortaliū, dum subinde negocijs inchoatur, nunquam finitur. Quarum rerum infatigabilis intentio iam breuem & arctam per se uitam, hāc etiam arctissimā reddidit. Per quæ etiam nunc uana gaudia, nunc acerbi mœrores, nunc anxia uota, nunc suspe cti metus ueniunt. Abijciantur postremo illa omnia, quæ præsentē hanc ui tam faciunt breuem occupationi, longam dolori. Repudiemus mūdi parum fidi uitam utrobiq; suspectam, apud quam perinde alta atq; humilia parum tuta sunt. Obterūtur humilitate depressa, nutant celsa fastigio. Pone quē uo lueris statū, non apud infima istic, nō apud summa requiescitur: grauem tur binis sortem utraq; conditio non effugit. Subiacet contumeliæ minor, maior inuidiæ. Duæ res præcipue sunt, ut arbitror, quæ maxime homines in nego cijs seculi uinctos tenēt, & eblanditis sensibus captos, illecebroso amore con stringunt: opum uoluptas, & honorū dignitas: quarum prior non uoluptas, sed egestas: sequens, non dignitas, sed uanitas nuncupāda est. Hęc utraq; al ternis nodis irretitis gressum impedit, fallax complexa collegiū: hæc pestife re pectoribus humanis blanda desiderijs uitia inspirant, defatigatasq; men tes mortalium facili iucunditate solicitant. Nam quid istis opibus (ut de his primum dicam) perniciosius, quæ raro, nisi cum iniustitia congeruntur? Tali administratore res ista capitur, tali custode seruatur. Radix enim (inquit) om nium malorū cupiditas. Adeò quædā societas est penè etiam nominis, dua bus his rebus, uitijs, & diuitijs. Nunquid nam non opes istæ quædā materia contumeliarū sunt? Vnde etiam quidam nostrorū ait: Quid enim aliud sunt diuitiæ, nisi pignora iniuriæ? Nunquid nō uelut exposita improbis præmia, factiosorū oculos animosq; prouocant, proscriptionesq; ipsas quodāmodo ostentant & inuitant? Sed fac ut ista non accidant, nunquid quò post nos er rantes, fugientesq; cōmigrent, certi esse possumus? Thesaurizat, inqt, & igno rat cui cōgreget ea. Sed fac ut ueniat hæres ex uoto, nūquid nō sæpe censum

hæres

Duo maxime homines hic uinctos tenēt.

1. Timot. 6

Diuitiæ, pignora iniuriæ

Psal. 38

hæres intercipit,opesq́ cógestas aut filius male educatus,aut gener male electus absumit? Quid diuitiæ istæ in se uoluptatis habent,quarũ est & misera possessio,& incerta transmissio? Quò deuius ac præceps hominũ amor rapeeris? Scis ea quæ tibi obueniunt diligere,& ipsum te diligere nescis? Foris est quod amas,extra te est quod concupiscis. Reuertere potius in te,ut sis tibi tu charior,quàm tua. Certe si ad te quispiã rerum haud ignarus accedat, malis ipsum te amet,q̃ ista quæ tecũ sunt:idq́ eliges,ut ille uitæ tuæ potius,quàm opibus tuis affectũ suum conferat. Vis hunc homini fidem seruare,non reb. Quod tibi tribuere uelis aliũ,ipse hoc tibi, qui es tibi fidissimus,tribue. Nos nos potius amemus q̃ nostra. Et hęc quidem aduersus facultates dicta sint. In honorib.uero huius mundi,ut cætera taceã,quę æstimari dignitas potest rerum,cum ad hãc promiscue cum bonis mali ambitione cõscendant,& non unius meriti uiros unus honor ambiat,dignosq́ & indignos non iam discernat dignitas,sed confundat? Ita quæ meliores deteriorib. præferre debebat, æquare cœpit:nouoq́ modo optimi ac pessimi uiri nusquã ferè minus discrimen est,quàm in honore. Nónne honor maior est,huiusmodi honore inhonorum esse malle,ac suis magis moribus, quàm promiscuis honoribus æstimari? Atq; hæc ipsa (utcunq; se habent) quàm transuolantia, quàm caduca sunt? Vidimus nuper uiros honore conspicuos, celsarum dignitatũ insedisse fastigijs,& diffuso usquequaq; censu per orbem patrimonia tetẽdisse. Cupiditates successibus uicerant, rebus uota transcẽderant. Sed priuatas tantum felicitates reuoluo. Reges ipsi magno sublimes imperio,gemmisq́ fulserunt horum tegmina,mirum dictu,textis irradiabãt metallis,diadema distinctis intermicabat arborib.splendebat instructa palatinis aula cultibus,auratisq́ trabibus tecta rutilabant:eorum uolũtates iura hominũ, eorum uerba leges appellabantur. Quis supra hominum uerticem potest temporaria felicitate consurgere? Ecce eorum ille ambitus nusquam est,affluentissimę quoq; opes abierunt,transierunt ipsi tantarum opum domini. Recentium inclytorumq́ regnorũ apud nos iam quædã fabula est. Omnia illa quæ hic erant magna, modò iam nulla sunt. Nihil,ut puto,imò,ut certò scio,ex illis opibus,honoribus,regnis secum abstulerunt,nisi (siqua in his fuit) fidei pietatisq́ substantiam. Sola hæc illos,cæterarum rerum egenos,sola prosequitur: hæc abeũtes inseparabilis,& quasi fida comitatur. Illa nunc ope aluntur,in illis nunc diuitijs,in illis tantum honoribus acquiescunt. Hæc bona nunc in beneficijs habent. Quapropter si honoribus opibusq́ capimur,ueris opibus, ueris honoribus excitemur. Optimus quisq; in cœlestes honores,in cœlestes opes,terrenos honores,terrenas opes transfert:illuc utiq;,ubi bonorum ac malorũ summa & inconfusa discretio est: ubi quod semel adipiscimur, semper tenemus: ubi si locus obtinẽdi ullus fuerit,amittendi nullus erit. Sed quando de fragili temporaliũ bonorũ possessione diximus, aliquid etiam nobis de ipsius breuis uitæ conditione dicendum est, Quid istuc quæso,quid istuc est? Nihil ita quotidię

De honoribus mundi

Homo breuissimæ uitæ

quotidie homines ut mortem uident:nihil ita obliuiscuntur ut mortem. Agitur humanum genus rapida in occasum mortalitate, omnisq; posteritas succedentium seculorum lege decurrit. Patres nostri præterierũt,nos abibimus, posteri sequentur:uelut ex alto undarum iactus,aliis atq; aliis superuenientibus in littoris extrema franguntur, ita in terminũ mortis succiduæ alliduntur ætates. Hæc nos consideratio diebus ac noctibus,hæc nos cõditionis nostræ memoria circumstrepat. Debitum uitæ finem iam iamq; affuturum putemus,qui nobis tanto magis appropinquabit,quanto magis distulit. Vicinum speremus diem,longinquũ esse nescimus. Præparemus,ut scriptum est, ad exitum uias nostras. Si cogitamus ista,si ista meditamur,nõ timebimus mortem,timendo. Beati qui uos iam reconciliastis CHRISTO. Non magnus mortis istos timor infestat,qui iam dissolui optãt,& esse cum CHRISTO, qui summum uitæ istius diem iam parati, iam quieti in silentio expectant. Non enim multum refert quãdo finiant temporariam,qui transeunt in æternam. Ad negligentiam uitæ non nos negligẽtium turba persuadeat; nec ad damnum propriæ salutis alienis ducamur errorib. Quid nobis in illo dei iudicio proderit multitudo, ubi singuli iudicabũtur, ubi sola examinatio meritorũ,actus quenq;,non populus absoluent? Cessent cessent solatia malesuada discriminis. Nimirum præstat uitam propagasse cum paucioribus, quàm perdidisse cum pluribus. Atq; adeo non nos ad incuriam peccatorum sola peccãtium numerositas pertrahat,neq; hoc quod sibi alij parum consulunt,quædam nobis efficiatur autoritas. Obsecro te,delictũ alienum semper ut opprobrium respice,nunquã ut exemplum. Quod si libet oculos ad exempla conferre, in illam potius intende partem,qua licet pauciores sint, tamen sunt in sua parte copiosi:illam inquã respice,in qua sunt qui sapienter intelligunt quapropter nati sint,& utiq; dumad uiuunt,uitæ suæ causam agũt,qui utili opere insignes,atq; egregia uirtute præstantes,præsentem uitam excolunt,futuram serunt. Nec solum copiosa horum exempla,uerumetiã magna non desunt. Nam quæ mundi nobilitas,qui honores,quæ dignitas, quæ sapientia,quæ facũdia, quæ literæ non se iam ad hanc cœlestis regni militiam contulerunt? Quæ sublimitas non iam se ad istud leue cœleste iugũ cum deditione submittit? Et sanè supra omnem errorem atq; ignorantiam est dissimulare quenq; negocium salutis suæ. Possem etiam, nisi longum esset, multos ex innumeris nominatim retexere, quanti in seculo illustrium uirorum hanc arctiorem diuini cultus obseruantiam,uitamq; sectati sunt:quorum tamen exempla, ne cuncta penitus omittam, cursim pauca subnectam. Clemens uetusta prosapia senatorum, atq; etiam ex stirpe Cæsarum, omni scientia refertus,omniumq; liberalium artium peritissimus, ad hanc iustorum uiam transijt,itaq; etiam in ea excellenter effloruit,ut principi quoq; apostolorum successor extiterit. Gregorius è Ponto sacerdos,philosophia primus apud mundũ & eloquentia præstans,sed postea maior præstantiorq; uirtutibus

Mors non timenda

Clemens

Gregorius

tibus,adeo ut,ſicut de hoc hiſtoriæ noſtræ fides loquitur,inter reliqua admirabilium ſigna meritorũ,precibus huius atq; orationibus mons referatur ſeceſſiſſe,lacus exaruiſſe. Alius item ſanctus, atq; eiuſdẽ nominis Gregorius, æque literis ac philoſophiæ deditus,cœleſtem hanc philoſophiam concupiuit. Cuius etiam quod ad rem pertinet,nequaquam ſilẽdum uidetur, quod Baſilium ſtudijs prius ſecularibus familiarem ſibi, & rhetorices adhuc profeſſioni uacantem,auditoriũ eius ingreſſus, manu hũc apprehenſum ſchola abduxit,dicens: Omitte iſta,& da ſaluti operam.Et poſtea uterq; memorabilis ſacerdos,reliquit uterq; in eccleſiæ noſtræ libris ingenij ſui præclara monimenta.Paulinus quoq; Nolanus epiſcopus,peculiare & beatũ Galliæ noſtræ exemplum,ingenti quondã diuitiarum cenſu,uberrimo eloquẽtiæ fonte,ita in ſententiam noſtrã propoſitumq; migrauit,ut etiam cunctas admodum mundi partes eloquio,operibusq; reſperſerit.Hilarius nuper,& in Italia nunc antiſtes Petronius,ambo ex illa pleniſſima,ut aiunt,mundanæ poteſtatis ſede,unus in religionis,alius in ſacerdotij nomen aſcendit.Et quãdo clariſſimos facundia, Firmianũ,Minutium, Cyprianum,Hilarium,Ioannẽ, Ambroſium,ex illo uolumine numeroſitatis euoluam ? Dixerãt credo,& hi ſibi,quod quidam noſtrorũ ait,cum ſe à ſeculo in hãc beatiorem uitam hoc uelut ſtimulo concitaret:dixerant credo,Quid hoc eſt ? Surgunt indocti,& cœlum rapiunt,& nos cum doctrinis noſtris ecce ubi in carne uolutamur & ſanguine ? Dixerant iſtud,& idcirco ipſi poſtea uim intulerũt regno.Prolatis ex parte quos maior fidei noſtræ feruor habuit, ſeculi philoſophia, eloquentia,honoribusq; perfunctos,ad ipſos iam reges,& illud caput mũdi ueniam. Neq; nunc commemorãdos putabo omnes ſuperiores illos religioni deuotos,& regiæ dignitatis uiros: ſolũ mihi inſignes, Dauid pietate, Ioſias fide,Ezechias humilitate,ex memoria uenerãdorum promentur annalium. Nonnulli quoq; ex recentioribus extiterũt,atq; hac noſtra tẽpeſtate principes,qui ad agnitionẽ ueri regis propius acceſſerunt,ſummumq; illum dominorum dominũ ſumma cordis contritione cõfeſſi ſunt,attentam diuinæ maieſtati reuerentiam,etiam uterq; ſexus ex aula exhibuit.Hi potius idonei,ut arbitror,ad æmulandum proponantur, quorum exempla cum habeant de futuris ſalutem,habent de præſentibus autoritatem.Cernis ut etiã dies atq; anni,& cuncta hæc ornamẽta cœli,dei uerbũ mandatumq; infatigabili obſeruatione cõſeruent,præceptorumq; eius cuſtodiant irremiſſa lege famulatum. Nũquid nos,quorum iſta uſibus fabricata ſunt,quorum luminibus ingeſta ſunt, cœleſtium mandatorũ non neſcij, nec diuinæ uoluntatis ignari, præceptum dei ſurda aure tranſibimus? Et his quidem prædictis mũdi adminiculis,quid in ſecula obſeruarẽt,ſemel iuſſum eſt:nobis uero tot uoluminibus diuinæ legis iterantur imperia.ad hæc ſaltem,quod homini ipſi attributum eſt, uoluntati autoris parere, præceptisq; eius uacare diſcat: quia omne iſtud cum præbet miniſteriũ, præſtat exemplum. Et tamen ſiqui ad

Baſilius *Paulinus* *Hilarius* *Petronius*

CC autorem

autorem suum redire nolũt,num idcirco dominum suũ uitare possint? Aut quò suppetit ut fugiant,qui à deo se auertunt? Audiant sancte Dauid, au/
Psal.138 diant te dicentem: Quò ibo à spiritu tuo,& à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum,tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo,& habitauero in extremis maris,etiam ibi manus tua deducet me,& tenebit me dextera tua. Ergo illi uelint nolint se domino uniuersitatis,& si uoluntate auferunt,iure non subtrahunt. Illi quidem affectu absunt,sed ille dominatu adest: ita quod improuidum & incõsultissimum est, errantes clausi,uiuunt extra cõsiderationem domini,& intra potestatem. Et si unusquisq; de fuga famulũ minaci indagine sectatur,eumq; declinantem se iuris sui assertor insequitur,cur nõ de semetipso cœlesti domino ius suum reddit,seruitutiq; quamprimũ se in famulatũ eius uoluntaria oblatione dedit,æquus utiq; tam sibi,quàm in se arbiter? Cur in præsentiũ rerum oblectabili defigimur aspectu? Cur ijs tantum libet incubare quæ cernimus? Nũquid luminibus istis tantũ uiuimus,aut solos in usum gestamus oculos? Viuimus quoque & auribus,ut possimus inhiare promissis. Magni nos per hanc quoq; corporis partem affectus trahũt. Quæ spondentur, quæ prædicantur,feruentibus uotis,instantibus desiderijs expectemus. Fidem promissorum fidelis ille,ille autor inculcat. Ambiamus ad optima quæ pollicetur. Quanq; si ipsis quoq; oculis bene & utiliter uti uolumus,per istos etiã in futurum cupiditate magna ex parte raptamur: si admirationẽ quam ex mũdi cõtemplatione capimus, retorqueamus in ipsum tantæ machinæ autorem: aut si cogitemus quantus in posterum splendor lucis possit luminibus occurrere,cum se nunc tantus insinuet: quàm magnifica fulgebit perpetuis forma rebus,cum sit nunc tam speciosa perituris. Non ergo oportet in deteriorem nos partem officia solicitare membrorum,cõmode potius in utranq; temperentur uitam,sicq; custodiant temporariæ usum,ut æternæ nõ abijciant ministerium. Quod si nos ista auocatio atq; amor iuuat,& ipsum sensum oblectatio solicitat,est planè hic amor summæ uoluptatis,est nõ solũ quod amari effusissime possit,sed & quod maxime debeat,iucundum,præclarum,unicum,æternũ bonum. Deus inquam noster,cui possis tam magno quàm pio igne flagrare, si in locum anteriorum cupiditatũ preciosa rursum desideria succedũt. Si te in aliquo capiebat tam magnificæ rei dignitas, nihil illo magnificẽtius: si te aliquid uelut aptum gloriæ,accõmodatumq; rapiebat nihil illo gloriosius: si ad splendida fulgentium rerum ducebaris uisu,illo nihil clarius: si ad speciosa trahebaris intuitu, illo nihil pulchrius: si in aliquo te amplecti putabas ueritatẽ,illo nihil uerius: si in quoquam suspiciendam largitatem credebas,illo nihil munificẽtius. Miraris quod purum est atq; simplex? nihil illa bonitate syncerius. Solicitaris affluentium rerum copia? nihil illa abundantia copiosius. Diligis aliquid tanq; fidum? nihil huius firmius est fide. Amas aliquid ut cõmodum? nihil commodius est huius ipsius amore.

Officia membrorum temperanda

Est

Est aliquid quod te uel seueritatis, uel iucunditatis specie trahat? nō est magnitudine illa, dignatione illa quicquam aut terribilius, aut blandius. Requiritur in aduersis benignitas, in prosperis suauitas: unicū est ex illo, aut in lætis gaudium, aut in mœstis solamen. Itaq; ratione plenissimum est, te illum, in quo habeas omnia, amare præ omnibus. Diuitiæ, & quæcunq; illa sunt quæ te nunc amœnitatibus suis obtinent, non solum intra ipsum, sed etiā ab ipso habentur. Male hactenus amor sparsus, diuinis deinceps reddatur excubijs: uaga adhuc affectibus suis, in sacros reducatur usus iam casta charitas: dilectionemq; opinionibus deuiam, cohibito errore, castigās dirige, atq; in deū amorem confer tuum: quia & quicquid nunc amas, suum est, suum inquam suum est. Est enim tantus ille, ut qui non amant eum, inique quidem, sed tamen non nisi eius quicquā amare possint. Sed tamen consideret uelim arbiter iustus, æquúmne sit diligere opus opifice neglecto, derelictoq; omnium creatore rerū, in rem huius, cupiditatibus suis passim atq; indifferēter incurrere: cum utiq; deum oportuisset illicere ad amorem sui, uel per hunc ipsum affectum suorū operum. Et nunc homo aduersus in indignorum tantum figmentorum desideria atq; officia conuertitur, animisq; incongrue dissidentibus appetitor artis, desertor artificis, cōplectitur speciem cuius nō miratur autorē. Et quid de illa tam magna multitudine dulcedinis suę diximus? Aut quid de tanta & tam ineffabilis boni suauitate, sancto ac profundo charitatis eius thesauro elocuti sumus? aut quando in quoquam de illo quisquā ualet rei ipsius fando cōsequi dignitatē? Amare ergo eum iam non uoluptariū tantū, sed etiam necessarium esse ducamus. Impium quippe est hunc nō diligere, cui rependere non queas, etiam cum dilexeris. Iniustissimum est, ut ei quæ possis tribuere nolis, cui etiam si uelis repensare non possis. Quid enim Psal. 115
retribuemus domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Quid retribuemus uel pro hoc tantū, quod per fidem homini salutē dedit, statuitq; ut quamfacillimum factu esset, per quod spem orbi terræ ac uitā mortalibus propagaret. Et ut ad ista descendam, illa aliquando externa omnia, id est nationes & regna, putásne ob aliud in ditionem ac ius cessisse Romanum, & ob aliud magnam partem generis humani in unum trāsisse populum, nisi ut facilius tanquam medicamentum per corpus unum, ita per unam gentem fides infusa penetraret, & ut capiti ingesta uelociter se per mēbra diffunderet? Alioqui non ita cucurrisset inter crebras & discrepantes ritibus linguisq; gentes, nec tam longe per nouorū semper graduum obiecta transisset. Deniq; beatus Paulus per hunc eundem populum disterminās fidem, scribit se ab Hie Rom. 15
rosolymis usq; ad Illyricum Euangelio Christi cuncta replesse. Quando autem istud inter nationes, aut multitudine innumeras, aut immanitate barbaras extitisset? Inde est quod nunc terra à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari Christū resonat, quod ad uitam omnia mundi latera cōcurrunt, dum fidem Thrax, fidē Libys, fidem Syrus, fidē receptat Hispanus. Magnū ergo

ex hoc diuinæ pietatis argumētum est, quod sub Cæsare Octauio, cū utiq; Romana possessio uerticē tenuit, tunc se deus terris dedit. Itaq; ut tua apud te proferam, cū ab ortu regni huius centesimus & octogesimusquintus ferè supra millesimū uertatur annus, quicquid uel sub illa dominatione regū uetusta, uel sub illa deinde gemina administratione consulū Rom. accessit Imperio, omnia Christi aduentui præparata, & diffundendæ fidei prouisa potest, si quis idoneus est assertor, ostendere. Nos ad propositum reuertemur.
1. Ioan. 2 Nolite, inquit diligere mundū, neq; ea quæ in mundo sunt, quia omnia hæc conspectui nostro insidiosis coloribus lenocinantur. Vis illa oculorū attributa lumini, non applicetur errori: & cum uitæ usibus pateat, nō admittat causas
1. Pet. 2 mortis. Carnis desideria, ut egregie Apostolus ait, militant aduersus animam, omnisq; illis in perniciem nostram cladem q; procinctus est, peruigilem cum insurgūt aduersus nos stationem tenent externorū planè hostium more, dum sibi tantum uirium acquirunt, quantum nobis subtrahunt. Ita ego hactenus de inextricabilibus seculi insidiantis illecebris, de honoribus opibusq; sermocinatus sum, tanquā si iucundus blandimentis suis mundus uigeret. Quicquid est illarum rerum facies, adumbratis quondam nitoribus expolita, iam obsoleuit, omnisq; fucatus splēdor intercidit. Vix iam hoc habet mundus, ut fallat. Perijt imago illa rerum ad decipiendum usq; decora. Prius nos seducere uero cogitabat fulgore, non poterat, propè iam non ualet & ipsa nos falsa ostentatione corrūpere. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Nō hunc aut ad tempus speciosa ornāt, aut in posterū mansura confirmant: nisi nosmetipsi decipimus, penè mundus decipere nos non potest. Sed quid dissimulamus ea expromere, quæ fortiora sunt? Dissipatas loquimur opes mundi, cum iam ipse mundus in finem suum uergēs, spacijs agatur extremis. Quanto istud maius & grauius est, quod iam ipse non in longum erit? Quid commemoramus attritam eius rem ac suppellectilem? Nec immerito in defectum uiribus æuo consumptis urgetur, adminiculisq; suis destituitur, cum iam in senium nutanti onere succumbat. Postrema mūdi ætas referta est malis, tanq; morbis senectus. Visa sunt uidēturq; iamdudum ista cano seculo, fames, pestilētia, uastitas, bella, terrores. Hi sunt in ultimis iam annis languores sui. Hinc sæpe illa cœli cernuntur signa, motusq; terrarū, permutatę temporū uices, monstrosæ animantiū fœcūditates: quæ omnia adhuc procedētis prodigia sunt tēporis, sed iam deficiētis. Atq; hoc nō infirmitatis nostræ uerbis, sed etiā apostolicæ autoritatis cōfirmatur
1. Cor. 10 eloquijs. Illic enim legitur: In nos fines seculorū deuenerūt. Quod cum iamdudum dictum sit, quid cunctamur, quid expectamus? Vrget nos dies ille iam non noster tantum, sed & seculi. Omnis hora illud debitæ resolutionis admonet tēpus instare, cum ancipiti periculo finis alternus, & discrimen geminum, unam omnibus mortem minatur. Incumbit mihi misero iam mūdi mortalitas, tanq; mihi non sufficiat ad terrorē mea. Quid palpamus metus

nostros

nostros? Securitati locus non est, quando terminus in nos impēdet indifferenter singulorū hinc, hinc omnium. Quo magis est in hoc, non iam dicam seculi exitu, sed uel in hoc rerum eius defectu hominum miseranda cōditio, qui sibi nec futurorū spem gaudiorum reponunt, cum iucunditate præsentiū non fruantur. Voluptatem uitæ breuioris nō capiunt, perpetuæ sperare non possunt. Bonis temporalibus non utuntur, nō utentur æternis. Hic rei parū, illic spei nihil. Dolendus prorsus atq; miserādus hominis status iste est, nisi forte faciat de acerbissima cōditione cōgruam necessitatē, nisi ob hoc ipsum ad potiora utilitatis suæ remedia se corrigat, contendatq; ad illa salubrioris uota consilij: præsertim cum ita dilacerata præsentis temporis res sit, ut qui unius futuri seculi commodum perdit, utriusque perdiderit. Dirigenda est omnis animi intentio in spem futuri: quam spem ut plenius ac manifestius cōsequatis, aperire eam etiam sub alicuius exempli cōditione non abnuam. *Omnis spes nostra in futurum dirigēda* Si cui aliquis quinq; hodie ex ære denarios offerat, quingentos uero aureos in crastinum spōdeat, optionemq; offerat, utrum æs ad præsens sumere, an aurū mallet in posterū: dubiúmne est, quin præoptet grandia illa munera cū parua mora? Tu quoq; breuis huius atq; æternæ uitæ cōditione perspecta, non eligas capere uilia, cum sperare possis preciosa. Non est tanti sumpsisse parua, quāti est expectare quę magna sunt. Quod si omne hoc fragile, quod in mundo est & uidemus & capimus, spei uero à sperando inditū nomē est, manifestum est, nequaquā in hoc seculo spem possideri, in quo his quæ intuemur & fruimur. Spes enim quæ uidetur, non est spes: nam quis quid uidet quod sperat? *Spes* Ergo quæcunq; illa spes rebus miscetur humanis, quærenda est in futurum: alioquin nec spes appellari potest, si non speratur. Itaque manifestiorem in futurum rem spei sequimur, quam spem rei in pręsentibus experimur. Ecce ea quæ nobis in ipsos oculorum admouentur obtutus, non absolute quasi oppressis uisibus intuemur: multo uero certius in ea quæ eminus offerūtur, uelut expeditis luminibus intēdimus: ita ferè euenisse de præsentibus futurisq; non est ambigendum. Nam præsentia tanquā in oculos ingesta, non recte cernūtur: futura tanquā ab oculis reducta, manifestissime perspiciuntur. Neq; hanc fiduciam futurorum incerto autore præsumimus, sed domino nostro IESV CHRISTO uerissimo spōsore ueritatis, qui iustis interminabile regnum, & ampla beatissimæ æternitatis præmia pollicetur: qui etiam per ineffabile sacramentum assumptæ carnis idem homo & deus reconciliauit hominē deo, ac magno absconditoq; mysterio passionis mūdum crimine absoluit. Itaq; manifestatus est in carne, iustificatus est spiritu, apparuit angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria, propter quod deus eum exaltauit, ut omnia confiteantur *Philip. 2* nunc in cœlo, & in terra, in mari, & in abyssis, quia dominus IESVS in gloria est, rex & deus ante secula. Quin tu repudiatis illis philosophorū præceptis, quorū lectioni operam ac ingeniū accōmodas, ad imbibēda Christiani

dogmatis studia animũ adijcis. Illic quoq; quo facundia tua atq; ingenium exerceatur inuenies, breuiq; tibi liquebit, quãto hæc nostra, id est pietatis, ueritatisq; præcepta, illis philosophorum præceptis debeant. In illis nanq; eorum præceptis uel adumbrata uirtus, uel falsa sapientia: in his uero consummata iustitia, solida ueritas continetur. Vnde licet dicere, philosophiæ alios nomen usurpasse, nos uitam. Etenim qualia ab his dari possunt præcepta uiuendi? Causam nesciunt. Ignorantes enim deum, & statim ab exordio iustitiæ declinantes, consequenti in cætera feruntur errore. Sic fit postea, ut studiorum talium finis sit uanitas. Si qui apud illos honestiora definiunt, huic iactantiæ deseruiunt, huic laborant: ita apud eos non est uacua uitijs abstinentia uitiorum. Hi itaq; sunt, sicut scriptũ est, qui terrena sapiũt. Vnde manifeste ostẽditur, ueram eos iustitiam, ueram sapientiã nõ uidere. An'ne aliquis ex illa Aristippi schola ueritatem uidebit, qui ingenio suo à suibus aut pecore nihil differt, cum beatitudinem in corporis uoluptate constituat, cui deus uenter est, & gloria in pudendis eius? Hic honestum iustumq; præcipiet, apud quẽ prodigus, impudicus, adulter philosophatur? Sed alius aduersus philosophos dicendi locus reseruetur, ego ad hæc ueniã, propter quæ tecum loquor. Omitte iam illas, quibus oblectaris, maxime generales eorũ sententias, breuiter ex omni disputationis genere collectas, atq; ad studia te nostrorũ & scripta cõuerte. Ibi tu optime pectus tuum multifaria instructione satiabis: ibi ad inculcandam fidem, non his quidem uerbis, sed tamẽ ista dicentur tibi: Verbũ dei qui nõ credit, non intelligit. Ibi tu admonebere: dominũ, quia dominũ uocas, metue: quia patrem, dilige. Ibi tu ueras hostias disces audiendo: acceptissima deo sacrificia sunt iustitia & misericordia. Ibi tibi istud insinuabitur: Si amas te, proximũ dilige: quia nihil magis commodis tuis dabis, q̃ quod cõtuleris alienis. Ibi tibi præcipietur, nullam esse causam tam dignã putes, qua tibi iusta fiat mors hominis. Illic aduersus illicita moneberis: Libidini resiste tãquam hosti acerbissimo, qui insultare uictis etiam contumelia corporis gaudeat. Illic, ne concupiscas, istud edoceberis: Melius est nolle quæ non habeas, quàm habere quæ uelis. Illic, ne irascẽris, hoc ingeretur: Qui prouocatus irascitur, tunc solum non irascitur, cũ non prouocatur. Ibi etiã de inimicis audies: Amato non amantẽ, quia amãtem uix ullus non amat. Illic sæpius id tibi iterabit: Thesaurũ is bene recondit, qui indigẽtibus diuidit. Perdere enim iam nõ poterit quod largiendo collocauit. Illic etiã feliciora suadeberis, cum dicetur: Fidelium coniugiorũ fructus est continentia. Ibi tu discernenda cognosces, cum audies: Mala seculi huius iustis iniustisq; cõmunia sunt. Ibi tibi istud audiẽdum offeretur: Maior ægritudo est languere animam uitijs, quàm corpus morbis. Ibi tibi ad commendandam pacem istud pronunciabitur: Impatiẽtibus similitudo morum causa discordiæ. Ibi, ne sequaris malos, istud audies: Prudentem & sapiens informat, & stultus: ille quid imitãdum sit docet, iste quid uitãdum. Illic & ista proferent: Multa

Præceptorũ dei & philosophorũ differentia

Philip. 3

prosunt nesciētibus: ideo non minor est dei in operto, quàm in aperto benignitas. Illic admoneberis: Gratias deo nō magis in prosperis agas quàm in aduersis: & cum prospera sint, te non meruisse fatearis. Illic tibi etiam remotiora patefient, cum ista prædicabuntur. Fatum non esse, interrogent gentes uel leges suas, quæ utiq; nō puniunt, nisi factorū uoluntatem. Illic audies, ad custodiendam puritatem & ista præcipi: Si uis esse uerax, suspicax non eris. Nō enim suspicamur, nisi quod nescimus. Ibi de sublimioribus quoq; istud audies: Deo mente defixus, à passionibus cum titillatur, à cœlo in terram deuoluitur. Ibi tibi & hæc memorabuntur: Cum hic mali interdum bona capiant, boni malis affligentur, qui futurum dei iudiciū non credunt, iniquum (quod absit) deum iudicant. Illic tibi suggeretur: Etiam in secretis tuis, quod uelis homines nescire, ne feceris: quod deum, ne cogitaueris. Ibi tibi contra omnem fraudem dicetur: Infelicius est decipere, quàm decipi. Illic & aduersus iactantiam consummantia tibi hæc præcipientur: Vanitatem tanto magis fuge, quāto melior efficieris. Cætera enim uitia crescunt uitijs, uanitas uirtutibus. Et ista quidem pauca de studijs carptim ac breuiter prælibata sunt. Quod si ad fontes ipsos sacri eloquij scrutator accesseris, ibi tu non exteriora magis quàm interiora mirabere. Ita scriptura dum intrinsecus radiat, uelut preciosissima quæq; gemma in profundum fulgorem cōsiderantium demittit oculos. Hoc tu caligantem mentis aciem nequaquā refugus insuesce, hoc interno ac salubri cibo disce animæ famem pascere. Per opus miserantis domini id fore non diffidimus, ut nostrorū appetens & dissimulator tuorum, inania fastidias, & solida concupiscas. Imprudentissimum est, cum pro nobis ferè tam multa deus fecerit, nihil nosmetipsos fecisse pro nobis: cumq; ille in operibus suis ad commoda humana respexerit, hominē nolle sibi consulere. Consulimus uero, si nos in dei cultum affectumq; reddimus. Vera quippe beatitudo est, seculi beatitudinē spernere, neglectisq; terrenis in diuina flagrare. Proinde iam nūc omnia dicta factaq; tua ad deum, uel propter deū dirige. Obtine, ut tibi comes semper sit illa, & tibi custos erit. Tam fida est innocētia. Magnum est uirtutē sequi, nosq; ei aliquid pro uirili portione cōferre. Nec pauendū est, ne se ab his quæ usu inoleuerūt, animus per meliorē uitā non ualeat absoluere. Idem ille, cui sanādos nos tuēdosq; offerimus, uires præstat affectui. Vnde aūt ut uel æstimatione comprehendere ualeat quisq; futurorū remuneratione bonorū? Ecce hic diuina, ut cernimus, munificētia cunctis promiscuū usum charissimę lucis indulsit. Dat pio & impio cōmunē spectare solē, omnibus creatura famulatū suū benignis seruat officijs, bonorū malorumq; totius mūdi indiscreta possessio est. Cū hic igit tam præclara deus iustis pariter & iniustis tribuat, qualia sunt putanda quæ iustis reseruat? Cōsideremus qui tanta dedit, quāta restituet: q tam magnus est in donis, q magnus erit in præmijs. Si tam inæstimabilis est munerātis benignitas, quæ illa remunerātis? Ineffabilia sunt quæ præparauit deus his

qui diligunt eum, recte, planè, atq; manifeste: quia uere immēsum est, quàm magna rependet bonis, qui tam magna largitur ingratis. Circumfer oculos, & de pelago negociorū tuorum uelut in quendam professionis nostræ portum prospice, proramq; cōuerte. Vnus hic portus est, in quem nos ab omni fluctuantis seculi iactatione referamur, quē inter irruentes mundi turbines fessi petamus: huc cunctis cōfugiendum est, qui frementis seculi tempestate uexātur: hic statio fidissima, & quies certa: hic late recessus exclusis fluctibus silet: hic blanda tranquillitas serenū renidet. Huc cum fueris delatus, tutò nauis tua post inanes labores, hic ad crucis ancoram fundata retinebitur. Sed iam prolixior scriptorum pagina modum poscit. Vim cœlestium præceptorum arcte breuiterq; collectam in summam accipe ad Dei honorem. Hæc sunt mandata omnia, ignosce, meq; agnosce.

FINIS.

SCHOLIA IN EPISTOLAM EVCHERII EPIscopi Lugdunensis, per Erasmum Roterodamum.



ADMODVM gloriari licet.) Videtur admodū, abuti pro propemodū. Certe nouo more usurpat aliquot locis, delectatus, ut apparet, ea uoce, sicut suis locis indicabimus. Animo tuo causam animę tuæ.) Festiua adnominatio in animo & anima. Animo cupimus ac diligimus: anima Theologis est ea pars qua salui sumus, hoc est, qua uere uiuimus. Nō abhorres ingenio.) Ingenium posuit pro natura, quam in eo laudat. Per prouidam occupasse naturam.) Quasi natura illum religioni genuerit. Nisi malis legere, per pronam occupasse naturam, hoc est, ad pietatem propēsam. Bona sua pro parte inuenire potest.) In alijs doctrina gignit bona, in hoc quædam inuenit insita à natura.

Multo studio tui, mei admodum parū prouidus.) Oratio constat ex contrarijs, tui, mei, multum, parum. Videtur rursus abuti admodum, pro penè. Adeo tui studio ducor, ut penè parum sim prouidus mei ipsius. Primum instituti.) id est incepti, & rudis adhuc. Vt eductos sicut ab ipso, ita ipsi arbitremur.) Eductos dixit, pro editos in lucem, & productos. Sensus est: Vt illius beneficio nati sumus, ita illi nati sumus, non nobis. Sicut ferri ignibus mos est.) Anima ueluti scintilla est æternæ lucis, nempe dei: non quod illius pars sit iuxta quosdā, sed quod ab illo propius fluat, magisq; lucis imaginem referat. Ergo amantes uitam.) Nouus ingressus argumentationis, quo usus est Paulus apud Athenienses: cum id ultro fieri ostendimus, quod conamur persuadere. Vtiq; dumad uiuunt.) Dumad, positū pro quoad.

Gregorius è Ponto.) Cum multi sint apud Græcos Gregorij, dubiū non est quin hic sentiat de Gregorio Origenis discipulo, cui prius nomen erat

Theodoro

Theodoro: is Neocæſarienſis epiſcopus (eſt autẽ in Ponto Neocæſaria) admodum adoleſcens, ob ſtudia Græcarum & Latinarum literarum de Cappadocia Berytum, & inde Cæſariã Palæſtinæ trãſijt, iuncto ſibi fratre Athenodoro. Quorũ cum egregiam indolem uidiſſet Origenes, hortatus eſt eos ad philoſophiam: in qua paulatim Chriſti fidem introducens, ſui quoq; ſectatores reddidit. Hic, ut indicat Suidas, dictus eſt θαυματουργὸς, id eſt patrator miraculorum, ob id opinor, quod, ut in catalogo indicat Hieronymus, librum ſcripſerit de miraculis, quæ iam epiſcopus cum multa eccleſiarũ gloria perpetrauit. Niſi quod hoc loco, qui catalogum Hieronymi uerterũt in linguam Græcã, addunt, ποιήσας γε σημεῖά τε καὶ θαύματα ἡνίκα ἐπίσκοπος ἐτύγχανεν. Cum feciſſet ſignaq; & miracula cum epiſcopus eſſet, ut intelligamus hunc librum non ab illo, ſed de illo ſcriptum fuiſſe. De miraculis igitur & hic meminit. Alius item ſanctus.) Parum liquet, utrũ ſentiat de Gregorio Nazianzeno epiſcopo, quẽ Suidas, aut apud illum quiſquis fuit, indicat uehemẽter amicũ fuiſſe Baſilio epiſcopo Cæſarienſi, ἀναγκαῖον φίλον appellans, hoc eſt neceſſarium amicum, ob id opinor, quod illum ad Chriſti philoſophiam pertraxerit: an de Gregorio Niſſeno epiſcopo, qui fuit frater Baſilij Cæſarienſis epiſcopi, cui cum Gregorio Nazianzeno conſuetudinem fuiſſe declarat Hieronymus, ſibi uero utrunq; notum ac familiarem fuiſſe. Paulinus Nolanus epiſcopus.) Huius ingenium ac dicendi uena laudata eſt ab Hieronymo. Extant ipſius lucubrationes, teſtantes ſibi arctiſſimã fuiſſe familiaritatẽ cũ Auſonio. Ex hoc loco intelligimus & Pontium Paulinum, & hunc qui eſt huius autor epiſtolæ, ex eadem Galliarum parte fuiſſe oriundos. Huius mentionem facit Gennadius in catalogo ſcriptorum illuſtrium, ſed opuſcula recẽſens, de patria ſilens. Vt etiam cunctas admodum.) Rurſus admodum uſurpauit, ut apparet, pro propemodum, ſiue penè. Hilarius nuper.) Indicat ſe paulo poſt Hilarij tempora fuiſſe. Hilarium recenſuit Hieronymus, quanquam & alioqui ſuis libris abunde nobilem. Petronius.) Hunc recenſet Gennadius in catalogo, declarãs eum epiſcopum fuiſſe eccleſiæ Bononienſis in Italia, ſed in monachorum inſtitutis à puero exercitatum, cuius opus ferebatur olim de uita monachorum Aegypti, ſed eruditius quàm ut ipſius eſſe uideretur. Proinde quidam patri huius aſcripſerunt, maxime cum ipſo opere teſtetur fuiſſe ſe præfectum prætorio. Et nobilitatem hominis hic etiam indicauit. Quanquam ſuſpicor hic Hilarij nomen perperam inductum: idq; colligo duobus potiſſimum argumẽtis. Primum, quod è duobus alterum monachũ, nempe priorem, alterum epiſcopum facit. Atqui Petronius & Hilarius ambo fuerũt epiſcopi. Deinde, quod mox in aceruo ponit & Hilarium, ſtulte repetens, ſi hic ſeparatim poſuiſſet. Conijcio pro Hilario legendum Euagrium, is fuit monachus, & tantum monachus, Macarij diſcipulus, ſed eruditione facundiaq; præſtans. Nullos enim hic recẽſet, niſi aut claros imaginibus, aut eloquẽtiæ

laude

laude, aut utroq; præstantes, quo magis excitet suum Valerianū. Firmianum.) Nempe Lactantium. Minutium.) Nempe cognomento Felicem, cuius meminit in libris suis Lactantius. Nam de Cypriano quid attinet dicere? Ioannis meminit Hieronymus. Is fuit Antiochenæ ecclesiæ presbyter. Eusebij Emiseni, Diodoriq; sectator. Scripsit inter alia multa de sacerdotio. Ex illo uolumine.) Sentit catalogum immēsum similium. Et allusit ad uoluminis uocem, cum dicit, euoluam. Surgunt indocti.) Subindicat Augustinum, qui libro Confessionum octauo narrat huiusmodi uerbis sibi se indignatum, cum ex Pontiani uerbis audisset uitam Antonij, cum tamen Antonius haudquaquā fuerit indoctus: nisi forte, ut fit, eam uocem ante ab alijs dictam, sibi usurpauit Augustinus. Vsq; ad Illyricum.) Est in epistola ad Romanos. Vt tua apud te.) Hinc apparet Valerianum scripsisse Annales rerum Romanarum. Palpamus metus nostros.) Palpamus, pro delinimus, ac blandimur. Preciosissima quæq; gemma.) Præsertim hoc Plinius admiratur in smaragdis.

Scholiorum Erasmi Roterodami in epistolam Eucherij, Finis.

INDEX TERNIONVM.

a b c d e f g h i k l m n o p q.
aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn
oo pp qq rr ss tt uu xx yy zz
AA BB CC Omnes terniones
præter q quaternionem.

BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA
per Hieronymum Frobenium & Nicolaum
Episcopium, Mense Augusto Anno M D XXXI

V.º Don Juan Ruiz [illegible] consultor del [illegible]
la inquisicion [illegible] Suprema y [illegible] del [illegible]
de Sevilla =







colorchecker CLASSIC

calibrite